Arrianus historicus.

ARRIANI HISTORICI ET

PHILOSOPHI PONTI Euxini & maris Erythræi Periplus, ad Adrianum Cæsarem.

Nunc primùm è Græco sermone in Latinum versus, plurimísque mendis repurgatus. Accesserunt & Scholia, quæ luculẽtam Regionum, Gentium, Insularum, Oppidorum, Fluminum, Mercium, cæterarúmque rerum memorabilium vtriusque Peripli descriptionem continẽt, ex accurata veterum ac recentiorum authorum collatione, quorum nomina post Præfationem addita pagina indicabit.

Addita est præter loca, quæ solers Lusitanorum penetrauit nauigatio, omnium cùm Oppidorum, quæ Danubius irrigat: tum Fluuiorum, qui in eum deuoluuntur, diligens & iucunda obseruatio,

Præterea ipsius Ponti Chorographica tabula.

IO. GVILIELMO STVCKIO TIGVRINO AVTHORE.

Cum gemino indice rerum scitu dignarum quæ in vtroque Periplo explicantur.



Corregido conforme al nuevo indice del año de 1632.

LVGDVNI
APVD BARTHOLOMAEVM VINCENTIVM.
M. D. LXXVII.

ANTIQVISS. NOBILISS. Q. FAMILIA NATO Virtutib. Doctrina atque eruditione, Ornatissimo viro D. Ioanni à Schellemberg filio Illustriss. viri Gebharti à Schellemberg, Domini in Randek Stauffen & Huffingen: Domino & amico suo plurimum obseruando.

PRÆCLARVM atque eximium Dei donum, Joannes Schelēbergi vir Ornatissime, cæterisque quæ vulgo appellātur corporis atque fortunæ bonis & splendore, & stabilitate firmitatéque sua longè præstantius mihi videtur esse nobilitas. Hanc aureum illud mentis orationisque flumen ac primus nobilitatis suæ author Cicero scitè admodum blandam conciliatriculam appellauit. Nam vt idem verissimè inquit, omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reipub. nobiles homines esse dignos maioribus suis, & quia valet apud nos clarorum hominū, & benè de Republ. meritorū memoria etiā mortuorū. Est autem nobilitas (meo quidē iudicio) nihil aliud quàm paternæ, auitæ, maiorúmque egregiæ laudis, gloriæ, atque famæ, honoris, dignitatis præclaris virtutibus rebúsque gestis comparatæ hæreditaria quædā successio, possessio, atque patrimoniū. Vnde satis cōstat ingenij animíque virtutes, résque quæ ex ijs promanant, honestè laudabiliterq́; gestas, veras ac solas, vt laudis atque gloriæ, ita nobilitatis procreatrices pariter atque nutrices esse. Verum quò pulchrius hoc est Dei donū quauis rerum externarum longè pretiosius, tantò fœdior turpiórque censeri debet eorum improbitas, qui illud non modò, vti par erat, suis propriis virtutibus, atque egregiis factis tueri sedulò atque augere non student, verumetiam vitiorum quasi cœno contaminant. Sic enim hodie, proh dolor, plærosque eorum, qui antiquo, nobilique genere sunt nati, videre licet suis illis, vel potius maiorum suorum titulis, nominibus, statuis, imaginibus, & si qua sunt alia, nobilitatis insignibus inflatos, Dei hominúmque contemptores, ab omni contemplatione & actione honesta atque liberali alienos, à maiorum suorum moribus atque virtutibus (quarum illos sedulos imitatores esse conuenie-

bat) omnino degeneres: ignauiæ, otio, & (quæ illud comitãtur) aleæ, vino, ventri, veneri, insanis, muliebribúsque delitiis, horrendis diuini nominis blasphemijs, denique omnis generis sceleribus atque flagitiis addictos, turpißimam ignobilißimamq́; vitam degere. Quod quidem nobilium ignobile sanè vulgus grauißimo sese ingrati cùm erga Deũ tum parentes atq; maiores suos animi crimine obstringit. Nã primò ingratißimos sese erga Deum præbent, qui cum pro sua illa, qua potest quæcunque vult, summa ac infinita potestate facillimè efficere potuisse, vt sicuti profectò digni erant, ex vilißimis & abiectißimis, atque etiam ignominiæ dedecorísque labe notatis hominibus gignerentur, illos contrà pro mera sua gratia ex illustribus, laude gloriaq́; florentißimis voluit procreari. Deinde insignis quoque illorũ erga parentes, auos, abauos, atauos, maiores denique suos ingratitudo atque impietas non vituperatione solum verum etiam pœnis dignißima. Nam si nonmodò vituperandi, verùm etiam puniendi summopere videntur illi, qui laudũ aliquod atque copiosum pecuniarũ diuitiarumq́; patrimonium sibi à parentibus suis relictum obliguriunt, impiis atque inhonestis rationibus dilapidant atque consumunt: quãtò grauiorem, quæso, vituperationẽ, pœnamq́; merentur ii, qui huiusmodi longè præstantiorem, planeq́; diuinam laudis, gloriæ, famæ, honoris atque dignitatis hæreditatem plurimis parentum maiorumq́; suorum laboribus, sudoribus, periculis, sanguine denique partam sibiq́; ab illis traditam, nõ modò non sartam tectam tueri, amplificare, atque ad posteros propagare negligũt verùm etiam consceleratis, flagitiosis, atque nefariis suis facinoribus obscurant, corrumpunt, atque perdunt. Quòd si præterea ij qui parẽtes suos vita, quam ab iis acceperunt, priuant, aut certè priuare conantur, immanißimo parricidii crimine obligati tenentur quid dicendũ de iis qui non modò parentes suos proximos, verùm etiam auos atque maiores suos ipsa gloria ac dignitate sua, quæ illis ipsa vita charior potiorq́; fuit, ac cuius adipiscendæ gratia mortẽ vitæ sæpe anteposuerunt, quantum in ipsis quidem est spoliant grauißimasq́; contrà ignominiæ atque dedecoris notas iisdem inurunt? Verùm huius certè mali culpam maximam ipsi sæpe parentes sustinent, qui cùm pro paterni sui muneris officiiq́; ratione omni studio eniti atque elaborare deberent, vt filii sui præclaris animi ingeniiq́; virtutibus instructi, sibi honori atque gloriæ, cæteris vsui atque emolumento esse possent: illi contrà partim

vitæ

vitæ morumq́; suorum prauo exemplo, partim nimis molli dissolutaq́; suâ indulgentia eosdem ita corrumpunt atque deprauant, vt plurimum eâ illius in ipsos quidẽ ignominiæ, atq; dedecoris, in cæteros omnes pestis atq; incommodum redundet. Quò igitur vulgatior simul atque turpior est huiusmodi parentum, filiorumq́;, vt paulo antè dictũ est, in nefario nobilitatis, præstantissimi sanè boni abusu improbitas, tantò, vt rarior, ita præclarior admirabiliorq́; horificentissimi tui parentis, necnon sua laus censeri æstimariq́; debet. Nam primò quidem omnium tuus ille nõ modò vitæ huius caducæ, verùm etiã laudis atque gloriæ tuæ parens atque author verum virtutis nobilitatísq; exemplar, omni suo studio, opera, labore inid sedulo (quemadmodũ ex multis sæpe à me intellectũ est) incubuit, vt vos charissima sua pignora à teneris, vt aiunt, vnguiculis domi suæ honestissimis moribus atque virtutibus imbueret. Nec verò hac liberalissima honestissimaq́; disciplina domestica contentus, vos præterea duos charissimos suos filios, vnica ferè senectutis suæ columina, atque solatia, amores deliciasq́; suas procul à se docto quodam atque cordato quasi Phœnice, comite atque custode vobis adiuncto, in externas regiones ceu ad mercatum quendam virtutum doctrinarumq́; honestissimarũ dimisit. Qua quidẽ in re nõ modò sumptibus nullis pepercit, verùm etiã, quod illi proculdubio graue admodũ, acerbũq́; extitit, semetipsum iucundissimo vestro cõspectu consuetudineq́; priuauit. Verùm, quo ille & animi robore & ardẽti laudis dignitatisq́; vestræ studio atque cupiditate. hoc suũ diuturnæ admodũ absentiæ vestræ desyderium molestiæ, curarum, atque solicitudinis plenissimũ æquo patientiq́; animo tulit, quò vos virtutibus doctrinisq́; honestissimis auctos cumulatósque rursus intueri posset. Cuius quidẽ ille sui voti honestissimi, fratre suo charissimo ex ipso peregrinationis suæ cursu à Deo in cælestem sedem, patriámq́; euocato quo ad te, egregiè compos factus est. Quàm enim præclarè pro singulari tua pietate honorificentissimi tui parentis studio ac voluntati honestissimæ satisfeceris, cùm ex aliorum sermonibus, tum proximè coràm ex tuismet ipsius doctissimis humanissimisq́; colloquiis intellexi. Eas nanque sermonis ansas dedisti, ex quibus facile cùm humanitrtẽ, comitatemq́; tuã, tum reconditam in omni disciplinarũ, literarumq́; genere cognitionẽ atque scientiam tenere possem: imprimis verò Historiarum non modo acerrimũ studium, verùm etiam variam atque multiplicem cognitionem in te animaduerti, quæ mihi quidem inter omnes artes, doctrinasq́; ingenuas atque liberales principẽ locũ videtur obtinere. Quomobrẽ, et Cicero Historiam

testem temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ scitè profectò verißiméque appellat: sic quid obstat, quò minus illam omnium doctrinarum, disciplinarúmque non modò reginam atque dominam, verum etiam animam appellemus? Illa enim præcepta tantùm atque documenta bene honestéque viuendi: hæc verò exempla suppeditat, sine quibus præcepta manca, mutila, quasíque mortua videntur esse. Historiam quoque veram optimo iure nobilitatis quasi alumnam, luménque dixeris sine quo quàm multæ, quæso, claræ atque illustres familiæ in obscuro atque in tenebris laterent? Quod quum ita sit tanto profectò maiore cum laude tantùm operæ studiíque in Historiis cognoscendis posuisti. Cùm autem historia earum propriè rerum, quas audiendo quis coràm videndóque percepit, cognitio sit atque commemoratio, vt ipsum nominis etymon significat, non ineptè quis, meo iudicio peregrinationes, Historiarum Originem esse dixerit. Sic multos ingenio doctrináque præstantes homines singulari quodam multa, iucunda atque vtilia cognoscendi studio ductos (vnde Philosophi, hoc est, sapientiæ studiosi, fuerunt appellati) longas periculosásque peregrinationes, quasi voluntaria exilia suscepisse, atque adeò totas suas ætates in iisdem contriuisse legimus. Multorum Cic. lib. 5. Tuscul. meminit, verùm omißis aliis duo olim fuerunt præstantißimi viri, qui in hac quidem parte quasi palmam videntur obtinuisse. Vnus illorũ fuit Adrianus imperator Rom. Traiani & filius adoptiuus, & in imperio successor, quẽ Ælius Spartianus, Dion Cassius, cæteriq; Historici, maximam ferè orbis terrarum partẽ summa celeritate peragrasse, ac æstuante illo suo per saxa per ignes, frigora atque calores peregrinandi, loca, résque plurimas cognoscendi videndíque studio lætalem sibi morbũ conciliasse testantur. Alter fuit Arrianus summus Historicus, atque Philosophus, omni disciplinarum genere, necnon Adriani Imperatoris arctißima familiaritate consuetudinéque florentißimus. Is difficilem admodum periculosámque per Pontum Euxinum peregrinationem obiit, eámque Græca quadam sua ad Adrianum Imperatorem Epistola fuit complexus. Quam equidem D. Iosia Simlero præceptore, compatre, atq; collega meo obseruando authore atque suasore, vt Latinè pro tenuitate mea redderem, cùm adhuc non nisi Italicè, quod sciam, à doctißimo viro Rhamnusio fuerit conuersa facile in animũ meum induxi. Verũ nescio quo pacto cùm Epistolæ huius breuis quidẽ atq; exiguæ, sed rerũ cognitu vtilium atque iucundarũ fœcundißimæ, tum verò atque imprimis ipsius

Ponti

Ponti Euxini, ac gentium Ponticarum admiratione quasi vento quodā vehementi ac violento in vastissimum hoc atque immensum mare abreptus: illud non quidem, vt Arrianus noster, & olim Argonautæ illi celeberrimi nauigio, sed mentis cogitationisque quasi remis velisq; peragraui. Quemadmodum autem Argonautæ illi quondam suos præclaros atque eximios gubernatores habuerunt, sic ego Herodoti, Polybij, Strabonis, Melæ, Plinij, Solini, Ammiani, aliorumq; cùm veterum, tum recentium Historicorum ductu atque auspicijs mare hoc, regionésque ei vicinas perlustraui, simúlque ea quæ animaduersa à me fuerūt, literis quàm potui diligentissimè consignaui. Quæ tenebris licet quàm luce digniora quoniam certis quibusdā de causis in lucē edere visum est, tu potissimùm cui lucubrationum harum mearum quasi primitiolas offerrem, mihi in mentem venisti. fateor equidem tuum illud & generis opum & dignitatis, doctrinæ eruditionisq; splendorem, præstantius quoddam, atque magnificentius opus requirere: verùm cùm Deus Opt. Max. pro immēsa ac infinita sua bonitate, minima quæque nostra officia, licet manca atque imperfecta, si ea animo syncera fide, charitatéque prædito proficiscantur, grata acceptáque habeat: tu quoque vti spero atque confido pro singulari tua humanitate hoc tenuissimum mei ingenii tenuissimum sanè munusculū ab animo (ita me Deus amet) tui amantissimo atque obseruātissimo profectū æqui boníque consules. Quod vt facias, spémque meā quam de humanitate tua habeo, minimè fallas, summis à te precibus cōtendo. Ad extremum quoque vehementer te etiam atque etiam rogo atque oro, vt in præclaro hoc tuo literarum curriculo strenuè semper pergas, neque te agrestium quorumdam atque à Musis abhorrentiū hominum sermonibus dimoueri vnquam patiaris. Quod si feceris paternā mihi crede illā tuā atque auitā gloria[redacted]amplitudinem magno cumulo augebis, láusque tua, sicuti nobilissimæ tuæ familiæ nomen sonat Schallemberg, quasi in ædito, excelso atque illustri monte in omnium conspectu posita, tubæ instar vocalissimæ longè latéque resonabit, ad multorúmque aures perueniet. Vale Nobilissime, Ornatissiméque Domine, ac parentibus tuis honorandis oro quæsoq; honorificentissimam meo nomine salutem dicas. Datæ Tiguri Cal. Martijs M. D. LXXVII.

Tui obseruantiss.

Io. Gvil. Stvckivs.

CATALOGVS AVTHORVM QVI in huius Peripli explicatione citantur.

Abdias
Ælius Lampridius
Ælianus
Ælius Spartianus
Æneæ Syluij Papæ Geo- (graphia
Adon Episcopus Vienne- (sis
Albertus Campensis
Alciatus
Alexander
Agathius
Albertus Magnus
Antonini Pij itinerarium
Apollonius
Appianus
Aristoteles
Arrianus
Athenæus
Aulus Gellius
Ausonius
Bartholinus
Baro ab Herbestein
Basilius Magnus
Beat. Rhenanus
Iac. Philip. Bergomensis
Beroaldus
Ioannes Boccatius
Bellonius
Cæsar
Cardanus
Carollus Sigonius
Cedrenus
Cicero
Claudianus
Clemens Alexandrinus
Cœlius Rhodiginus
Conciliorum liber authore Corn. Tacitus (Gratiano
Ctesias
Cuspinianus
Diodorus Siculus
Dion Casſius
Dionysius Alexandrinus
Dioscorides
Dracontius
Epiphanius
Eusebius
Eustathius
Eutropius
Franciscus Oloas
Franciscus Villerius
Furnulus
Galenus
Theodorus Gaza
Glareanus
Gregorius Nazianzenus
Georgius Agricola
Gesnerus
Georgius Interianus
Gerardus Mercator
Gyllius
Gyraldus
Henrici Chronicon
Hippocrates
Hermolaus Barbarus
Herodotus
Hieronymus
Homerus
Hippocrates
Ioannes Ramus
Ioannes Funccius
Ioannes Baptista Egnatius
Iosephus
Iosias Simlerus
Iornandus
Franciscus Irenicus
Isidorus
Iustinus Martir
Iustinianus
Iustinus
Lactantius
Lauaterus
Lucanus
Lazius
Macrobius
Leonicus Chalcondilas
Martianus Capella
[redacted]
Munsterus
Manilius
Martialis
Metaphrastes de vita pa- (trum
Nauclerus
Nicolaus Euboicus Sagũ- (tinus Episcopus
Stephanus Niger
Nicephorus Calistus
Nicephorus Gregoras
Oppianus
Paulus Orosius
Orpheus
Ouidius
Pachimerius
Paulus Diaconus
Pausanias
Pellicanus
Petrus Martyr
Petrus Marsus
Petrus de Natalibus
Peucerus
Picus Mirandula
Pirkmeyerus
Phauorinus
Philostratus
Plato
Plinius
Plutarchus
Polybius
Pomponius Mela
Procopius
Ptolomæus
Q. Curtius
Raymundus Martianus
Rhamnusius
Richardus
Rondeletius
Sabellius
Sallustius
Seneca
I. Cæs. Scaliger
Scheggius
Sidonius Apollinaris
Sigeberti Chronicon
Silius Ital.
Socratis histor.
Solinus
Sosimi Historia
Sozomenus
Statius
Stephanus
Strabo
Suetonius
Suidas
Tertullianus
Theocritus
Theodoretus
Theophrastus
Vadianus
Valerius Flaccus
Valerius Maximus
Varro
Vegetius
Veronensis
Vincentij Speculum
Virgilius
Vitruuius
Xenophon
Zonaras

ΑΡΡΙΑΝΟΥ ΠΕΡΙΠΛΟΥΣ

τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης.

ARRIANI PERIPLVS MA-

ris Erythræi, hoc est, itinerum regionum, gentium, oppidorum, portuum, promontoriorum, fluminum, &c. quæ Mare Erithræum circumquaque attingunt, atque ambiunt, descriptio. Ad Adrianum Traianũ Imperatorem Cæsarem Augustum.

ΤΩΝ ἀποδεδειγμένων ὅρμων τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης, καὶ τῶν περὶ αὐτὴν ἐμπορείων, πρῶτος ἐστὶ λιμὴν τῆς αἰγύπτου, μυὸς ὅρμος. μετὰ δὲ αὐτὸν εἰσπλεόντων ἀπὸ χιλίων ὀκτακοσίων σταδίων, ἐν δεξιᾷ ἡ βερενίκη. ἀμφοτέρων οἱ λιμένες, ἐν τῷ ἐσχάτῳ τῆς αἰγύπτου: κόλποι δὲ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης κεῖνται. τούτων ἐκ μὲν τῶν δεξιῶν ἀπὸ βερενίκης συναφὴς, ἡ τισηβαρικὴ χώρα ἐστί. τὰ μὲν παρὰ θάλασσαν, ἰχθυοφάγων μάνδραις οἰκοδομημέναις ἐν στενώμασιν, καὶ σποράδην δὲ οἰκοῦνται. τὰ δὲ μεσόγεια, βαρβάρων καὶ τῶν μετ᾽ αὐτοὺς ἀγελοφάγων καὶ μοσκοφάγων, κατὰ τυραννίδα νεμομένων. οἷς ἐπίκειται κατὰ νώτου μεσόγειος ἀπὸ τῶν πρὸς δύσιν μερῶν,

σης μικρόν. μετὰ δὲ τοὺς μοσχοφάγους ἐπὶ θαλάσσης μικρὸν ἐμπόρειον ἐστὶν ἀπέχον τοῦ πέρας τῆς ἀνακομιδῆς σταδίους περὶ τετρακισχιλίους, πτολεμαῒς ἡ τῶν θηρῶν λεγομένη. ἀφ᾽ ἧς οἱ ἐπὶ πτολεμαίῳ τῷ βασιλεῖ θηρευθέντες, ἀνέβησαν. ἔχει δὲ τὸ ἐμπόρειον, χελώνην ἀληθινὴν, καὶ χερσαίαν ὀλίγην, καὶ λευκὴν μικροτέραν τοῖς ὀστράκοις. εὑρίσκεται δὲ ἐν αὐτῇ ποτὲ μὲν ἐλέφας ὀλίγος ὅμοιος τῷ ἀοιδοτικῷ: ὁ δὲ τόπος, ἀλίμενος, καὶ σκάφαις μόνον τὴν ἀποδρομὴν ἔχων. μετὰ δὲ τὴν πτολεμαΐδα τὴν τῶν θηρῶν, ἀπὸ σταδίων ὡς τρισχιλίων ἐμπόρειον ἐστὶ νόμιμον ἡ ἀδουλεί. κείμενον ἐν κόλπῳ βαθεῖ, κατ᾽ αὐτὸν τὸν νότον. οὗ πρόκειται νῆσος, ὀρεινὴ λεγομένη. τοῦ μὲν ἐσωτάτου κόλπου, σταδίους ὡς εἰς πέλαγος ἔχουσα, διακοσίους. ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν, παρακειμένην ἔχουσα τὴν ἤπειρον. ἐν ᾗ νῦν ὁρμεῖ τὰ καταγόμενα πλοῖα, διὰ τὰς ἐκ τῆς γῆς καταδρομάς. πρῶτον μὲν γὰρ ὥρμει, κατ᾽ αὐτὸν τὸν ἐσώτατον κόλπον ἐν τῇ διο-

INTER insignes, celebrésque maris Erythræi portus, & emporia primus est Ægypti portus, μυὸς ὅρμος, id est, muris portus appellatus: à quo introrsum nauigãtibus M.D.CCC. stadiorũ interuallo à dextris Berenice occurrit. Vtriúsque verò portus in extremis Ægypti finibus iacẽt, ipsiúsque Erythræi maris sinus sunt. Hos à dextris post Berenicẽ proximè attingit Tisebarica regio, cuius maritimam quidem partem Ichthyophagi incolunt, sparsim hinc inde speluncas in angustiis sitas inhabitantes, mediterraneam verò Barbari tenent, & qui post eos sunt, Agriophagi, atque Moscophagi, tyrannorum imperio subiecti. His à tergo imminet mediterranea regio à partibus occasum spectantibus. Post Moschophagos iuxta mare paruum est emporium distans à principio sinus circiter IIII. M. stad. quod Ptolemais Therôn, hoc est, venationum appellatur, ex quo Ptolemæi regis venatores ad venandum excurrere consueuerunt. Habet emporium illud testudinem verã, & terrestrem exiguam, atque candidam minoribus testis præditã. Inuenitur quoque nonnunquam in eo parum eboris, quod simile est Acedotico. Locus ille portu caret, scaphis tantummodo recipiẽdis aptus. Post Ptolemaida Therôn III. circiter millia stad. interuallo Aduli emporium legitimum iacet, in sinu profundo, austrum spectans. E regione illius est insula, quę Orine dicitur, intimo sinu, in pelagus circiter CC. stad. protensa: cui ab vtraque parte continens adiacet, in quã nunc appellunt naues propter excursiones, quæ terra fiunt. Primò enim appellebatur ad ipsum intimum sinum in insula Diodori, ad quam iuxta continẽtem pe-

Myos hormos Ægypti portus.

Berenice.

Tisebaricæ regio.

Ichthyophagi.

Agriophagi.

Moscophagi.

Ptolemais Theron emporium.

Testudo.

Ebur.

Vel locus est importuosus.

Aduli emporiũ.

Orine insula illi opposita.

Insula Diodori.

dibus patebat transitus, per quem Barbari eius incolæ, insulam excursionibus infestabant. Iuxta ipsam verò continentem in Orine, Aduli est vicus mediocris magnitudinis x x. stad. à mari distans. Ab hoc ad Coloam ciuitatem mediterraneam, quod primum eboris est emporiũ, tridui est iter. Hinc ad ipsam metropolim Axomitam nomine quinque dierum est spatium, in quam omne ebur (quod est vltra Nilum) per Cyeneium defertur, indéque in Aduli: omnis itaque elephantorum, aut rhinocerotum multitudo, in superioribus locis degit, rarò autem in locis iuxta mare, ipsúmque vicum Aduli conspiciuntur. Huic emporio in pelago oppositæ sunt à dextris plures aliæ paruæ & arenosæ insulæ Alalæi nuncupatæ, in quibus testudo est, quæ ab Ichthyophagis in emporium illud deportatur. Hinc stad. ferè D C C C. interuallo alius est sinus profundissimus, cuius ad introitum à dextris plurima copiosáque fusa iacet arena, in cuius profundo lapis reperitur opsianus, qui in illa sola loci nimirum ipsius vi atque natura generatur. Dominatur in his locis à Moschophagorum regione vsque ad reliquam Barbariam Zoscales spectatæ probatæque vitæ homo, cæteris omnibus antecellens, generosus, strenuus, Græcarum literarum peritus. In hæc porrò loca deportantur venalia, vestes barbaræ, atque rudes à fullonibus nondum apparatæ quæ quidem in Ægypto fiunt, stolæ Arsinoiticæ, abollæ adulterini coloris, lintea, dicrossia .i. mantilia vtrimque fimbriata, omnis generis vasa vitrea, atque murrhina, in vrbe Diospoli elaborata. Item orichalcũ, quo vtuntur ad ornatum, ex quo in frusta dissecto etiam numismata conficiunt, necnon meliephtha ænea, quibus ad coquẽdum vtuntur, ex quibus etiam in frusta concisis armillas atq; periscelidas, hoc est, crurum ornamenta nõnullæ mulieres cõficiunt. Item ferrũ ex quo fiunt lanceæ, quarum partim in elephantorũ, aliarúmq; ferarũ venationibus, partim in bellis maximus est vsus. Importantur præterea eodẽ bipennes, secures, asciæ, gladii, pocula ænea magna atque rotunda, denarii pauci ad vsum peregrinorum, qui ibi negotiationũ causa versantur, vinum Laodicenũ, atque

Aduli. *Coloa.* *Axomita.* *Cyeneium.* *Alalæi insulæ.* *Opsianus lapis.* *Zoscales rex.* *Diospolis.*

δώρου λεγομένῃ νήσῳ, παρ' αὐτὴν τὴν ἤπειρον, ἐχούσῃ πεζῇ τὴν διάβασιν. δι' ἧς οἱ κατοικοῦντες βάρβαροι, κατέτρεχον τὴν νῆσον. ἔστι κατ' αὐτὴν τὴν ἐν τῇ ὀρεινῇ ἤπειρον, ἀπὸ σταδίων εἴκοσι τῆς θαλάσσης, ἐστὶν ἡ ἀδουλεὶ κώμη σύμμετρος, ἀφ' ἧς εἰς μὲν κολόην μεσόγειον πόλιν, καὶ πρῶτον ἐμπόριον τοῦ ἐλέφαντος, ὁδός ἐστιν ἡμερῶν τριῶν. ἀπὸ δὲ ταύτης, εἰς αὐτὴν τὴν μητρόπολιν τὸν ἀξωμίτην λεγόμενον, ἄλλων ἡμερῶν πέντε. εἰς ὃν ὁ πᾶς ἐλέφας ἀπὸ τοῦ πέραν τοῦ νείλου φέρεται, διὰ τοῦ λεγομένου κυηνείου. ἐκεῖθεν δὲ, εἰς ἀδουλεί. τὸ μὲν οὖν ὅλον πλῆθος τῶν φονευομένων ἐλεφάντων ἢ ῥινοκερώτων, περὶ τοὺς ἄνω νέμεται τόπους. σπανίως δέ ποτε καὶ ἐν τῷ παρὰ θάλασσαν, περὶ αὐτὴν τὴν ἀδουλεὶ θεωροῦνται. πρόκεινται δὲ τοῦ ἐμπορίου καὶ κατὰ πέλαγος, ἄλλαι νῆσοι μικραὶ ἐκ δεξιῶν ἀμμιναὶ πλείονες, ἀλαλαίου λεγόμεναι, χελώνην ἔχουσαι τὴν εἰς τὸ ἐμπόριον φερομένην, ἀπὸ τῶν ἰχθυοφάγων. καὶ ἀπὸ σταδίων ὡσεὶ ὀκτακοσίων, κόλπος ἕτερος βαθύτατος. οὗ κατὰ τὴν εἰσβολὴν ἐν δεξιοῖς, ἄμμος ἐστὶν πολλὴ κεχυμένη. καθ' ἧς ἐν βάθει, κεχωσμένος εὑρίσκεται ὁ ὀψιανὸς λίθος, ἐν ἐκείνῃ μόνῃ τοπικῶς γεννώμενος. βασιλεύει δὲ τῶν τόπων τούτων ἀπὸ τῶν μοσχοφάγων, μέχρι τῆς ἄλλης βαρβαρίας, ζωσκάλης ἀκριβὴς μὲν τοῦ βίου, καὶ τῶν πλειόνων ἐξεχόμενος. γενναῖος δὲ περὶ τὰ λοιπά, καὶ γραμμάτων ἑλληνικῶν ἔμπειρος. προχωρεῖ δὲ εἰς τοὺς τόπους τούτους, ἱμάτια βαρβαρικὰ ἄγναφα, τὰ ἐν αἰγύπτῳ γινόμενα. ἀρσινοητικαὶ στολαί, καὶ ἄβολλοι νόθοι χρωμάτινοι, καὶ λεντία, καὶ δικρόσσια, καὶ λιθίας ὕλης πλείονα γένη, καὶ ἄλλης μοῤῥινῆς, τῆς γινομένης ἐν διοσπόλει. καὶ ὀρείχαλκος, ᾧ χρῶνται πρὸς κόσμον, καὶ εἰς συγκοπὴν ἀντὶ νομίσματος, καὶ μελίεφθα χαλκᾶ, εἴς τε ἕψησιν καὶ εἰς συγκοπὴν ψελίων καὶ περισκελίδων τισὶ τῶν γυναικῶν. καὶ σίδηρος, ὁ δαπανώμενος εἴς τε λόγχας πρὸς τοὺς ἐλέφαντας καὶ τὰ ἄλλα θηρία, καὶ τοὺς πολέμους. ὁμοίως δὲ καὶ πελύκια προχωρεῖ, καὶ σκέπαρνα, καὶ μάχαιραι, καὶ ποτήρια χαλκᾶ στρογγύλα μεγάλα, καὶ δηνάριον ὀλίγον, πρὸς τοὺς ἐπιδημοῦντας, καὶ οἶνος λαοδικηνὸς καὶ ἰταλικός, οὐ πολύς,

λις, καὶ ἔλαιον, οὐ πολύ. τῷ δὲ βασιλεῖ, ἀργυρώματα καὶ χρυσώματα, τοπικῷ ῥυθμῷ κατεσκευασμένα, καὶ ἱματίων ἀβόλλαι, καὶ καυνάκαι ἁπλοῖ. οὐ πολλοῦ δὲ ταῦτα. ὁμοίως δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἔσω τόπων τῆς ἀραβικῆς, σίδηρος ἰνδικός, καὶ στόμωμα, καὶ ὀθόνιον ἰνδικὸν τὸ πλατύτερον, ἡ λεγομένη μονοχή, καὶ σαγματογῆναι, καὶ περιζώματα, καὶ καυνάκαι, καὶ μολόχινα, καὶ σινδόνες ὀλίγαι, καὶ λάκκος χρωμάτινος. φέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων, ἐλέφας, καὶ ῥινόκερως. τὰ δὲ πλεῖστα ἐκ τῆς αἰγύπτου φέρεται εἰς τὸ ἐμπόριον τοῦτο, ἀπὸ μηνὸς ἰανουαρίου μέχρι τοῦ σεπτεμβρίου. ὅ ἐστιν ἀπὸ τυβὶ, ἕως θώθ. εὐκαίρως δὲ ἀπὸ αἰγύπτου ἀνάγονται, περὶ τὸν σεπτέμβριον μῆνα. ἤδη ἐπ' ἀνατολὴν ὁ ἀραβικὸς κόλπος διατείνει, καὶ κατὰ τὸν ἀβαλίτην μάλιστα στενοῦται. μετὰ δὲ σταδίους ὡσεὶ τετρακισχιλίους, κατὰ τὴν αὐτὴν ἤπειρον εἰς ἀνατολὴν πλεόντων, ἐστὶν ἄλλα ἐμπόρια βαρβαρικὰ, ταπαρὰ λεγόμενα. κείμενα μὲν, κατὰ τὸ ἑξῆς: ἀγκυροβολίοις δὲ καὶ σάλοις ἔχοντα τοὺς ὅρμους, κατὰ καιροὺς ἐπιτηδείους. πρῶτος μὲν, ὁ λεγόμενος αὐαλείτης. καθ' ὃν, καὶ στενότατός ἐστιν ἀπὸ τῆς ἀραβικῆς εἰς τὸ πέραν, διάπλους. κατὰ τοῦτον τὸν τόπον, μικρὸν ἐμπόριον ἐστὶν ὁ αὐαλείτης, σχεδίαις καὶ σκάφαις εἰς τὸ αὐτὸ προσερχομένων. προχωρεῖ δὲ εἰς αὐτὴν ὑαλῆ λιθία σύμμικτος. καὶ διοσπολιτικῆς ὄμφακος, καὶ ἱμάτια βαρβαρικὰ, σύμμικτα, γεγναμμένα. καὶ σῖτος καὶ οἶνος, καὶ κασσίτερος ὀλίγος. φέρεται δ' ἐξ αὐτῆς ποτε, καὶ τῶν βαρβάρων ἐπὶ σχεδίαις διαφερόντων εἰς τὴν ἀντικρὺς ὀκῆλις καὶ μούζα, ἀρώματα, καὶ ἐλέφας ὀλίγος, καὶ χελώνη, καὶ σμύρνα ἐλαχίστη, διαφέρουσα δὲ τῆς ἄλλης. ἀτακτότεροι δὲ, οἱ κατοικοῦντες τὸν τόπον βάρβαροι. μετὰ δὲ τὸν αὐαλείτην, ἕτερον ἐμπόριον ἐστὶν τούτου διαφέρον, ἡ λεγομένη μαλαώ. πλοῦν ἀπέχουσα, σταδίων ὡς ὀκτακοσίων. ὁ δὲ ὅρμος ἐπίσαλος, σκεπόμενος ἀκρωτηρίῳ, τῷ ἐξ ἀνατολῆς ἀνατείνοντι. οἱ δὲ κατοικοῦντες, εἰρηνικώτεροι. προχωρεῖ δὲ εἰς τοῦτον τὸν τόπον, τὰ προειρημένα. καὶ πλείονες χιτῶνες, σάγοι ἀρσινοητικοὶ, γεγναμμένοι καὶ βεβαμμένοι, καὶ ποτήρια, καὶ μελίεφθα ὀλίγα, καὶ σίδηρος, καὶ δηνάριον οὐ

atque Italicum non multum, oleum quoque, sed nō multum. Regi autem vasa aurea, atque argentea ex loci more & consuetudine effecta, atque elaborata, item vestes abollæ, gaunacæ simplices, sed non multæ, tributi nomine pēduntur. Præterea ex penitioribus Arabiæ locis affertur ferrum Indicū, & stomoma (*.i. ferrum acie temperatum*) othonium Indicum quod monoche appellatur. Sagmatogene, cingula, gaunacę, molochina, syndones paucæ, lacca tinctoria. Ex iisdē locis affertur ebur, atque rhinoceros. Plæraq; autē ex Ægypto in emporium illud deferuntur à Ianuario ad Septembrē vsque, hoc est (*vt Ægyptij hos menses appellant*) à Thybi vsq; ad Thoth. Verùm tēpus maximè opportunum & idoneum huiusmodi ex Ægypto deferendi est circa mensem Septēbris. Deinceps ad ortum Arabicus sinus procurrit, qui iuxta Abalitem valde in augustum contrahitur. Inde stad. ferè quatuor millibus iuxta continentē ortū versus nauigātibus alia emporia barbara sese ostēdunt, Tapara nuncupata, quę ordine se inuicē quodam cōsequuntur, portúsq; ad consistendum in salo atque anchoris, certis temporibus idoneos habēt. Primus est qui Aualites dicitur, iuxta quē strictissimus est ex Arabia in vlteriorem regionē transitus. Hunc propter locum paruū est emporiū, quod Aualites dicitur, in quod ratibus, atque scaphis nauigatur. In illud importantur varia vasa vitrea, & lapidea, omnis generis fructus crudi & immaturi, vestes barbaræ, promiscuę, à fullonibus adornatæ, atq; elaboratæ, necnon frumentum, vinum, parum stanni. Inde quoque nonnunquam exportātur, atq; à Barbaris in Celim, & Muza loca è regione posita ratibus deuehuntur aromata, parum eboris, testudo, myrrha paucissima quidē, sed omnium præstātissima. Barbari illius loci incolæ vita ac moribus sunt inciuilibus atque agrestibus. Post Aualiten aliud est emporium illo præstantius Malao nūcupatū, distans DCCC. stad. cuius portus est instabilis, & fluctibus obnoxius, cui immi net promontorium Orientem versus extensum: eius incolæ sedatis & compositis sunt moribus. In hunc locum venalia deferuntur cùm ea, quæ antè sunt cōmemorata, tum præterea multę tunicæ, saga Arsinoitica à fullonibus apparata, atq; tincta, pocula, meliephtha pauca, ferrū,

Arabicus sinus
Abalites.
Tapara emporia.
Aualites portus.
Aualites emporium.
Celis.
Muza.
Malao emporiū.

denarij pauci aurei, atque argentei. Ex iisdem locis affertur myrrha, parum thuris peratici, cassia durior, duaca, cancamum, macir, quæ in Arabiam deferũtur, deniq; mãcipia, sed rariora. A Malao duobus itineribus abest emporium Mundi, in quod tutius naues appellũt in insulam quandã oppositam continenti vicinã. In id importantur pariter, atque inde rursus exportãtur antè commemoratæ merces, necnon thymiama Mocroti appellatũ: eius incolæ mercaturæ dediti homines sunt duri, & agrestes. A Mundo Orientem versus duorum aut trium dierũ interuallo iacet Mosyllum in littore importuoso. Eò deferuntur res antè dictæ, necnon vasa argentea, ferrea sed pauciora, atque gẽmea. Ex illis locis exportatur magna vis casiæ, quã sanè ob causam emporium illud maioribus nauigiis indiget, necnon alia odoritera, aromata, testudines paruæ & paucæ, mocroti (*thymiama*) deterius eo quod in Mũdi emporio nascitur, thus peraticum, deniq; ebur, atq; myrrha sed maior. Post Mosyllum, quæ est dierum duorum nauigatio, occurrũt Niloptolemæum, Tapatige, Daphnon paruus, & promontoriũ Elephas quod ab Opone Meridiem versus porrigitur. Postea regio versus Affricũ inflectitur, fluuiósq; habet Elephantum nomine, atque Daphnona magnum Acãnæ nuncupatũ, in qua regione pręcipuè thus peraticum plurimum ac præstantissimum nascitur. Post hãc Meridiem versus terra se inflectente, est Aromatum promontorium. Extremum verò Barbaricæ cõtinentis est emporiũ ortum versus Apocopon. Portus est fluctuosus ac certis temporibus periculosus, propterea quòd Boreę est expositus. Futuræ autẽ tempestatis signum eius loci proprium est, quãdo profundum maris turbulentius existit. atq; colorẽ mutat. Id quãdo fit, omnes in magnum promontorium Tabæ appellatum, ceu ad locum tutum atque securum, sese recipiũt. In hoc emporium similiter ea, de quibus antè dictum, importantur. In eodẽ porrò generãtur casia, gizir, asiphe, aroma, magla, moto, thus. Post Tabæ, quæ aquæ fert impetus, stadiorum cccc. interuallo, si Chersonesum præternauigaueris, secundum ipsius aquæ impetũ aliud est emporium Opone, in quod eædẽ merces, quarum

Mundi empor.
Mosyllum emporium.
Niloptolemæũ.
Tapatige.
Daphnon paruus.
Elephas promõt.
Elephas fl.
Daphnon magnus.
Aromatum promontorium.
Apocopon emporium.
Tempestatis signum.
Tabæ promont.
Chersonesus.
Opone emporiũ.

πολὺ, καὶ χρυσοῦ δὲ καὶ ἀργυροῦ. ἐκφέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων τούτων, καὶ σμύρνα, καὶ λίβανος ὁ περατικὸς ὀλίγος, καὶ κασσία σκληροτέρα, καὶ δούακα, καὶ κάγκαμον, καὶ μάκειρ, τὰ εἰς ἀραβίαν προχωροῦντα. καὶ σώματα σπανίως. ἀπὸ δὲ μαλαῶ, δύο δρόμοις, ἐστὶν ἐμπόριον ἡ μουύδου. ἐν ᾧ καὶ ἀσφαλέστερον ὁρμεῖ τὰ πλοῖα, εἰς τὴν προκειμένην ἔγγιστα τῆς γῆς νῆσον. προχωρεῖ δὲ εἰς αὐτὴν τὰ προειρημένα, καὶ ἐκεῖθεν ὁμοίως ἐκφέρεται τὰ προειρημένα φορτία. θυμίαμα, τὸ λεγόμενον μοκρότου. οἱ δὲ κατοικοῦντες ἔμποροι, σκληρότεροι. ἀπὸ δὲ τῆς μουύδου, πλεόντων εἰς τὴν ἀνατολὴν ὁμοίως μετὰ δύο δρόμους ἢ τρεῖς, πλησίον κεῖται τὸ μόσυλλον, ἐν αἰγιαλῷ δυσόρμῳ. προχωρεῖ δὲ εἰς αὐτὴν τὰ προειρημένα γένη, καὶ σκεύη ἀργυρᾶ. σιδηρᾶ δὲ ἐλάσσω, καὶ λιθία. ἐξάγεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων κασσίας χρῆμα πλεῖστον, ὃ καὶ μειζόνων πλοίων χρῄζει τὸ ἐμπόριον, καὶ ἄλλα εὐώδη, καὶ ἀρώματα, καὶ χελωνάρια ὀλίγα, καὶ μοκρότου, ἧττον τοῦ μουυδιτικοῦ, καὶ λίβανος ὁ περατικός. ἐλέφας δὲ καὶ σμύρνα, σπανίως. ἀπὸ δὲ τοῦ μοσύλλου παραπλεύσαντι μετὰ δύο δρόμους, τὸ λεγόμενον νειλοπτολεμαίου, καὶ ταπατηγὴ, καὶ δαφνῶνα μικρὸν, ἀκρωτήριον ἐλέφας, ἀπὸ ἐπώνης εἰς νότον προχωρεῖ. εἶτα εἰς λίβα ἡ χώρα ποταμοὺς ἔχει τὸν λεγόμενον ἐλέφαντα, καὶ δαφνῶνα μέγαν, λεγόμενον ἀκάνναι. ἐν ᾗ μονογενῶς λίβανος ὁ περατικὸς, πλεῖστος καὶ διάφορος γίνεται. καὶ μετὰ ταύτην, τῆς γῆς ὑποχωρούσης εἰς τὸν νότον ἤδη, τὸ τῶν ἀρωμάτων ἐμπόριον. καὶ ἀκρωτήριον τελευταῖον τῆς βαρβαρικῆς ἠπείρου, πρὸς ἀνατολὴν ἀπόκοπον. ὁ δὲ ὅρμος ἐπίσαλος κατὰ καιροὺς ἐπικίνδυνος, διὰ τὸ προσεχῆ τὸν τόπον εἶναι τῷ βορέᾳ. σημεῖον δὲ τοῦ μέλλοντος χειμῶνος τοπικὸν, τὸ τὸν βυθὸν θολερώτερον γίνεσθαι καὶ τὴν χρόαν ἀλλάσσειν. τούτου δὲ γινομένου, πάντες ἀποφεύγουσιν εἰς τὸ μέγα ἀκρωτήριον τόπον καὶ σκέπην, τὸ λεγόμενον τάβαι. προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον, ὁμοίως τὰ προειρημένα. γίνεται δὲ τὰ ἐν αὐτῷ, κασσία, καὶ γίζειρ, καὶ ἀσύφη, καὶ ἄρωμα, καὶ μάγλα, καὶ μοτώ, καὶ λίβανος. ἀπὸ δὲ τάβαι, μετὰ σταδίους τετρακοσίους παραπλεύσαντι χερσόνησον, καθ' ὃν τόπον καὶ ὁ ῥοῦς ἕλκει, ἕτερόν ἐστιν ἐμπόριον ὀπώνη. εἰς ἣν καὶ αὐτὴν, προχωρεῖ

χωρεῖ μὲν, τὰ προειρημένα. τὸ δὲ πλεῖστον ἐν αὐτῇ γίνεται, κασία, καὶ ἄρωμα, καὶ μοτὼ, καὶ δουλικὰ κρείσσονα, καὶ εἰς αἴγυπτον προχωρεῖ μᾶλλον, καὶ χελώνη πλείστη, καὶ διαφορωτέρα τῆς ἄλλης. πλέεται δὲ εἰς πάντα ταῦτα τὰ πέραν ἐμπόρια, ἀπὸ μὲν αἰγύπτου, περὶ τὸν ἰούλιον μῆνα, ὅ ἐστιν ἐπιφί. ἐξαρτίζεται δὲ συνήθως, καὶ ἀπὸ τῶν ἔσω τόπων τῆς ἀριακῆς, καὶ βαρυγάζων, εἰς τὰ αὐτὰ τὰ πέραν ἐμπόρια, γίνη προχωροῦντα ἀπὸ τῶν τόπων σῖτος, καὶ ὄρυζα, καὶ βούτυρον, καὶ ἔλαιον σησάμινον, καὶ ὀθόνιον, ἥ τε μοναχὴ, καὶ ἡ σαγματογήνη, καὶ περιζώματα, καὶ μέλι τὸ καλάμινον, τὸ λεγόμενον σάκχαρι. καὶ οἱ μὲν προηγουμένως, εἰς ταῦτα τὰ ἐμπόρια πλέουσι. οἱ δὲ κατὰ τὸν παράπλουν, ἀντιφορτίζονται τὰ ἐμπεσόντα. οὐ βασιλεύεται δὲ ὁ τόπος, ἀλλὰ τυράννοις ἰδίοις, καθ' ἕκαστον ἐμπόριον διοικεῖται. ἀπὸ δὲ ὀπώνης, τῆς ἀκτῆς εἰς τὸν νότον ὑποχωρούσης ἐπὶ πλεῖον, πρῶτα μέν ἐστι τὰ λεγόμενα μικρὰ ἀπόκοπα καὶ μεγάλα τῆς ἀζανίας, διὰ ἀγκυροβολίων. ποταμὸς, ἐπὶ δρόμους ἕξ, παρ' αὐτὸν ἤδη τὸν λίβα. εἶτα αἰγιαλὸς καὶ μικρὸς καὶ μέγας, ἐπ' ἄλλους δρόμους ἕξ. καὶ μετ' αὐτὸν κατὰ τὸ ἑξῆς, οἱ τῆς ἀζανίας δρόμοι. πρῶτον μὲν, ὁ λεγόμενος σαραπίωνος. εἶθ' ὁ νίκωνος. μεθ' ὃν, ποταμοὶ πλείονες, καὶ ἄλλοι συνεχεῖς ὅρμοι, διῃρημένοι κατὰ σταθμοὺς καὶ δρόμους ἡμερησίους πλείους, τοὺς πάντας ἑπτὰ, μέχρι πυραλάων νήσων, καὶ τῆς λεγομένης διώρυχος. ἀφ' ἧς μικρὸν ἐπάνω τοῦ λιβὸς, μετὰ δύο δρόμους νυχθημέρους, παρ' αὐτὴν τὴν δύσιν εἰτενηδιομμενουθεσίας ἀπαντᾷ νῆσος ἀπὸ σταδίων τῆς γῆς ὡσεὶ τριακοσίων, ταπεινὴ καὶ κατάδενδρος. ἐν ᾗ καὶ ποταμοὶ, καὶ ὀρνέων γένη πλεῖστα, καὶ χελώνη ὀρεινή. θηρίων δὲ οὐδὲν ὅλως ἔχει, πλὴν κροκοδείλων· οὐδένα δὲ ἄνθρωπον ἀδικοῦσι. ἔστι δὲ ἐν αὐτῇ πλοιάρια ῥαπτὰ καὶ μονόξυλα, οἷς χρῶνται πρὸς ἁλίαν καὶ ἄγραν χελώνης. ἐν δὲ ταύτῃ τῇ νήσῳ, καὶ γυργάθοις αὐτὰς ἰδίως λινεύουσιν, ἀντὶ δικτύων καθιέντες αὐτοὺς περὶ τὰ στόματα τῶν προεχῶν. ἀφ' ἧς μετὰ δύο δρόμους τῆς ἠπείρου τὸ τελευταιότατον τῆς ἀζανίας ἐμπόριον κεῖται, τὰ ῥαπτὰ λεγόμενα. ταύτην ἔχον τὴν προσωνυμίαν, ἀπὸ τῶν προειρημένων ῥαπτῶν

rum paulò antea facta est mentio, deferuntur. Plurima quoque ibidem prouenit casia, aroma, moto, mancipia præstantia, quæ in Ægyptum plerunque deuehuntur, testudo plurima ac omnium præstantissima. In hæc autem emporia vlteriora ex Ægypto nauigatur mense Iulio, qui est Epiphi. Præterea ex intimis locis Ariaces, atque Barygazorum, in hæc eadem vlteriora emporia ex more solito deuehuntur variæ res, vt frumentum, oryza, butyrum, oleum sesaminum, othonium, monache, sagmatogene, cingula, mel arundineum, *(id est, ex arundinibus expressum)* quod saccarum dicitur. Et alii quidem data opera in hæc emporia nauigant. Alii verò præternauigantes obuiis quibusque rebus naues suas onerant. Non vni alicui regi illa regio est subiecta, sed singulis emporiis singuli tyranni præsunt. Post Oponam littore ad Austrum sese potissimùm extendente prima sese offerunt Apocopa parua, & magna Azaniæ, vti appellãtur, anchoris iaciendis, & figendis accommodata, necnon fluuii sex dierum spatio versus ipsum Affricum. Deinceps littus paruum & magnum, similiter sex dierum spatium cõplectuntur. Post illud verò sunt Azaniæ dromi ex ordine siti. Primus est, qui Sarapionis dicitur, deinde Niconis, post hunc plures sunt fluuii, atque portus, continui mansionibus atque dromis diurnis pluribus diuisi atque distincti, qui omninò septem sunt numero, ad insulas vsque Pyralaon, & locum qui noua fossa appellatur. Post quam paulò supra Affricum duorum dierum naturalium itinere interiecto ad Occasum Hitenediommenuthesias occurrit insula à continente distans circiter CCC. stadia, humilis atque depressa, vestita arboribus, in qua plurima flumina, & auium genera, testudo mõtana, ferarum omniũ expers, exceptis crocodilis, qui neminem lædunt. In eadem nauiculæ sunt plicatiles, siue consutiles, atque monoxylæ ex vno ligno confectæ, quibus ad piscandum, testudinésque capiendum vtuntur. In eadem insula sportis vimineis, quas retium loco iuxta mare ante cauernas demittunt, eas capere consueuerunt. Inde duos dromos abest vltimum in continenti Azaniæ emporium Rhapta, quod à consutilibus illis nauiculis sic nominatum, in

Ariace.
Barygaza.
Saccarum.
Apocopa parua & magna Azania.
Littus paruum & magnum.
Azaniæ dromi.
Sarapionis dromos.
Niconis dromos.
Insulæ Pyralaõ.
Fossa.
Hitenediommenuthesia insula.
Crocodili.
Rhapta empor.

quo est magna vis eboris, atque testudinum. Illius regionis incolæ vastissimis sunt corporibus, singuláque loca certos suos tyrannos habent, sed vniuersam hanc regionem, antiquo quodam iure, regno Arabiæ primæ subiectam, Mopharites tyrannus possidet atque gubernat. Præter regem autem tributaria est Muzæ incolis,

Mopharites tyrannus.

qui in eam naues onerarias mittunt per gubernatores atque ministros plærosque Arabas consuetudine illis affinitatéque iunctos, locorum, linguæque peritos. In emporia illa conuehuntur potissimum lanceæ, quæ in Muza propriè conficiuntur,

Muza.

necnon secures, gladioli, siue cultri, subulæ, denique omnis generis vasa vitrea. In nonnulla quoque loca non parum frumenti atque vini deportatur, non tam mercandi, atque negotiandi, quàm barbaris illi gratificandi causa. Ex iisdem lo-

Adulicũ ebur.

cis exportatur plurimum eboris, quod tamen Adulico illo est deterius, necnon rhinocerotis cornu, atque testudo post Indicam omnium præstantissima, denique parum nauplii. Atque hæc quidem

Azania.

ferè sunt vltima emporia Azaniæ, continentis eius, quæ est à dextris Berenices. Nam post hæc loca Oceanus nondum ad-

Oceanus.

huc inuestigatus, ad Occasum inflectitur, & auersis partibus Æthiopiæ, Libyæ, & Africæ versus Meridiem prætenta Occi-

Mare Occidentale.

dentali mari commiscetur. A sinistris Berenices post Muris portum duorum aut

Berenices dextra.

trium dierum interuallo ad ortum finitimum sinum nauigantibus, alius occurrit portus atque castrum, quod vicus Albus

Vicus albus.

Malihas rex Nabatæorum.

nominatur, per quem ad Maliham Nabatæorum regem aditus patet. Atque hoc ipsum castrum emporii loco est iis, qui ex Arabia cum non magnis nauibus in illud deferuntur. Quamobrem tum custodiæ, tum quartæ partis mercium, quæ importantur, recipiendæ causa centurio, illuc cum exercitu mittitur. Huic proxima at-

Arabica regio.

que finitima est Arabica regio, quæ secundum longitudinem multum sese extendit

Arabes.

ad mare rubrum. Hanc varia & multiplicia hominum genera incolunt, quorum alii quadam ex parte, alii verò omnino linguis à se inuicem discrepant. Ex his illi qui mare attingunt Ichthyophagorũ ritu sparsim in mandris (*id est, speluncis*) habitant.

πλοιαρίων, ἐν ᾧ καὶ πλεῖστος ἐστὶν ἐλέφας, καὶ χελώνη. μέγιστοι δὲ σώμασι περὶ ταύτην τὴν χώραν ἄνθρωποι ὁρᾶται, κατοικοῦσιν. καὶ κατὰ τὸν τόπον ἕκαστον ὁμοίως τιθέμενοι τυράννους. νέμεται δὲ αὐτὴν κατά τι δίκαιον ἀρχαῖον, ὑποπίπτουσαν τῇ βασιλείᾳ τῆς πρώτης γινομένης ἀραβίας, ὁ μοφαρείτης τύραννος. παρὰ δὲ τοῦ βασιλέως, ὑπόφορον αὐτὴν ἔχουσιν, οἱ ἀπὸ μούζα. καὶ πέμπουσιν εἰς αὐτὴν ἐφόλκια, τὰ πλείονα κυβερνήταις καὶ χρειακοῖς ἄραψιν, χρώμενοι τοῖς κατὰ συνήθειαν, καὶ ἐπιγαμβρείαν ἔχουσιν, ἐμπείροις τε οὖσι τῶν τόπων, καὶ τῆς φωνῆς αὐτῶν. εἰσφέρεται δὲ εἰς τὰ ἐμπόρια ταῦτα προηγουμένως, ἡ τοπικῶς ἐν μούζα κατασκευαζομένη λόγχη, καὶ πελύκια, καὶ μαχαίρια, καὶ ὀπήτια, καὶ λιθίας ὑαλῆς πλείονα γένη. εἰς δέ τινας τόπους, οἶνος τε καὶ σῖτος οὐκ ὀλίγος, οὐ πρὸς ἐργασίαν, ἀλλὰ δαπάνης χάριν, εἰς φιλανθρωπίαν τῶν βαρβάρων. ἐκφέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων, ἐλέφας πλεῖστος. ἧσσον δὲ, τοῦ ἀδουλιτικοῦ, καὶ ῥινόκερως, καὶ χελώνη διάφορος, μετὰ τὴν ἰνδικὴν, καὶ ναύπλιος ὀλίγος. καὶ σχεδὸν τελευταιότατά ἐστι ταῦτα τὰ ἐμπόρια τῆς ἀζανίας, τῆς ἐν δεξιοῖς ἀπὸ βερενίκης ἠπείρου. ὁ γὰρ μετὰ τούτους τοὺς τόπους ὠκεανὸς, ἀνερεύνητος ὢν, εἰς τὴν δύσιν ἀνακάμπτει, καὶ τοῖς ἀπεστραμμένοις μέρεσι τῆς αἰθιοπίας, καὶ λιβύης, καὶ ἀφρικῆς, κατὰ τὸν νότον παρεκτείνων, εἰς τὴν ἑσπέριον συμμίσγει θάλασσαν. ἐκ δὲ τῶν εὐωνύμων βερενίκης ἀπὸ μυὸς ὅρμου, δυσὶν δρόμοις ἢ τρισὶν εἰς τὴν ἀνατολὴν, διαπλεύσαντι τὸν παρακείμενον κόλπον, ὅρμος ἐστὶν ἕτερος. καὶ φρούριον, ὃ λέγεται λευκὴ κώμη. δι' ἧς ἐστὶν εἰς πέτραν πρὸς μαλίχαν βασιλέα ναβαταίων. ἔχει δὲ ἐμπορίου τινὰ καὶ αὐτὸ τάξιν, τοῖς ἀπὸ τῆς ἀραβίας ἐξαρτιζομένοις εἰς αὐτὴν, πλοίοις οὐ μεγάλοις. διὸ καὶ παραφυλακῆς χάριν, εἰς αὐτὴν παραλήπτης τῆς τετάρτης τῶν εἰσφερομένων φορτίων, καὶ ἑκατοντάρχης μετὰ στρατεύματος ἀποστέλλεται. μετὰ δὲ ταύτην, εὐθέως ἐστὶν συναφὴς ἀραβικὴ χώρα, κατὰ μῆκος ἐπὶ πολὺ παρατείνουσα τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ. διάφορα δὲ ἐν αὐτῇ ἔθνη κατοικεῖται. τινὰ μὲν ἐπὶ ποσὸν, τινὰ δὲ καὶ τελείως τῇ γλώσσῃ διαλλάσσοντα. τούτων τὰ παρὰ θάλασσαν ὁμοίως, ἰχθυοφάγων μάνδραις διείληπται.

τὰ

τὰ δὲ ἐπάνω, κατὰ κώμας καὶ νομαδίας οἰκεῖται πονηροῖς ἀνθρώποις διφώνοις. οἷς περιπίπτοντες ἀπὸ τοῦ μέσου πλόου, οἱ μὲν διαρπάζονται. οἱ δὲ καὶ ἀπὸ ναυαγίων σωθέντες, ἀνδραποδίζονται. διὸ καὶ συνεχῶς ἀπὸ τῶν τυράννων καὶ βασιλέων τῆς ἀραβίας αἰχμαλωτίζονται. λέγονται δὲ, κανραεῖται. καθόλου μὲν οὖν ἐστὶν ὁ τῆς ἀραβικῆς χώρας ἠπείρου παράπλους, ἐστὶν ἐπισφαλὴς, καὶ ἀλίμενος ἡ χώρα καὶ δύσορμος, καὶ ἀκάθαρτος, ῥαχίαις καὶ σπίλοις ἀπρόσιτος, καὶ κατὰ πάντα φοβερά. διὸ καὶ εἰσπλεόντων, μέσον πλοῦν κατέχομεν, καὶ εἰς τὴν ἀραβικὴν χώραν μᾶλλον παροξυνόμεν, ἄχρι τῆς κατακεκαυμένης νήσου. μεθ᾽ ἣν, εὐθέως ἡμέρων ἀνθρώπων, καὶ νομαδιαίων θρεμμάτων, καὶ καμήλων συνεχεῖς χῶραι, καὶ μετὰ ταύτας, ἐν κόλπῳ τῷ τελευταιοτάτῳ τῶν εὐωνύμων τούτου τοῦ πελάγους, ἐμπόριον ἐστὶν νόμιμον παραθαλάσσιον μούζα. σταδίους ἀπέχον τοὺς πάντας ἀπὸ βερενίκης, παρ᾽ αὐτὸν τὸν νότον πλεόντων, ὡς εἰς μυρίους δισχιλίους. τὸ μὲν ὅλον, ἀράβων, ναυκληρικῶν ἀνθρώπων καὶ ναυτικῶν. πλεονάζον δὲ, καὶ τοῖς ἀπὸ ἐμπορίας πράγματα κινεῖται. συγχρῶνται γὰρ τῇ τοῦ πέραν ἐργασίᾳ καὶ βαρυγάζων, ἰδίοις ἐξαρτισμοῖς. ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς ἀπὸ τριῶν ἡμερῶν πόλις σαυὴ, τῆς περὶ αὐτὴν μαφαρτίδος λεγομένης χώρας. ἔστιν δὲ τύραννος, καὶ κατοικῶν αὐτὴν, χόλαιβος. καὶ μετ᾽ ἄλλας ἐννέα ἡμέρας, ἀφὰρ μητρόπολις. ἐν ᾗ χαριβαὴλ, ἔνθεσμος βασιλεὺς ἐθνῶν δύο. τοῦ τε ὁμηρίτου, καὶ τοῦ παρακειμένου λεγομένου σαβαΐτου, συνεχέσι πρεσβείαις καὶ δώροις φίλος τῶν αὐτοκρατόρων. τὸ δὲ ἐμπόριον ἡ μοῦζα, ἀλίμενον μὲν, εὔσαλον δὲ καὶ εὔορμον, διὰ τὰ περὶ αὐτὴν ἀμμόγεια ἀγκυροβόλια. φορτία δὲ εἰς αὐτὴν προχωρεῖ. πορφύρα διάφορος, καὶ χυδαία, καὶ ἱματισμὸς ἀραβικὸς χειριδωτὸς, ὅ, τε ἁπλοῦς, καὶ ὁ κοινὸς, καὶ σκοτουλάτος, καὶ διάχρυσος, καὶ κρόκος, καὶ κύπερος, καὶ ὀθόνιον, καὶ ἀβόλλαι, καὶ λώδικες οὐ πολλαὶ, ἁπλοῖ τε καὶ ἐντόπιοι. ζῶναι σκιωταὶ, καὶ μύρον μέτριον, καὶ χρῆμα ἱκανόν. οἶνος τε καὶ σῖτος, οὐ πολύς. φέρεται γὰρ καὶ ἡ χώρα πυρὸν, μετρίως. καὶ οἶνον πλείονα. τῷ τε βασιλεῖ καὶ τῷ τυράννῳ, δίδονται ἵπποι τε καὶ

Superioris verò partis incolæ vicis atque pascuis distincti sunt, improbi homines, duplici lingua vtentes. In hos si qui ex medio nauigationis cursu forte incidunt, ab iis spoliantur, & ii, qui ex naufragio aliquo salui euaserunt, ab iisdem seruituti addicuntur. Quam ob causam assidue à tyrannis atque regibus Arabiæ in captiuitatem abripiuntur, qui Canraitæ dicuntur. *Canraitæ.* Ac omnino hæc Arabiæ continentis præternauigatio plena est periculi, regio enim est importuosa, infesta cautibus, atque scopulis inaccessa, horroris vbiq; plena. Quãobrem illac nauigantes per medium mare cursum tenemus, magnóque nisu Arabiã versus contendimus vsque ad insulam exustam. *Insula exusta.* Post hanc alia loca continua sequuntur, quæ inhabitant homines mansueti, atque ciuiles, pecorum & camelorum pastores. *Arabes pastores.* Post hæc in vltimo sinu sinistræ partis ipsius pelagi Muza est emporiũ maritimum *Muza emporiũ.* legitimum, quod à Berenice austrũ versus distat circiter duodecim millia stadiorum. Totum incolitur ab Arabibus nauticæ atq; maritimæ rei peritis. Plenum præterea est atque refertum mercaturã facientibus. Nã præterquam quòd transmarinis, atque Barygazenis negotiationibus vtantur, suas proprias merces habẽt. Supra hanc trium dierum interuallo est vrbs Saua circa quã *Saua vrbs.* est regio Maphartis dicta, *Maphartis regio.* cuius tyrannus est Cholæbus. *Cholæbus tyrannus.* Hanc nouem dierum itinere sequitur Aphar metropolis, *Aphar metropolis.* in qua sedẽ domiciliúmq; habet Charibael legitimus Homeritarum atque (qui hisce vicini sunt) Sabaitarũ rex, *Charibael rex. Homeritæ. Sabaitæ.* imperatorũ nostrorũ amicus, ad quos crebras legationes atque munera mittit. Emporiũ porrò Muzæ statione quidem caret, sed tamen commodum est ad quod naues appellere & in salo consistere possint ob loca quæ circa illud sunt, arenosa, in quibus facile anchoræ defiguntur. Merces autẽ, quæ in illud importãtur, sunt purpura eximia, & vilis (*siue vulgaris*) necnõ vestes Arabicæ manicatæ, & simplices, & cõmunes (*siue vulgares*) tam scutulatæ, quàm inauratæ. Itẽ crocus, cyperus, othoniũ, abollæ, lodices non multę, tum simplices, tũ illius loci propriæ, zonæ sciotæ (*siue vmbratiles*) vnguentũ mediocre, pecunię satis, vini atq; frumenti admodũ parũ. Fert enim regio illa frumenti copiã mediocrem, vini aliquãto maiorẽ. Regi siue tyrãno dan-

tur equi, muli clitellarii, vasa aurea, atque argentea cælata, vestes pretiosæ, ligna siue uasa ænea. Inde exportantur, quæ quidem ibi nascuntur, myrrha eximia, stacte abirminea, lygdus, denique omnes illæ merces suprà commemoratæ, quæ ex Aduli afferuntur. Tempus opportunum esse nauigandi est mense Septembri, quē Thod appellant, atque etiam citius. Post illud circiter c c c. stadia numero, coeunte iam in vnum continente Arabica, atque regione vlteriore Barbarica, quæ est iuxta Aualitem sinum, fretum est non admodum longum, quod ipsum pelagus in angustum cogit atque constringit: cuius sanè freti transitum intermedium sexaginta stadia Diodori insula intercipit. Quò fit, vt nauigationis iuxta illam insulam cursus vi ventorum ex vicinis montibus spirantium sit incitatior, maiorique impetu feratur. Propter hoc fretum maritimus est Arabum vicus Ocelis nomine, sub eadem tyrannide. Is verò non tam est emporium quàm portus, & aquatio, primúmque intrò nauigantium diuersorium. Post Ocelim aperiente se rursus mari versus ortum, ac paulatim in pelagus desinente circiter mille ducentorum stadiorum interuallo Fœlix est Arabia, vicus maritimus eiusdem Tharibaeltis regno subiectus, qui & portus commodiores, & aquationes dulciores habet, quàm Ocelis. Situs est in principio sinus post se regione relicta. Fœlix autem, quum prius fuisset vrbs, ideo est appellata, quod cùm nondum ex India in Ægyptum nauigaretur, neque ex Ægypto quisquam interiora Indiæ loca petere auderet, sed eò vsque tantùm procederetur, vtrorúmque tam Indorum, quàm Ægyptiorum merces ipsa recipiebat. Quemadmodum Alexandria & externas merces, & quæ ab Ægypto veniunt recipit. At verò paulò antè nostra tempora Cæsar eam destruxit. Arabiam fœlicem proximè sequitur littus oblongum, atq; sinus, qui plusquam duo M. stad. longitudine patet. Nomadū atq; Ichthyophagorū vicis refertus. Post illius littoris atque sinus promontorium in mare porrectū, aliud est emporiū mari vicinū Cana nomine in regno atq; ditione Eleazari, in regione thurifera, iuxta quod sunt insulæ duæ desertæ, quarū vna Auiū dicitur, altera Trullas c x x. stad. à Cana

Fretum Arabicum.

Diodori insula.

Ocelis vicus Arabum.

Arabia fœlix vicus.
Tharibaelis regio.

Cæsar Arabiam destruxit.

Littus oblōgum.
Nomades.
Ichthyophagi.

Cana emporiū.
Eleazari regio.
Thurifera regio.
Insula auium.
Trullas insula.

ἡμίονοι νωτηγοί, καὶ χρυσώματα, καὶ τορνευτὰ ἀργυρώματα, καὶ ἱματισμὸς πολυτελής, καὶ χαλκουργήματα. ἐξάγεται δὲ ἐξ αὐτῆς, ἐντόπια μὲν, σμύρνα ἐκλεκτή, καὶ στακτὴ ἀβειρμιναία, λύγδος, καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ πέραν ἀδουλεὶ προειρημένα φορτία πάντα. πλέεται δὲ εἰς αὐτὴν εὐκαίρως περὶ τὸν σεπτέμβριον μῆνα, ὅς ἐστι θώθ. οὐδὲν δὲ κωλύει, καὶ τάχιον. μετὰ δὲ ταύτην ὡσεὶ τριακοσίους παραπλεύσαντες σταδίους, ἤδη συνερχομένης τε τῆς ἀραβικῆς ἠπείρου, καὶ τῆς πέραν κατὰ τὸν αὐαλίτην βαρβαρικῆς χώρας, αὐλών ἐστιν οὐ μακρὸς, ὁ συνάγων καὶ εἰς στενὸν ἀποκλείων τὸ πέλαγος. οὗ τὸν μεταξὺ πόρον ἑξήκοντα σταδίων μεσολαβεῖ νῆσος ἡ διοδώρου. διὸ καὶ ῥοώδης, καταπνεόμενος ἀπὸ τῶν παρακειμένων ὀρῶν ἐστιν, ὁ κατ' αὐτὴν διάπλους. μετὰ τοῦτον τὸν ἰσθμὸν, παραθαλάσσιός ἐστιν ἀράβων κώμη τῆς αὐτῆς τυραννίδος, ὄκηλις. οὐχ οὕτως ἐμπόριον, ὡς ὅρμος, καὶ ὕδρευμα, καὶ πρώτη καταγωγὴ τοῖς ἔσω διαίρουσιν. μετὰ δὲ ὄκηλιν, ἀνοιγομένης πάλιν τῆς θαλάσσης εἰς ἀνατολὴν, καὶ κατὰ μικρὸν εἰς πέλαγος ἀποφαινομένης ἀπὸ σταδίων ὡς χιλίων διακοσίων, ἐστὶν εὐδαίμων ἀραβία, κώμη παραθαλάσσιος βασιλείας τῆς αὐτῆς θαριβαήλτος ὅρμους μὲν ἐπιτηδείους, καὶ ὑδρεύματα γλυκύτερα, κρεῖσσον τῆς ὀκήλεως ἔχουσα. ἤδη δὲ ἐν ἀρχῇ κόλπου κειμένη τῷ τὴν χώραν ὑποφεύγειν. εὐδαίμων δὲ ἐπεκλήθη πρότερον οὖσα πόλις, ὅτε μήπω ἀπὸ τῆς ἰνδικῆς εἰς τὴν αἴγυπτον ἐρχομένων, μηδὲ ἀπὸ αἰγύπτου τολμώντων εἰς τοὺς ἔσω τόπους διαίρειν, ἀλλ' ἄχρι ταύτης παραγινομένων, τοὺς παρὰ ἀμφοτέρων φόρτους ἀπεδέχετο. ὥσπερ ἀλεξάνδρεια, καὶ τῶν ἔξωθεν, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς αἰγύπτου φερομένων, ἀποδέχεται. νῦν δὲ οὐ πρὸ πολλοῦ τῶν ἡμετέρων χρόνων, καῖσαρ αὐτὴν κατεστρέψατο. ἀπὸ δὲ τῆς εὐδαίμονος ἀραβικῆς, ἐκδέχεται συναφὴς αἰγιαλὸς ἐπιμήκης, καὶ κόλπος, ἐπὶ δισχιλίους ἢ πλείονας παρήκων σταδίους. νομάδων τε καὶ ἰχθυοφάγων, κώμαις παροικουμέναις. οὗ μετὰ τὴν προέχουσαν ἄκραν, ἐμπόριόν ἐστιν ἕτερον παραθαλάσσιον, κανή. βασιλείας, ἐλεάζου. χώρας, λιβανωτοφόρου, καὶ κατ' αὐτὴν, ἔρημοι νῆσοι δύο. μία μὲν, ἡ τῶν ὀρνέων. ἡ δ' ἑτέρα, λεγομένη τρούλλας, ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν εἴκοσι

τῆς

τῆς κανῆς. ὑπέρκειται δὲ αὐτῆς μεσόγειος, ἡ μητρόπολις σαββαθὰ, ἐν ᾗ καὶ ὁ βασιλεὺς κατοικεῖ. πᾶς δ' ὁ γεννώμενος ἐν τῇ χώρᾳ λίβανος, εἰς αὐτὴν ὥσπερ ἐκδοχεῖον εἰσάγεται, καμήλοις τε, καὶ σχεδίαις ἐντοπίαις δερματίναις ἐξ ἀσκῶν, καὶ πλοίοις. ἔχει δὲ καὶ αὐτὴ σύγχρησιν, τῶν πέραν ἐμπορείων, βαρυγάζων, καὶ σκυθίας, καὶ ὀμάνων, καὶ τῆς παρακειμένης περσίδος. εἰσάγεται δὲ εἰς αὐτὴν, ἀπ' αἰγύπτου μὲν ὁμοίως πυρὸς ὀλίγος καὶ οἶνος, ὥσπερ καὶ εἰς μούζα. ἱματισμὸς ἀραβικὸς ὁμοίως, καὶ κοινὸς καὶ ἁπλοῦς, καὶ ὁ νόθος, περισσότερος. καὶ χαλκὸς, καὶ κασσίτερος, καὶ κοράλλιον, καὶ στύραξ, καὶ τὰ λοιπὰ, ὅσα εἰς μούζα. τὰ πλείονα δὲ, ἀργυρώματα τετορευμένα, καὶ χρήματα τῷ βασιλεῖ. ἵπποι δὲ, καὶ ἀνδριάντες, καὶ ἱματισμὸς διάφορος, ἁπλοῦς. ἐξάγεται δὲ ἐξ αὐτῆς, ἐντόπια μὲν φορτία, λίβανος, καὶ ἀλόη. τὰ δὲ λοιπὰ, κατὰ μετοχὴν τῶν ἄλλων ἐμπορείων. πλεῖται δὲ εἰς αὐτὴν περὶ τὸν αὐτὸν καιρὸν, ὃν καὶ εἰς μούζα, προϊμώτερον δέ. μετὰ δὲ κανὴν τῆς γῆς ἐπὶ πλεῖον ὑποχωρούσης, ἄλλος ἐκδέχεται βαθύτατος κόλπος ἐπὶ πολὺ παρεκτείνων, ὁ λεγόμενος σαχαλίτης. καὶ χώρα λιβανωτοφόρος. ὀρεινὴ δὲ καὶ δύσβατος, ἀέρα παχὺν ἔχουσα καὶ ὀμιχλώδη, καὶ τῶν δένδρων φερόμενον τὸν λίβανον. ἔστιν δὲ τὰ δένδρα τὰ λιβανοφόρα, οὐ μεγάλα λίαν οὐδὲ ὑψηλά. φέρει δὲ ἐπὶ τῷ φλοιῷ πησσόμενον τὸν λίβανον, ὥς τινα καὶ τῶν παρ' ἡμῖν ἐν αἰγύπτῳ δένδρων δακρύει τὸ κόμμι. μεταχειρίζεται δὲ ὁ λίβανος, ὑπὸ δούλων βασιλικῶν, καὶ τῶν ἐπὶ τιμωρίᾳ πεμπομένων. ἐπίνοσοι δὲ δεινῶς, οἱ τόποι. καὶ τοῖς μὲν παραπλέουσι, λοιμικοί: τοῖς δὲ ἐργαζομένοις, πάντοτε θανατώδεις. ἔτι δὲ καὶ διὰ τὴν ἔνδειαν τῆς τροφῆς, εὐχερῶς ἀπολλύμενοι. τοῦτο δ' ἐστὶν ἀκρωτήριον τοῦ κόσμου μέγιστον, ἀποβλέπον εἰς ἀνατολὴν, ὁ καλούμενος σύαγρος. ἐφ' οὗ, φρούριόν ἐστι τῆς χώρας, καὶ λιμὴν, καὶ ἀποθήκη τοῦ συναγομένου λιβάνου. καὶ κατὰ τοῦτον ἐν τῷ πελάγει, νῆσος, ἀνὰ μέσον τούτου, καὶ τοῦ πέραν ἀκρωτηρίου τῶν ἀρωμάτων, τῷ συάγρῳ συνορίζουσα μᾶλλον, ἡ διοσκορίδου καλουμένη. μεγίστη μὲν, ἔρημος δὲ καὶ κάθυγρος. ἔχουσα ποταμοὺς ἐν αὐτῇ, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἐχίδνας πλείστας, καὶ

à Cana distans. Supra hanc Sabbatha metropolis mediterranea sita est, in qua rex sedem suam habet. In hanc thus, quod in regione illa nascitur, ceu commune quoddam receptaculum partim camelis, partim ratibus quibusdam vernaculis pelliceis, quæ ex vtribus confectæ sunt, partim denique aliis nauibus, conuehitur. Ipsa porrò vtitur emporiis, quæ vltrà sunt, Barygazorum, Omanorum, Scythiæ, atque Persidis vicina. In illam inuehitur ex Ægypto parum frumenti, atque vini, non secus atque in Muzam. Item vestes Arabicæ, communes, simplices, & maxima ex parte quidem adulterinæ. Præterea æs, stamnum, coralium, styrax, & reliqua quæ etiam in Muzam. Plæraque autem quæ regi mittuntur sunt vasa argentea, cælata, pecuniæ siue nummi, equi, statuæ, vestes tum nobiles, tum vulgares. Inde verò exportantur merces quædam, quæ ibidem generantur, vt thus, aloë, & aliæ quas habent ex aliorum emporiorũ communione. Eodem ferè tempore illuc nauigatur quo Muzam, sed aliquantò maturius. Post Canam magno spatio mari retrocedente, alius profundissimus sinus sequitur longo tractu extensus, qui Sachalites nuncupatur. Regio est thurifera, montana, aditu accessúque difficilis, aëre crasso atque nubilo, ex arboribus thus producens. Arbores illæ thuriferæ non admodum magnæ sunt atque proceræ ipsúmque thus producunt, in cortice concretum, quemadmodum apud nos in Ægypto nonnullis ex arboribus gummi lachrymarum instar promanat. Thus illud à regiis seruis, atque suppliciis addictis tractatur atque colligitur. Loca sunt mirum in modũ insalubria, vt & illos qui tantũ præteruehuntur, peste inficiãt, & operariis illis certam mortẽ afferant. Adde, quòd multi ob victus penuriã facillimè intereunt. Atq; hoc quidẽ mundi maximũ est promontoriũ ad ortum spectans Syagros appellatum, in quo regionis illius castrum est & portus, thurísque collecti receptaculũ. Inter hoc ipsum promõtorium in alto, & alterum quod ei è regione oppositum est Aromatum, insula quædam Dioscoridis dicta interiacet, Syagro aliquanto propior, amplissima quidẽ, verùm deserta & palustris. Abundat illa fluminibus, crocodilis, viperis plurimis,

Sabbatha metropolis.
Barygaza.
Omana.
Scythia.
Persis.
Sachalites sinus.
Thurifera regio.
Thuriferæ arbores.
Syagros promontorium.
Dioscoridis insula.

lacertis denique maximis, quorum carnibus quidem vescuntur, pinguedine verò colliquata, olei vice vtuntur. Nullas fert neque vites, neque frumentum, illiúsque incolæ pauci admodũ numero in vno tantum insulæ latere Aparcti versus, habitant quâ continentem spectat. Habitantes aduenæ sunt ex Arabibus, Indis, Græcis quoque nonnullis mercaturæ faciendæ causa eò cõfluentibus conflati. Fert illa insula testudinem, & veram, & terrestrem, & albã. Ad hæc plurimam excellentem, maiusculis testis præditam. Item montanam ingentis magnitudinis, quæ crassissimam testam habet: cuius eæ quidem partes, quæ sunt iuxta ventrem fuluæ, ob duritiem suam sectionem non admittunt. Ex illa itaque tota & integra arcas, capsulas, pugillares tabellas, atque alia huiusmodi conficiunt. *Cinnaberi Indicum.* In eadem gignitur cinnaberi quod Indicum dicitur, quod lachrymarum instar ex arboribus emanans colligi solet. Quemadmodum autem, vt suprà dictum est, Azania est sub imperio Charibaelis, atque *Mapharitæ.* Mapharitæ tyranni, ita hæc insula subiecta est regi *Eleazus tyrannus.* vniuersæ regionis thuriferæ qui est Eleazus. In eadem porrò Muzenses nonnulli mercaturam faciunt, & quicũque per Limyricam, atque Barygaza nauigãtes forte fortuna in eam incidunt. Oryzam, frumentum, linum Indicum, mancipia fœminea, quæ raró eò deferuntur, ibi vendunt, & vicissim naues suas plurima testudine onerant. Hodie insula illa à regibus mercede elocata præsidiisq; munita custoditur. Syagrum proximè attingit sinus, versus conti- *Omana sinus.* nentem, Omana, valde profundus: cuius *Montes alti.* trãsitus D C. stad. patet. Post eum D. stadiorũ spatio mõtes sunt alti, petrosi, prerupti hominum in speluncis habitantium. Deinceps sequitur portus nobilis, aptus ad thus *Moscha portus.* Sachaliticum conuehendum, qui Moscha portus dicitur. In hũc à Cana naues quedã mitti solent, quæque à Limyrica, aut Barygazis veniũt eò deferuntur, sero anni tẽpore hyemẽ ibi traducentes, à regiis ministris thus recipiunt & exportãt, cũ quibus othonium, frumentũ, atque vinũ cõmutant. Per vniuersum autem illum sinum Sachaliticũ thus in vnũ quendã cumulũ congestũ, sine *Thuris custodia diuina.* vlla est custodia, diis nimirũ quadã sua virtute locũ illũ tutãtibus. Nã neq; clàm, neq; apertè sine ipsius regis ꝑmissione ac potestate

σαύρας ὑπερμεγέθεις, ὧν τὸ κρέας ἐσθίουσι, τὸ δὲ λίπος τήκουσι, καὶ ἀντ' ἐλαίου χρῶνται. καρπὸν δὲ οὔτε ἀμπέλου, οὔτε σίτου, ἡ νῆσος φέρει. οἱ δὲ ἐνοικοῦντες αὐτὴν ὀλίγοι, κατὰ μίαν πλευρὰν τῆς νήσου τῆς πρὸς ἀπαρκτίαν οἰκοῦσι, καθὸ μέρος ἀποβλέπει τὴν ἤπειρον. εἰσὶν δὲ ἐπίξενοι καὶ ἐπίμικτοι, ἀράβων τε καὶ ἰνδῶν, καὶ ἔτι ἑλλήνων τῶν πρὸς ἐργασίαν ἐκπλεόντων. φέρει δὲ ἡ νῆσος χελώνην, τήν τε ἀληθινὴν καὶ χερσαίαν, καὶ τὴν λευκήν. πλείστην δὲ καὶ διάφορον, καὶ τοῖς ὀστράκοις μείζοσιν: τήν τε ὀρεινὴν, ὑπερμεγέθη, καὶ παχύτατον ὄστρακον ἔχουσαν. οὗ τὰ παρὰ τὴν κοιλίαν μέρη τὰ ἐγχρήζοντα, τομὴν οὐκ ἐπιδέχεται, καὶ πυρρότερα ὄντα. ὁλοτελῶς δὲ τὰ εἰς γλωσσόκομα καὶ πινακίδια καὶ μαγίδια ἐγχρήζοντα, καὶ τοιαύτην τινὰ χρῆσιν κατατέμνεται. γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ καὶ κιννάβαρι, τὸ λεγόμενον ἰνδικὸν, ἀπὸ τῶν δένδρων ὡς δάκρυ συναγόμενον. ὑποπίπτει μὲν οὖν ὥσπερ ἡ ἀζανία, χαριβαὴλ, καὶ τῷ μαφαρείτῃ τυράννῳ, καὶ ἡ νῆσος αὐτῷ τῷ βασιλεῖ τῆς λιβανωτοφόρου. συνεχρήσαντο δὲ αὐτῇ καὶ ἀπὸ μούζα τινὲς, καὶ τῶν ἐκπλεόντων διὰ λιμυρικῆς καὶ βαρυγάζων, ὅσοι κατὰ τύχην εἰς αὐτὰς ἐπιβάλλοντες, ὄρυζάν τε καὶ σῖτον καὶ ὀθόνην ἰνδικὴν ἀντικαταλλασσόμενοι, καὶ σώματα θηλυκὰ διὰ σπάνιν ἐκεῖ προχωροῦντα, χελώνην ἀντεφορτίζοντο πλείστην. νῦν δὲ, ὑπὸ τῶν βασιλέων ἡ νῆσος ἐκμεμίσθωται, καὶ παραφυλάσσεται, μετὰ δὲ τὸν σύαγρον, κόλπος ἐστὶν συναφὴς, ἐπὶ βάθος ἐνδύνων εἰς τὴν ἤπειρον ὄμανα. σταδίους ἔχων ἑξακοσίους, τὸ διαπέραμα. καὶ μετ' αὐτὸν ὑψηλὰ ὄρη πετρώδη καὶ ἀπόκοπα ἀνθρώπων ἐν σπηλαίοις κατοικούντων, ἐπὶ σταδίους ἄλλους πεντακοσίους. καὶ μετ' αὐτοὺς, ὅρμος ἀποδεδειγμένος τοῦ σαχαλίτου λιβάνου πρὸς ἐμβολὴν, μόσχα λιμὴν λεγόμενος. εἰς ἣν ἀπὸ κανὴ, συνήθως πλοῖα πέμπεταί τινα. καὶ παραπλέοντα ἀπὸ λιμυρικῆς ἢ βαρυγάζων, ὀψινοῖς καιροῖς παραχειμάσαντα, παρὰ τῶν βασιλικῶν πρὸς ὀθόνιον καὶ σῖτον καὶ ἔλαιον, λίβανον ἀντιφορτίζουσιν. παρ' ὅλον δὲ τὸν σαχαλίτην χώματι κειμένῳ καὶ ἀφυλάκτῳ, δυνάμει θεῶν τινι, τοῦτον τὸν τόπον ἐπιτηρούντων. οὔτε γὰρ λάθρα, οὔτε φανερῶς, χωρὶς βασιλικῆς δόσεως εἰς πλοῖον ἐμβλη-

βληθῆναι δύναται. καὶ χόνδρον τίς ἄρῃ, οὐ δύναται πλεῦσαι τὸ πλοῖον ἀπὸ δαίμονος. δίχα λιμένος, ἐπ' ἄλλοις σταδίοις ὡς χιλίους πεντακοσίους, ἕως ἀσίχωνος ἄχρι τῆς γῆς παρατείνει. καὶ κατὰ τὸ ἀπολῆγον αὐτοῦ μέρος, ἑπτὰ νῆσοι πρόκεινται κατὰ τὸ ἑξῆς, αἱ ζηνοβίου λεγόμεναι. μεθ' ἃς ἄλλη παράκειται χώρα βάρβαρος, οὐκ ἔτι τῆς αὐτῆς βασιλείας, ἀλλ' ἤδη τῆς περσίδος. ἣν ἀφ' ὕψους παραπλέοντι ὡς σταδίους δισχιλίους ἀπὸ τῶν ζηνοβίου, συναντᾷ νῆσος σαράπιδος λεγομένη, ἀπὸ σταδίων τῆς γῆς ὡσεὶ ἑκατὸν εἴκοσι. ταύτης τὸ μὲν πλάτος ἐστὶν, ὡσεὶ σταδίων διακοσίων. οἰκεῖται δὲ κώμαις τρισὶν, καὶ ἀνθρώποις ἱερεῦσι ἰχθυοφάγων. γλώσσῃ δὲ ἀραβικῇ χρῶνται, καὶ περιζώμασι φύλλων κουκίνων. ἔχει δὲ ἡ νῆσος, χελώνην ἱκανὴν, καὶ διάφορον. ἐξαρτίζουσι δὲ εἰς αὐτὴν συνήθως οἱ ἀπὸ κανῆς, σκάφας καὶ ἐφόλκια. περικολπίζοντι δὲ τὴν ἐχομένην ἤπειρον, εἰς αὐτὴν τὴν ἄρκτον ἤδη περὶ τὴν εἰσβολὴν τῆς περσικῆς θαλάσσης, κεῖνται νῆσοι πλεόμεναι. καλαίου λεγόμεναι νῆσοι. σχεδὸν ἐπὶ σταδίους δισχιλίους, παρεσταμέναι τῇ χώρᾳ. πονηροὶ δὲ οἱ κατοικοῦντες αὐτὴν ἄνθρωποι, καὶ ἡμέρας οὐ πολύ τι βλέποντες. περὶ δὲ τὴν ἐσχάτην κεφαλὴν τῶν παπίου νήσων, καὶ τὸ λεγόμενον καλὸν ὄρος, ἐκδέχεται μετ' οὐ πολὺ τὸ στόμα τῆς περσικῆς. καὶ πλεῖσται κολυμβήσεις εἰσὶν, τοῦ πινικίου κόγχου. τούτου δὲ τοῦ στόματος ἐκ τῶν εὐωνύμων, ἐστὶν ὄρη μέγιστα λεγόμενα σαβώ. ἐκ δὲ τῶν δεξιῶν, ἄντικρυς ἀφορώμενον ἄλλο στρογγύλον ὑψηλὸν, τὸ σεμιράμεως λεγόμενον. καὶ μέσος αὐτὸς ὁ διάπλους τοῦ στόματος, ὡς σταδίους ἑξακοσίους. δι' οὗ μέγιστος καὶ πλατύτατος εἰς τοὺς ἐσωτάτους τόπους, ὁ περσικὸς κόλπος ἀναχεῖται. καθ' ὃν ἐν τοῖς ἐσχάτοις αὐτοῦ μέρεσιν, ἐμπόριόν ἐστιν νόμιμον, λεγόμενον ἡ ἀπολόγου, κειμένη κατὰ πασίνου χάραν, καὶ ποταμὸν εὐφράτην. παραπλεύσαντι δὲ τοῦτο τὸ στόμα τοῦ κόλπου, μεθ' δρόμους ἕξ, ἕτερον ἐμπόριον ἐστὶν τῆς περσίδος, ἡ λεγομένη ὄμμανα. ἐξαρτίζεται δὲ εἰς αὐτὴν συνήθως. ἀπὸ μὲν βαρυγάζων εἰς ἀμφότερα ταῦτα τῆς περσίδος ἐμπόρια, πλοῖα μεγάλα, χαλκοῦ καὶ ξύλων σαγαλίνων, καὶ δοκῶν καὶ κεράτων, καὶ φαλάγγων σησαμίνων καὶ ἐβενίνων. εἰς δὲ τὴν ὄμανα, καὶ ἀπὸ κανῆ λίβανος. καὶ ἀπὸ ὀμάνων εἰς τὴν ἀραβίαν, ἐν τόπια ῥαπτὰ πλοιάρια τὰ λεγόμενα, μαδαράτε. εἰσφέρεται δὲ ἀπὸ ἑκατέρων τῶν ἐμπορίων, εἴς τε βαρύγαζαν καὶ εἰς ἀραβίαν, πινικὸν πολὺ μὲν,

ſtate in naues importari poteſt: ita vt ſi quis vel granum ſuſtulerit, atque naui impoſuerit, illa à Dæmone nimirum quodam retēta, minimè inde poſſit à portu ſoluere. Hinc rurſus ſtad. circiter M. D. ſpatio regio illa vſque ad Aſichonem, ad terram vſque extēditur cuius *Aſichon.* in extrema ora ſeptē inſulæ ex ordine iacent Zenobii dictæ: poſt quas alia regio Barbara, *Zenobij inſulæ.* quæ non ad idem regnum, ſed ad Perſidem pertinet. Hanc vbi ex ſupernis locis prætervectus fueris circiter duo M. ſtad. à Zenobii inſulis, alia occurrit inſula Sarapidos nūcupata, *Sarapidis inſula.* quæ à terra circiter C XX. ſtad. abeſt latitudine ferè C C. ſtad. In ea ſunt tres vici, cuius incolæ ſacerdotes Ichthyophagorū. Lingua *Ichthyophagorum ſacerdotes.* vtuntur Arabica, cingulis confectis ex foliis Cucinis pudenda tegunt. Habet inſula teſtudinem ſatis copioſam, & eximiam. Canenſes in illam ſcaphas, nauéſque onerarias importare conſueuerunt. In ſinu autem continētis vicinæ, ad Septētriones, propè oſtium maris *Oſtium maris Perſici.* Perſici inſulæ iacent ad quas nauigatur, Calæi inſulæ dictæ, quæ ferè duo M. ſtad. inter- *Calæi inſulæ.* uallo à cōtinente ſunt diſiunctæ. Illius incolę homines ſunt improbi, quiq; interdiu parū admodum acutè cernunt. Circa extremū verò caput inſularum Papiæ, & montē Pulchrū *Papiæ inſulæ.* cognominatū ſequitur nō multò poſt ipſum *Mōs Pulcher.* os maris Perſici, vbi plurimæ ſunt oſtrei pinicii colymbeſes, hoc eſt, piſcationes, quæ vri- *Oſtiū Perſici maris.* nādo fiunt. A ſiniſtris huius freti mōtes ſunt *Margaritarū piſcationes.* maximi Sabo nuncupati. A dextris autem è *Sabo montes.* regione alius mons rotundus & altus, qui Semiramis mons dicitur. Ipſius præterea freti *Semiramis mons.* tranſitus medius latus circiter D C. ſtadia, per quem maximus atq; latiſſimus ſinus Perſicus *Perſicus ſinus.* in intima loca effunditur. Huius in extremis partibus emporium iuſtū ac celebre, Apologi nominatum, non procul à Paſini regione *Apologi emporium.* propter Euphratem ſitum eſt. Eiuſdem porrò *Paſini regio.* ſinus oſtium præternauiganti ſex dierum in- *Euphrates.* teruallo aliud Perſidis emporium occurrit, quod Ommana vocant, in quod ſolito more *Ommana emporium.* nauigatur. Ex Barygazis quidem in vtrumq; hoc Perſidis emporiū nauigatur cū magnis nauibus onuſtis ęre, lignis Sagalinis, trabibus, cornu, phalāgis, Seſaminis, atq; Ebeninis. In Ommana etiam à Cana thus affertur. Ab Ommanis in Arabiam deuehuntur nauiculę conſutiles, quæ in illo loco cōficiuntur, quas Madaratas appellāt. Porrò ex vtriſq; illis em- *Naues Madaratæ.* poriis in Barygazā, & in Arabiā pinici multū

quidem sed Indico deterius importatur, nec non purpura, vestis quæ ibi fit, vinum, palma plurima, aurum, mancipia. Post Ommanitidem regionem iuxta ipsam viam sinus sequitur Terabdon nominatus, qui sub alio est regno in cuius medio sinus dilatatur. Propter hunc fluuius est nauibus recipiendis aptus, cuius in ostio exiguum est emporiũ Horæa dictum, iuxta quod ciuitas sita est mediterranea septẽ dierum itinere à mari distans, vbi sedes est regia. Regio illa feracissima est frumenti, vini, oryzæ, palmarum. In continente autem nihil aliud nascitur quam bdellium. Hanc regionem continente iam ob sinuum profunditatem ab ortu veluti in cornua excurrẽte, séque incuruante, excipiunt maritimæ partes Scythiæ Boream versus sitę admodum humiles. Ex quibus erumpit Sinthus fluuius, maris rubri fluuiorũ omniũ maximus, copiosissima aquarum vi in mare sese exonerans. Quò fit, vt longo admodum spatio in alto mari, antequam regionẽ attingas, aqua ex illo fluuio candida occurrat. Præterea illi qui ex alto veniunt hoc potissimùm signo deprehẽdunt se regionem illam attigisse, si nimirum serpentes ex profundo obuii fiant. Locorum enim superiorum & eorum, quæ sunt circa Persidem notę, atque indicia sunt Graæ sic ab illis appellatæ. Septẽ sunt istius fluminis ostia, sed exilia admodũ atq; palustria, ita vt nõ sint nauigabilia excepto medio, in quo etiã maritimũ est emporiũ Barbaricũ, cui opposita est insula parua, & à tergo metropolis Scythiæ mediterranea, Minnagar nominata. Parthorũ est subiecta imperio, qui assiduè mutuò sese inde expellũt: Naues itaq; diuersis locis Barbarici emporii portũ subeũt: merces verò oẽs per fluuium ipsi regi in metropolim adferuntur. In emporiũ illud vestiũ simplicium quidẽ multum, adulterinarum autẽ parum importatur. Adhęc Polymita, chrysolithus, coralliũ, styrax, thus, vasa vitrea, argentum cęlatũ, numismata. Vinũ non multũ. Contrà exportatur costus, bdelliũ, lyciũ, nardus, lapis calleanus, sapphyrus, sericæ pelles, othoniũ, filũ sericũ, Indicum nigrũ. Eò nauigãt cũ Indicis mercibus mense Iulio, qui ipsis est Epiphi Nauigatio hæc difficiles quidem habet accessus, at pronior est, & breuior. Post Sinthũ fluuiũ alius est sinus versus boreã obscurus, difficilisque visu, qui Irinoa appellatur: qui vna ex parte magnus, ex altera par-

Ommanitis regio.
Terabdon sinus.
Horæa emporium.
Scythiæ partes maritimæ.
Sinthus fl.
Serpentes obuij continẽtis signum.
Graæ.
Indi ostia septem.
Barbaricum empor.
Insula parua.
Minnagar.
Parthi.
Irinus sinus.

χεῖρον δὲ τοῦ ἰνδικοῦ, καὶ πορφύρα, καὶ ἱματισμὸς ἐντόπιος, καὶ οἶνος, καὶ φοῖνιξ πολύς, καὶ χρυσός, καὶ σώματα. μετὰ δὲ τὴν ὀμανιτικὴν χώραν ὁμοίως, ἡ παρ' ὁδὸν παράκειται βασιλείας ἑτέρας καὶ κόλπος τῶν τεράβδων λεγόμενος· οὗ κατὰ μέσον εἰς τὸν κόλπον παρανατείνει. καὶ παρ' αὐτὸν, ποταμός ἐστιν ἔχων εἰσαγωγὴν πλοίοις. καὶ μικρὸν ἐπὶ τοῦ στόματος ἐμπόριον, ὡραῖα λεγόμενον. καὶ κατ' αὐτὸν, μεσόγειος πόλις, ἀπέχουσα ὁδὸν ἡμερῶν ἑπτὰ ἀπὸ θαλάσσης. ἐν ᾗ καὶ βασιλεία ἡ λεγομένη. φέρει δὲ ἡ χώρα σῖτον πολὺν, καὶ οἶνον, καὶ ὄρυζαν καὶ φοίνικα. πρὸς δὲ τὴν ἤπειρον οὐδὲν ἕτερον, ἢ βδέλλα. μετὰ δὲ ταύτην τὴν χώραν, ἤδη τῆς ἠπείρου διὰ τὸ βάθος τῶν κόλπων ἐκ τῆς ἀνατολῆς ὑπερκερώσης, ἐκδέχεται παραθαλάσσια μέρη τῆς σκυθίας. παρ' αὐτὸν κείμενα τὸν βορέαν ταπεινὰ λίαν. ἐξ ὧν ποταμὸς σίνθος, μέγιστος τῶν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ποταμῶν. καὶ πλεῖστον ὕδωρ ἐς θάλασσαν ἐκβάλλων, ὥστε ἄχρι πολλοῦ (καὶ πρὶν ἢ συμβάλῃ τῇ χώρᾳ) εἰς τὸ πέλαγος ἀπαντᾶν ἀπ' αὐτοῦ λευκὸν ὕδωρ. σημεῖον δὲ, ἤδη τῆς περὶ αὐτὴν χώραν ἐπιβολῆς, τοῖς ἐκ πελάγους ἐρχομένοις, οἱ προαπαντῶντες ὄφεις ἐκ τοῦ βάθους. τῶν γὰρ ἐπάνω καὶ περὶ τὴν περσίδα τόπων σημεῖον ἐστὶν αἱ λεγόμεναι γραίαι. ἑπτὰ δὲ οὗτος ὁ ποταμὸς ἔχει στόματα. λεπτὰ δὲ ταῦτα, καὶ τεναγώδη. καὶ τὰ μὲν ἄλλα, διάπλουν οὐκ ἔχει. μόνον δὲ τὸ μέσον, ἐφ' οὗ καὶ τὸ παραθαλάσσιον ἐμπόριόν ἐστιν βαρβαρικόν. πρόκειται δὲ αὐτοῦ, νησίον μικρόν. καὶ κατὰ νώτου μεσόγειος, ἡ μητρόπολις αὐτῆς τῆς σκυθίας μινναγάρ. βασιλεύεται δὲ ὑπὸ πάρθων, συνεχῶς ἀλλήλους ἐκδιωκόντων. τὰ μὲν οὖν πλοῖα κατὰ τὴν βαρβαρικὴν διορμίζονται. τὰ δὲ φορτία πάντα, εἰς τὴν μητρόπολιν ἀναφέρεται διὰ τοῦ ποταμοῦ τῷ βασιλεῖ. προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον, ἱματισμὸς ἁπλοῦς ἱκανὸς, καὶ νόθος, οὐ πολύς. πολύμιτα, καὶ χρυσόλιθον, καὶ κοράλλιον, καὶ στύραξ, καὶ λίβανος, καὶ ὑαλᾶ σκεύη, καὶ ἀργυρώματα, καὶ χρῆμα. οἶνος δὲ, οὐ πολύς. ἀντιφορτίζεται δὲ, κόστος, βδέλλα, λύκιον, νάρδος, καὶ καλλεανὸς λίθος, καὶ σάπφειρος, καὶ σηρικὰ δέρματα, καὶ ὀθόνιον, καὶ νῆμα σηρικὸν, καὶ ἰνδικὸν μέλαν. ἀνάγονται δὲ καὶ αὐτοὶ οἱ πλέοντες μετὰ τῶν ἰνδικῶν, περὶ τὸν ἰούλιον μῆνα. ὅς ἐστιν ἐπιφί. δυσεπίβολος μὲν, ἐπιφορώτατος δὲ ἐκείνων καὶ συντομώτερος ὁ πλοῦς. μετὰ δὲ τὸν σίνθον ποταμὸν, ἕτερός ἐστιν κόλπος ἀθεώρητος παρὰ τὸν βορέαν. ὀνομάζεται δὲ εἰρινόν. ἐπιλέγεται δὲ ὁ μὲν μικρὸν,

ὁ δὲ

ὁ δὲ μέγα. πελάγη δέ ἐστιν ἀμφότερα τεναγώδη, καὶ δίνας ἐλαφρὰς ἔχοντα καὶ συνεχεῖς, καὶ μακρὰς ἀπὸ τῆς γῆς. ὡς πολλάκις τῆς ἠπείρου μηδὲ βλεπομένης, ἀποκέλλειν τὰ πλοῖα. ἐνδοτέρω δὲ περιληφθέντα, καὶ ἀπολλύμενα. τούτου δὲ ὑπερήκει τοῦ κόλπου, ἀκρωτήριον ἐπικαμπὲς ἀπὸ τοῦ ὅρμου, μετὰ τὴν ἀνατολὴν καὶ τὸν νότον, ὡς εἰς τὴν δύσιν, ἐμπεριλαμβάνων αὐτὸν τὸν κόλπον, λεγόμενον βαράκης, νήσους ἑπτὰ ἐμπεριειλημμένος. οὗ περὶ μὲν τὰς ἀρχὰς οἱ περιπεσόντες, ὀλίγον ὀπίσω καὶ εἰς τὸ πέλαγος ἀναδραμόντες, ἐκφεύγουσιν. οἱ δὲ εἰς αὐτὴν κατακλεισθέντες τὴν τοῦ βαράκου κοιλίαν, ἀπόλλυνται. τό, τε γὰρ κῦμα, μέγα καὶ βαρὺ λίαν. ἡ δὲ θάλασσα, ταραχώδης, καὶ θολερά, καὶ δίνας ἔχουσα, καὶ ῥοώδεις εἰλίγγους. ὁ δὲ βυθός, ἔν τισι μὲν ἀπόκοπος, ἔν τισιν δὲ πετρώδης καὶ ἀπόξυρος, ὥς τε τέμνεσθαι τὰς παρακειμένας ἀγκύρας, αὐτέχειν ἀποκοντουμένας: ἃς δὲ καὶ συντριβομένας ἐν τῷ βυθῷ. σημεῖον δὴ αὐτοῖν τοῖς ἀπὸ πελάγους ἐρχομένοις, οἱ προσαπαντῶντες ὄφεις ὑπερμεγέθεις καὶ μέλανες. ἐν γὰρ τοῖς μετὰ ταῦτα τόποις, καὶ τοῖς περὶ βαρύγαζαν, μικρότεροι καὶ τῷ χρώματι χλωροὶ καὶ χρυσίζοντες ὑπαντῶσι. μετὰ δὲ τὸν βαράκην, εὐθύς ἐστιν ὁ βαρυγάζων κόλπος. καὶ ἡ πρὸς τῆς ἀριακῆς χώρας τῆς μαμβάρου βασιλείας ἀρχή, καὶ τῆς ὅλης ἰνδικῆς οὖσα. ταύτης, τὰ μὲν μεσόγεια τῆς σκυθίας, συνορίζοντα ἰβηρίᾳ. καλεῖται δὲ τὰ παραθαλάσσια, συραστρήνη. πολύφορος δὲ ἡ χώρα, σίτου, καὶ ὀρύζης, καὶ ἐλαίου σησαμίνου, καὶ βουτύρου, καὶ καρπάσου, καὶ τῶν ἐξ αὐτοῦ ἰνδικῶν ὀθονίων τῶν χυδαίων. βουκόλια δὲ ἐν αὐτῇ πλεῖστα, καὶ ἄνδρες ὑπερμεγέθεις τῷ σώματι, καὶ μέλανες τῇ χροιᾷ. μητρόπολις δὲ τῆς χώρας, μινναγάρα. ἀφ' ἧς καὶ πλεῖστον ὀθόνιον, εἰς βαρύγαζαν κατάγεται. σώζεται δὲ ἔτι καὶ νῦν τῆς ἀλεξάνδρου στρατείας σημεῖα, περὶ τοὺς τόπους, ἱερά τε ἀρχαῖα, καὶ θεμέλιοι παρεμβολῶν, καὶ φρέατα μέγιστα. ὁ δὲ παράπλους ταύτης τῆς χώρας ἀπὸ τοῦ βαρβαρικοῦ, μέχρι τοῦ κατὰ ἄστα καὶ τραπέραν βαρυγάζων ἀκρωτηρίου τῆς λεγομένης παπικῆς. ἔστιν δὲ σταδίων τρισχιλίων. μεθ' ἧς, ἕτερός ἐστι τόπος ἔσω κυμάτων, εἰς αὐτὸν ἐνδυνῶν τὸν βορέαν. οὗ κατὰ μὲν τὸ στόμα, νῆσός ἐστιν ἡ λεγομένη βαιώνης. ἐν δὲ τοῖς ἐσωτάτοις τόποις, μέγιστος ποταμός, ὁ λεγόμενος μάϊς. τοῦτον τὸν κόλπον, τὸ πέλαγος ὡς σταδίων

uus dicitur. Vtraque autem maria ſunt paluſtria, vortices habentia celeres atque continuos, remotos à terra, ita vt ſæpenumerò continente adhuc nõ apparente naues interius vorticibus illis correptæ ſubmergantur atque intereãt. Supra hunc ſinũ eminet promontorium flexuoſum, quod ſtatim incuruatur ab ipſo portu ad ortum, atque Meridiẽ, Occaſum verſus, ipſum ſinum complectẽs. Baraces is dicitur ſeptem inſulas gremio ſuo *Barace.* coercens. Huius qui in principium incidunt ſi paulùlum retrò in altum recedant, ſalui euadunt. At verò qui in intimum Baracis *Baracis pericula.* quaſi ventrem, ſiue receſſum includuntur, illis omnino eſt pereundum. Nam & fluctus grandes ſunt atque graues, & ipſum mare turbulentum, tempeſtuoſum, crebris rapidíſque vorticibus infeſtum. Ipſum vero profundum maris quibuſdã in locis eſt præruptum, in aliis ſaxoſum, nouaculæ inſtar acutum, ita vt anchoræ iactæ nauis inhibendæ retinendæque cauſa, ſtatim in ipſo iactu à ſaxis ſecentur, vel in profundo conterantur. Signum autem horum locorum iis *Serpentes.* qui ex alto mari veniunt, ſunt ſerpentes obuii prægrandes, atque nigri. Nam in iis locis quæ ſequuntur, circa ipſam Barygazam ſerpentes minores, colore viridi atque aureo præditi occurrunt. Baracem proximè ſequitur ſinus Barygazenus, atque initium re- *Barygazenus ſinus.* gni tum Mambari, quod eſt iuxta Arabicam *Mambari regnum.* regionem, tum vniuerſæ Indiæ. Huius pars quidem mediterranea Scythiæ Iberiã attin- *Iberia.* git, maritima autẽ Synraſtrena appellatur. *Syraſtrena.* Fertilis eſt illa regio frumenti, oryzæ, olei, ſeſamini, butyri, carpaſi, & quæ ex illo conficiuntur telarum Indicarum. Abundat præterea pecorum gregibus, ſúntque in ea viri vaſtis corporibus, atq; nigro colore imbuti. Metropolis vniuerſæ regionis eſt Minnaga- *Minnagara metropolis.* ra, ex qua magna telarum Indicarum copia Barygazam conuehitur. Iſtis in locis ad hodiernum vſque diem exercitus Alexandri *Alexandri monumenta.* veſtigia, ac monumenta ſeruantur, cuiuſmodi ſunt antiqua ſacella, altaria, fundamenta caſtrorum, maximi putei. Regionis huiuſce præternauigatio à Barbarico ſinu ad Barygazenũ promontoriũ Papica nuncupatũ, *Papica promont.* quod eſt iuxta Aſta, & Traperã, c c c. ſtadia *Aſta.* cõplectitur. Poſt illud alius locus ſequitur flu *Trapera.* ctibus expoſitus, Boreã vergẽs, cuius ad oſtiũ inſula eſt Bœonas nuncupata. In intimo autẽ *Bœones inſula.* receſſu ingẽs eſt fluuius q. Mais dicitur. Hũc *Mais fl.* ſinũ trãſeunt ii, qui per altũ mare c c c. ſtad.

spatio Barygazam nauigant, & relicta à sinistris insula, quæ procul apparet, ortũ versus, ad ipsum fluuii ostium contendunt. Fluuius ille Lamnæus dicitur. Ipse verò sinus ad Barygazam angustus difficilem ex alto veniẽtibus accessum præbet, siue illi ad dextrã deferantur, siue ad sinistram, ad quam aliquãtò melior est accessus, quàm ad alterã. A dextris autem in ipsis faucibus sinus, fascia aspera, saxosa, Herone nuncupata, iuxta vicum Cãmoni iacet. A sinistris autem è regione illius ante promontorium Astacampron locus est, Papica dictus, ad quem difficulter naues appellunt, cùm ob rapidum atque violentum aquæ impetum, tum quia ipso profundo aspero, & saxoso, anchoræ dissecantur. Quod si ad ipsum sinum nauem quis applicare tentet, fluuii ostium ad Barygazam inuentu est difficile, propterea quòd ipsa regio humilis est, atque depressa, nullúmque eius propinquum ac manifestum signum appareat. Verum etiamsi illud inueneris, tamen fluuii paludes difficillimum ad ipsum aditum accessúmque præbent. Quamobrem indigenę regis piscatores ad ipsum introitum cum lõgis quibusdam nauibus, quas Trappaga atq; Cotymba lingua vernacula appellant, aduentantibus in occursum egrediuntur, Syrastrenam vsque, indéque naues Barygazam deducunt. Flectunt enim cursum statim ab ipso fluuii ostio per paludes nauibus illis ante commemoratis, deinde remulco easdem trahunt per certas quasdam, & ordinatas mansiones: & accedente quidem æstu soluunt, recedẽte autem, in portus quosdã & in Cythrinos sese recipiũt. Sunt autẽ Cythrini loca quædam fluuii profundiora Barygazã vsq;, quæ propè fluuium sita, ab illius ostio circiter c c c. stadia abest. Vniuersa enim India plurimis fluminibus abundat, ipsúmque mare maximos æstus atque reciprocationes habet, quæ quidem Luna aut noua, aut plena crescunt atque augentur, intermedio verò tempore dęcrescunt rursus, atque minuuntur, idque in primis iuxta Barygazam, ita vt de repentè ipsum profundum, ac quædam cõtinentis partes appareãt siccæ, & aridæ, quæ paulò antè nauigabantur. Ipsa quoq; flumina hoc vniuersi maris æstu atque inundatione vehementissima sursum cõtra naturalẽ suũ cursum feruntur, ac rapiuntur. Quã sanè ob causam ii, qui sunt huius ignari, primúmq; ad emporiũ illud appellunt, magno periculo in nauibus, vel subducendis, vel edu-

Lamnæus fl.

Herone.

Cammoni vicus.

Astacãpron.

Papica.

Trappaga.

Cotymba naues.

Cythrini.

Barygaza.

India fluminibus abundat.

Maris æstus.

τριακοσίων οἱ πλέοντες εἰς Βαρύγαζαν διαπερῶνται, ἐξ εὐωνύμων ἀκροφανῆ καταλιπόντες τὴν νῆσον, καὶ εἰς αὐτὴν ἀνατολὴν ἐπ' αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ ποταμοῦ Βαρυγάζων. λέγεται δὲ αὐτὸς ὁ ποταμὸς, Λαμναῖος. ὅ, τε κόλπος αὐτὸς ὁ κατὰ Βαρύγαζαν στενὸς ὤν, τοῖς ἐκ πελάγους ἐρχομένοις ἐστὶν δυσεπίβολος. ἢ γὰρ εἰς τὰ δεξιὰ, ἢ εἰς τὰ εὐώνυμα παραπίπτουσιν. ἥ τε ἐπιβολὴ, κρείσσων ἐστὶν τῆς ἑτέρας. ἀλλ' ἐκ μὲν τῶν δεξιῶν κατ' αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ κόλπου, παράκειται ταινία τραχεῖα καὶ διάσπιλος, Ἡρώνη λεγομένη, κατὰ Καμμωνὶ κώμην. ἐκ δὲ τῶν εὐωνύμων ἀπέναντι ταύτης, τὸ περὶ Ἀστακάμπρων ἀκρωτήριον, ἡ Παπικὴ λεγομένη δύσορμος οὖσα, διά τε τὸν ῥοῦν τὸν περὶ αὐτὴν, καὶ διὰ τὸ ἀποκόπτειν τὰς ἀγκύρας, τραχὺν ὄντα καὶ πετρώδη τὸν βυθόν. κἂν κατ' αὐτὸν δέ τις ἐπιβάλῃ τὸν κόλπον, αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ κατὰ Βαρύγαζαν ποταμοῦ δυσεύρετόν ἐστιν. διὰ τὸ τὴν χώραν ταπεινὴν εἶναι, καὶ μηδὲν ἐγγύτερον ἐνεχύρως θεωρεῖσθαι. κἂν εὑρεθῇ δυσείσβολός ἐστιν, διὰ τὰ περὶ αὐτὸν τενάγη τοῦ ποταμοῦ. τούτου χάριν περὶ αὐτὸν τὸν εἴσπλουν βασιλικοὶ ἁλιεῖς ἐντόπιοι, πληρώμασι μακρῶν πλοίων ἃ λέγεται τράππαγα καὶ κότυμβα, πρὸς ἀπάντησιν ἐξέρχονται μέχρι τῆς Συραστρήνης, ἀφ' ὧν ὁδηγεῖται τὰ πλοῖα μέχρι Βαρυγάζων. κλίνουσι γὰρ εὐθὺς ἀπὸ τοῦ στόματος τοῦ κόλπου διὰ τὰ τενάγη, τοῖς πληρώμασιν. καὶ ῥυμουλκοῦσιν αὐτὰ, σταθμοῖς ἤδη τεταγμένοις, ἀρχομένης μὲν τῆς πλήμμης αἴροντες, ἱσταμένης δὲ διορμίζοντες, κατά τινας ὅρμους καὶ κυθρίνους. οἱ δὲ κυθρῖνοι, τόποι εἰσὶν τοῦ ποταμοῦ βαθύτεροι, μέχρι Βαρυγάζων. ἀπέχει γὰρ ἀπὸ τοῦ στόματος ἄνω παρὰ ποταμὸν κειμένη, ὡς σταδίων τριακοσίων. πᾶσα μὲν ἡ Ἰνδικὴ χώρα ποταμοὺς ἔχει πλείστους, ἀμπώτεις τε καὶ πλήμμας μεγίστας, συναπτομένας ὑπὸ τὴν ἀνατολὴν καὶ τὴν πανσέληνον, ἄχρι τριῶν ἡμερῶν, καὶ τοῖς μεταξὺ καταστήμασιν τῆς σελήνης ἐλασσουμένας. πολὺ δὲ μᾶλλον ἡ κατὰ Βαρυγάζων, ὥς τε αἰφνίδιον τόν τε βυθὸν ὁρᾶσθαι, καί τινα μέρη τῆς ἠπείρου. ποτὲ δὲ ξηρὰ, τὰ πρὸ μικροῦ πλωϊζόμενα. τούς τε ποταμοὺς, ὑπὸ τὴν εἰσβολὴν τῆς πλήμμης τοῦ πελάγους ὅλου συνωθουμένους, σφοδρότερον ἄνω φέρεσθαι τοῦ κατὰ φύσιν ῥεύματος ἐπὶ πλείστους σταδίους. διὸ καὶ κινδυνώδεις εἰσὶν αἱ τῶν πλοίων προσαγωγαὶ καὶ ἐξαγωγαὶ, τοῖς ἀπείροις καὶ πρώτως εἰσάγουσιν

χουσιν ἐς τὸ ἐμπόριον. γινομένης γὰρ ὁρμῆς ἤδη περὶ τὴν πλήμμην, οὐδὲν παρειμένης αἱ ἄγκυραι οὐ κατέχουσιν. διὸ καὶ τὰ περιληφθέντα πλοῖα τῇ ἰνδίᾳ, πλαγιασθέντα ὑπὸ τῆς ὀξύτητος τοῦ ῥοὸς, ἐποκέλλει τοῖς τενάγεσι καὶ ἀνακλᾶται. τὰ δὲ μικρότερα, καὶ περιτρέπεται. τινὰ δὲ καὶ περὶ τὰς διώρυχας ἀποκεκλικότα διὰ τὸ περὶ τὴν ἄμπωτιν, ὅτ' ἂν μὴ διερείσῃ, τῆς πλήμμης αἰφνίδιον ἀπελθούσης, ὑπὸ τῆς πρώτης κεφαλῆς τοῦ ῥοὸς ἐμπίμπλαται. τοσαῦται γὰρ περὶ τὴν ἐσβολὴν τῆς θαλάσσης γίνονται βίαι κατὰ τὰς συμμηνίας, ὑπὸ τὴν νυκτερινὴν μάλιστα πλήμμην, ὥς τε ἀρχομένης ἤδη τῆς εἰσαγωγῆς ὅτ' ἂν ἠρεμῇ τὸ πέλαγος ὑπὸ αὐτοῦ φέρεσθαι τοῖς ἀπὸ τοῦ στόματος, παραπλήσιον βοῆς στρατοπέδου μακρόθεν ἀκουομένης. καὶ μετ' ὀλίγον, αὐτὴν ἐπιτρέχειν τοῖς τενάγεσι ῥοίζῳ τὴν θάλασσαν. ἐπίκειται γὰρ κατὰ τὰ τῇ βαρυγάζῃ μεσόγεια, πλείονα ἔθνη. τό τε τῶν ἀρατρίων, καὶ ῥαχούσων, καὶ ἀνθαράγων, καὶ τῆς προκλίδος. ἐν οἷς ἡ βουκέφαλος ἀλεξάνδρεια. καὶ τούτων ἐπάνω μαχιμώτατον ἔθνος, βακτριανῶν, ὑπὸ βασιλέα οὖσαν ἴδιον τόπον. καὶ ἀλέξανδρος ὁρμηθεὶς ἀπὸ τῶν μερῶν τούτων, ἄχρι τοῦ γάγγου διῆλθε καταλιπὼν τήν τε λιμυρικὴν, καὶ τὰ νότια τῆς ἰνδικῆς. ἀφ' οὗ μέχρι νῦν ἐν βαρυγάζοις, παλαιαὶ προχωροῦσι δραχμαὶ, γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι, ἐπίσημα τῶν μετ' ἀλέξανδρον βεβασιλευκότων ἀπολλοδότου καὶ μενάνδρου. ἔνι δὲ αὐτῆς καὶ ἐξ ἀνατολῆς πόλις, λεγομένη ὀζήνη, ἐν ᾗ καὶ τὰ βασίλεια πρότερον ἦν. ἀφ' ἧς πάντα τὰ πρὸς εὐθηνίαν τῆς χώρας, εἰς βαρύγαζαν καταφέρεται, καὶ τὰ πρὸς ἐμπορίαν τὴν ἡμετέραν, ὀνυχίνη λιθία καὶ μουῤῥίνη, καὶ σινδόνες ἰνδικαὶ, καὶ μολόχιναι, καὶ ἱκανὸν χυδαῖον ὀθόνιον. κατάγεται δὲ δι' αὐτῆς, καὶ ἀπὸ τῶν ἄνω τόπων, ἡ διὰ προκλαΐδος καταφερομένη νάρδος, ἡ καττυβουρίνη, καὶ ἡ πατροπαπίγη, καὶ ἡ καβαλίτη, καὶ ἡ διὰ τῆς παρακειμένης σκυθίας. ὅ, τε κόστος, καὶ ἡ βδέλλα. προχωρεῖ δὲ εἰς τὸ ἐμπόριον, οἶνος προηγουμένως ἰταλικὸς, καὶ λαοδικηνὸς, καὶ ἀραβικὸς, καὶ χαλκὸς, καὶ κασσίτερος, καὶ μόλυβδος, κοράλλιον, καὶ χρυσόλιθον. ἱματισμὸς ἁπλοῦς, καὶ νόθος παντοῖος. πολύμιτοι ζῶναι πηχυαῖαι, στύραξ, μελίλωτον, ὕελος ἀργὴ, σανδαράκη, στίμμι, δηνάριον χρυσοῦν καὶ ἀργυροῦν, ἔχον ἀλλαγὴν καὶ ἐπικέρδειάν τινα, πρὸς τὸ ἐντόπιον νόμισμα. μύρον οὐ

educendis cõflictantur. Quoniam enim anchorę propter inundationis nihil quicquam remittentis vim atq; impetum nauibus retinendis minimè pares eſſe poſſunt: idcirco ipſę naues vi repentina in obliquũ ſiue tranſuerſum, rapido præcipitiq; fluxu curſúque abreptę, atq; ad paludes alliſę frãguntur, minores verò euertuntur. Nõnullę etiã vbi inundationis tẽpore ad foſſas deflexerint niſi ſtatim traiiciant, æſtu ſubito implentur, atq; obruuntur. Atq; huiuſmodi quidem ad ingreſsũ maris eſt violẽtia duabus illis ante cõmemoratis Lunę cõſtitutionibus nocturna præſertim inundatione: ita vt nauigãtes quũ iã cœperint intrare eo tẽpore, quo mare ſedatũ eſt atq; tranquillũ, eius impetu abripiãtur, cúmq; ſunt in eius ore, procul ingentem quendã ceu cuiuſdã exercitus fremitũ, ſtrepitúmq; audiunt, ac paulò pòſt ipſum mare magno cum fragore in paludes decurrit. Barygazæ autem à parte mediterranea multæ gentes, vt Aratriorũ, Rhachuſorum, Tãthagorum, atq; Proclidis imminẽt. inter quas etiã eſt Alexandria Bucephalos cognominata. Supra hos bellicoſiſſima eſt Bactrianorũ natio, quæ proprio regi eſt ſubiecta. Ab his partibus Alexander profectus, ad Gangẽ vſque penetrauit relicta Limyrica, & auſtrali Indiæ ora. Quãobrem ad hæc vſq; tempora in Barygazis antiquæ drachmæ reperiuntur Græcis ſculptæ literis cũ inſignibus Apollodoti, atq; Menãdri, qui poſt Alexãdri obitum ibi rerũ fuerũt potiti. Ibidẽ quoq; verſus ortũ eſt ciuitas Ozene dicta vbi olim fuit regia. Ex hac omnia, quæ ad regionis commoditatẽ, fœlicitatémque faciunt, Barygazam deportantur, necnon quæ ad noſtrã mercaturã pertinent, cuiuſmodi ſunt lapides onychini, atque murrhini, ſindones Indicæ, molochini, multúmque othonii vulgaris. Per eãdem ex ſuperioribus locis afferuntur nardus, quæ per Proclæda vehitur, cathyburina, Patropapige, & Cabalite, quæque per vicinã Scythiam affertur: necnon coſtus, & bdellium. Præterea in emporiũ illud maxima ex parte deportatur vinum Italicum, Laodicenum, Arabicum, æs, ſtannum, plumbum, coralliũ, chryſolithus. Veſtis ſimplex, & adulterina omnis generis, zonæ cubitales ex multis filis contextæ, ſtyrax, melilotum, vitrum nõ elaboratum, ſiue rude. Item Sandaraca, ſtimmi, denarii ſiue nummi aurei, & argentei, quorum cum moneta vernacula atq; domeſtica queſtuoſa eſt cõmutatio: denique vnguentũ

Aratrij.
Rhachuſi.
Tantharagi.
Proclis.
Alexandria.
Bactriani.
Alexander.
Drachmæ.
Apollodotus.
Menander.
Ozena.
Procles.
Sandaraca.

pretiosum quidem, sed non multũ. Regi autem illis tẽporibus tributi nomine mittebantur pretiosa vasa argentea, instrumenta musica, virgines formosæ ad pellicatum, vinum eximium, vestis simplex pretiosa, vnguentum præstantissimum. Ex iisdẽ locis exportatur nardus, costus, bdellium, ebur, onychini lapides, myrrha, lycium, othoniũ multiplex, siue variegatum, & sericum, molochinum, filum, piper longum, atque alia huiusmodi ex emporiis exportari solita. In hoc autem emporiũ ex Ægypto nauigatur men se Iulio, qui est Epiphi. Post Barygazam statim continẽs vicina à Borea in Meridianum cardinem flectitur: vnde regio illa Dachinabadis appellatur: Auster enim illorum lingua Dachanus dicitur. Huius pars superior mediterranea ad Orientem vergens, multas regiones, deserta, montes ingentes, omnis generis feras, vt pardales, tigrides, elephantes, dracones miræ magnitudinis, crocottas, multa cynocephalorum genera, gentes denique plurimas, & populosissimas complectitur. Duo sunt præterea in hac vniuersa regione Dachinabade, maximè clara & illustria emporia, à Barygazis Austrum versus viginti dierum itinere disiuncta. Hinc dierum ferè decem interuallo, alia est vrbs maxima Tagara nomine. Ea vtroque emporio curribus, per loca inuia, & difficilia res Barygazam conuehuntur. E Plythanis quidem lapides onychini plurimi. Ex Tagaris verò multum othonii vulgaris, sindones omnis generis, molochinæ, aliæque huiusmodi merces, quæ ex maritimis partibus eò deferuntur. Vniuersa autem illa nauigatio Limyricam vsque stadiorum est septem millium, plura sunt, si littora legantur. Emporia autem illius regionis propria ex ordine sita sunt Acabarus, Vppara, Calliena vrbs, quæ Saragani senioris temporibus celebre ac frequẽs emporium extitit: qua postquam potitus est Sandanes, diu illud impeditum interruptúmque fuit. Nunc si quæ forte fortuna in loca illa incurrunt naues Græcanicæ, cum custodia Barygazam deducuntur. Post Callienam alia sunt emporia vernacula, quibus regionis incolæ tantum vtuntur, nimirum Semylla, Mandagora, Palæpatma, Melizeigara, Byzantium Toparon, Tyrannoboas. Deinceps sequuntur insulæ dictæ Sesecreienæ, necnon insula Ægidiorum, atque Canitarum iuxta Chersonesum, quibus

Dachinabadis. i. australis Indiæ regio.
Dachanus Auster.
Tagara.
Plythana.
Limyrica.
Acabarus.
Vppara.
Calliena.
Saraganus rex.
Sandanes.
Semylla.
Mandagora.
Palæpatma.
Melizigara.
Byzantium.
Toparon.
Tyrãnoboas.
Sesecrienæ insulæ.
Ægidiorũ insula.
Canitarum insula.

βαρύτιμον, οὐ δὲ πολύ. τῷ δὲ βασιλεῖ κατ' ἐκείνους τοὺς καιροὺς εἰσφερόμενα, βαρύτιμα ἀργυρώματα, καὶ μουσικὰ, καὶ παρθένοι εὐειδεῖς, πρὸς παλλακίαν, καὶ διάφορος οἶνος, καὶ ἱματισμὸς ἁπλοῦς, πολυτελὴς, καὶ μύρον ἔξοχον. φέρεται δὲ ἀπὸ τῶν τόπων, νάρδος, κόστος, βδέλλα, ἐλέφας, ὀνυχίνη λιθία, καὶ σμύρνα, καὶ λύκιον, καὶ ὀθόνιον παντοῖον, καὶ σηρικὸν, καὶ μολόχινον, καὶ νῆμα, καὶ πέπερι μακρὸν, καὶ τὰ ἀπὸ τῶν ἐμπορείων φερόμενα. ἀποπλέουσιν δὲ κατὰ καιρὸν οἱ ἀπὸ τῆς αἰγύπτου εἰς τὸ ἐμπόριον ἀναγόμενοι, περὶ τὸν ἰούλιον μῆνα, ὅς ἐστιν ἐπιφί. μετὰ δὲ βαρύγαζαν, εὐθέως, ἡ συναφὴς ἤπειρος ἐκ τοῦ βορέου, εἰς τὸν νότον παρεκτείνει. διὸ καὶ δαχιναβάδης καλεῖται ἡ χώρα. δάχανος γὰρ καλεῖται ὁ νότος, τῇ αὐτῶν γλώσσῃ. ταύτης, ἡ μὲν ὑπερκειμένη πρὸς ἀνατολὰς μεσόγειος, ἐμπεριέχει χώρας τε πολλὰς, καὶ ἐρήμους, καὶ ὄρη μεγάλα, καὶ θηρίων γένη παντοίων. παρδάλεις τε καὶ τίγρεις, καὶ ἐλέφαντας, καὶ δράκοντας ὑπερμεγέθεις, καὶ κροκόττας, καὶ κυνοκεφάλων πλεῖστα γένη. ἔθνη τε πλεῖστα καὶ πολυάνθρωπα, τὰ μέχρι τοῦ συνέγγυς. τῶν δὲ ἐν αὐτῇ τῇ δαχιναβάδει, δύο ἐστὶν τὰ διασημότατα ἐμπόρια ἐπιφαινόμενα ἀπὸ βαρυγάζων. ἔχοντα ὁδὸν ἡμερῶν εἴκοσι πρὸς νότον. ἀπὸ ταύτης ὡς ἡμερῶν δέκα, πρὸς ἀνατολὴν ἑτέρα πόλις ταγάρα μεγίστη. κατάγεται δὲ ἐξ αὐτῶν πορείαις ἁμαξῶν καὶ ἀνοδίαις μεγίσταις, εἰς τὴν βαρύγαζαν. ἀπὸ μὲν πλιθάνων, ὀνυχίνη λιθία πλείστη. ἀπὸ δὲ ταγάρων, ὀθόνιον πολὺ χυδαῖον, καὶ σινδόνων παντοῖα, καὶ μολόχινα, καί τινα ἄλλα τοπικῶς ἐκεῖ προχωροῦντα φορτία, τῶν παραθαλασσίων μερῶν. ὁ δὴ ὅλος παράπλους, μέχρι τῆς λιμυρικῆς, ἐστὶν σταδίων ἑπτακισχιλίων. πλεῖστοι δὲ, εἰς αἰγιαλόν. τοπικὰ δὲ ἐμπόρια κατὰ τὸ ἑξῆς κείμενα, ἀκαβάρους, οὔππαρα, καλλίενα πόλις, ἡ ἐπὶ τῶν σαραγάνου τοῦ πρεσβυτέρου χρόνων ἐμπόριον ἔνθεσμον γενόμενον. μετὰ γὰρ τὸ κατασχεῖν αὐτὸν σανδάνην, ἐκωλύθη ἐπὶ πολύ. καὶ γὰρ τὰ ἐκ τύχης, εἰς τούτους τοὺς τόπους ἐσβάλλοντα πλοῖα ἑλληνικὰ, μετὰ φυλακῆς εἰς βαρύγαζαν εἰσάγεται. μετὰ δὲ καλλίεναν, ἄλλα ἐμπόρια τοπικὰ, σήμυλλα, καὶ μανδαγόρα, καὶ παλαιπάτμαι, καὶ μελιζειγάρα, καὶ βυζαντίων τοπαρὸν, καὶ τύραννος βόας. εἶτα, σησεκρείεναι λεγόμεναι νῆσοι, καὶ ἡ τῶν αἰγιδίων, καὶ ἡ τῶν καινειτῶν, κατὰ τὴν λεγομένην χερσόνησον.

καθ'

καθ' οὓς τόπους, εἰσὶν πειραταί, καὶ μετὰ ταύτην, λευκὴ νῆσος. εἶτα, νάουρα, καὶ τύνδις, τὰ πρῶτα ἐμπόρια τῆς λιμυρικῆς. καὶ μετὰ ταύτας, μούζιρις, καὶ νελκύνδα, αἱ νῦν πράσσουσαι. βασιλείας δ' ἐστὶν, ἡ μὲν τύνδις κηπροβότου, κώμη παραθαλάσσιος ἔνσημος. ἡ δὲ μούζιρις, βασιλείας μὲν τῆς αὐτῆς, ἀκμάζουσα δὲ τοῖς ἀπὸ τῆς ἀριακῆς εἰς αὐτὴν ἐρχομένοις πλοίοις καὶ τοῖς ἑλληνικοῖς. κεῖται δὲ, παρὰ ποταμόν. ἀπέχουσα ἀπὸ μὲν τύνδεως διὰ τοῦ ποταμοῦ καὶ διὰ θαλάσσης, σταδίοις πεντακοσίοις. ἀπὸ δὲ τοῦ κατ' αὐτὴν, εἴκοσι. ἡ δὲ νελκύνδα, σταδίοις μὲν ἀπὸ μουζίρεως ἀπέχει, σχεδὸν πεντακοσίοις ὁμοίως, διά τε ποταμοῦ, καὶ πεζῇ, καὶ διὰ θαλάσσης. βασιλείας δέ ἐστιν ἑτέρας, τῆς πανδίονος. κεῖται δὲ καὶ αὐτὴ παρὰ ποταμὸν, ὡσεὶ ἀπὸ σταδίων ἑκατὸν εἴκοσι τῆς θαλάσσης. ἑτέρα δὲ κατ' αὐτὸ τὸ στόμα τοῦ ποταμοῦ, πρόκειται κώμη βαράκη, εἰς ἣν ἀπὸ νελκυνδῶν ἐπὶ τῆς ἀναγωγῆς προκαταβαίνουσι τὰ πλοῖα. καὶ ἐπὶ σάλου διορμίζεται, πρὸς ἀνάληψιν τῶν φορτίων. διὰ δὲ τὸν ποταμὸν, ἅλματα καὶ διάπλους ἔχει ἐλαφρούς. αὐτοὶ δὲ οἱ βασιλεῖς ἀμφοτέρων τῶν ἐμπορίων, ἐν τῇ μεσογείῳ κατοικοῦσι. καὶ περὶ τούσδε τοὺς τόπους, τοῖς ἐκ πελάγους σημείοις ἐπιβολῆς εἰσιν, οἱ προσαπαντῶντες ὄφεις. μέλανες μὲν καὶ αὐτοὶ τὴν χρόαν, βραχύτεροι δέ, καὶ δρακοντοειδεῖς τὴν κεφαλήν. καὶ τοῖς ὄμμασιν, αἱματώδεις. πλεῖ δὲ εἰς τὰ ἐμπόρια ταῦτα πολλὰ πλοῖα, διὰ τὸν ὄγκον καὶ τὸ πλῆθος τοῦ πεπέρεως καὶ τοῦ μαλαβάθρου. προχωρεῖ δὲ εἰς αὐτὴν προηγουμένως, χρήματα πλεῖστα, χρυσόλιθα, ἱματισμὸς ἁπλοῦς οὐ πολὺς, πολύμιτα, στίμμι, κοράλλιον, ὕαλος ἀργὴ, χαλκὸς, κασσίτερος, μόλυβδος. οἶνος δὲ οὐ πολύς. σώζει δὲ τοσοῦτον, ὅσον ἐν βαρυγάζοις. σανδαράκη, ἀρσενικόν. σῖτος δὲ, ὅσος ἀρκέσει τοῖς περὶ τὸ ναυκλήριον, διὰ τὸ μὴ τοὺς ἐμπόρους αὐτῷ χρῆσθαι. φέρεται δὲ πέπερι, μονογενῶς ἐν ἑνὶ τόπῳ, τούτῳ τῷ ἐμπορίῳ γεννώμενον, πολὺ. λεγόμενον κοττοναρικόν. φέρεται δὲ καὶ μαργαρίτης ἱκανὸς καὶ διάφορος, καὶ ἐλέφας, καὶ ὀθόνια σηρικά, καὶ νάρδος ἡ γαπανική, καὶ μαλάβαθρον ἐκ τῶν ἔσω τόπων, εἰς αὐτὴν, καὶ λιθία διαφανὴς παντοία, καὶ ἀδάμας, καὶ ὑάκινθος, καὶ χελώνη, ἥ τε χρυσονησιωτικὴ, καὶ ἡ περὶ τὰς νήσους θηρευομένη, τὰς προκειμένας αὐτῆς τῆς λιμυρικῆς. πλέουσι δὲ εἰς αὐτὴν, οἱ κατὰ καιρὸν ἀναγόμενοι ἀπ' αἰγύπτου, περὶ τὸν ἰούλιον μῆνα, ὅ ἐστιν ἐπιφί. τοῦτον δὲ ὅλον τὸν εἰρημένον περίπλουν

quibus in locis ſunt piratæ. Poſt hanc inſula eſt Leuce, hoc eſt, alba. Poſtea Naura, Tyndis, quæ prima ſunt Limyricæ promontoria. Hæc ſequuntur Muziris, Nelcynda, quæ nunc quoque mercaturam exercẽt. Ac Tyndis quidem vicus eſt maritimus inſignis ſub Ceproboti imperio. Muziris verò & ſub eodem eſt imperio, & nauium ex Ariaca venientium, atque Græcarum copia frequentatur, ſita propter flumẽ: à Tyndi quidem per fluuium atque mare quingentis, à flumine verò viginti ſtadiis diſiuncta. Nelcynda verò ſimiliter plus minúſve quingentorum ſtadiorum interuallo ſiue fluuio, ſiue terra, ſiue mari iter fiat, à Mundire abeſt, alterius imperio nimirum Pandionis ſubiecta, quæ ſimiliter flumine alluitur, & à mari circiter centum & viginti ſtadiorum abeſt. Alius quoque iuxta eiuſdem fluminis oſtiũ ſitus eſt vicus Barace nuncupatus, in quẽ naues quæ à Nelcynda ſoluũt, prius deferuntur, & in ſalo & anchoris conſiſtunt ad accipienda onera. Per fluuium autẽ nauigationes habet faciles. Ipſi verò Reges vtriúſque emporii in mediterraneis habitant. Signum porrò appropinquationis ad continentem ex alto venientibus, illis quoque in locis ſunt ſerpentes obuii, colore quidem ſimiliter nigro, ſed breuiores, capite draconibus ſimiles, oculis ſanguineis præditi. In hæc emporia multæ naues nauigant ob præſtantiam & copiam piperis, atq; malabathri. Eodẽ præcipuè deferuntur, plurima moneta, Chryſolithi, veſtis ſimplex non multa, polymita, ſtimmi, corallium, vitrum rude, æs, ſtamnum, plumbum, parum vini, Sandaraca, arſenicum, frumenti tantum, quantum ſatis eſt ad vſum nauticum, propterea quod mercatores eo minime ad negotiandum vtuntur. Eò quoque conuehitur piper Cottanaricum dictum, quod magna copia in illo emporio vno tantùm in loco prouenit. Præterea multæ & eximiæ margaritæ, ebur, othonia ſerica, nardus gapanica, malabathrum ex intimis locis. Item varia & multiplicia pellucidorum lapidum genera, adamas, hyacinthus, teſtudo Chryſonetiotica, quæque in inſulis Limyricæ oppoſitis capiuntur. In hoc emporio nauigant ij qui maturè ex Ægypto veniunt, circa menſem Iulium, quem Epiphi nominant. Vniuerſum autem hunc commemoratum nauigationis curſum at-

Piratæ.
Leuce inſula.
Naura.
Tyndis.
Muziris.
Nelcynda.
Ceprobotus rex.
Ariaca.
Nelcynda.
Mundiris.
Pandionis regio.
Barace vicus.
Serpentes.
Piper Cottanaricum.
Teſtudo Chryſonetiotica.

Cana. Arabia fœlix. Hippalus. Ethesiæ. Libonotus. Nauigationis Indicæ ratio. Elabacare. Pyrrhus mõs. Paradia regio. Pandion. Colchi vrbs. Balita. Comar. Aqua lustralis. Margaritarũ piscatio. Argali. Epiodori insula. Sindones Ebargaritides. Camara. Poduca. Sopatma. Sangara naues. Colandiophonta naues.

que orbem à Cana & Arabia fœlice olim paruis nauigiis ipsos sinus ambientes conficiebant. Primus Hippalus gubernator animaduerso emporiorum situ, ac maris figura inuenit nauigationem per altum mare, eo tempore, quo spirantibus ex Oceano apud nos, Ethesiis Libonotus in Indico pelago existit, qui quidem cognominatur à primo istius nauigationis inuẽtore. Ex illo tẽpore ad hodiernũ vsq; diẽ, alii quidẽ statim à Cana, alij ab Aromatũ emporio soluũt. Inter quos, alii qui Limyricã petunt aliquãtò diutius, alij qui in Barygazã vel Scythiã contendũt, non amplius tribus diebus cõmorantur. Reliquũ temporis in proprio cursu conficiendo cõsumũt, & ex regione excelsi per terrã externã suprà dictos sinus prætereuehũtur. Ab Elabacare dicta mõs Pyrrhus (*.i. rubicũdus*) alia sequitur regio Paradia nũcupata ad Austrũ spectãs, in qua pinici est piscatio sub rege Pãdione, necnon vrbs Colchi dicta. Primus locus Balita nuncupatur, qui portũ habet pulchrũ, atq; vicũ maritimũ. Post hunc alius sequitur locus Comar nomine. In illo est castellũ, atq; portus. Quẽ ad locum aquis se ibi abluẽdi & lustrãdi gratia commeare solẽt illi qui omni reliquo vitæ suæ tempore religiosam atq; viduam vitam agere cogitant. Idem mulieres quoque faciunt. Literis enim memoriǽque proditum est Deam olim singulis mensibus ibi lauari fuisse solitã. A Comari regio quædã ad Colchos vsq; porrigitur, in qua pinici siue margaritarũ est piscatio, cui capite damnati operam nauant. Huius regionis pars, quæ est versus Meridiem Pandionis subiecta est imperio. Post Colchos sequitur primum littus in sinu positum, regionem habens Argali dictam mediterraneam, in qua vno tantùm in loco, iuxta ipsam Epiodori (*id est, insulam*) Pinicum, hoc est, ostreæ margaritiferæ colliguntur. Inde enim afferuntur sindones Ebargaritides appellatæ. Inter hæc autem modò cõmemorata, & illa emporia atque portus in quos deferuntur illi, qui à Limyrica atq; à Septentrione veniunt, maximè clara & illustria sunt, quæ ordine quodã se inuicẽ cõsequuntur, hæc emporia, nimirũ Camara, Poduca, Sopatma. Quibus in locis certorũ quorũdã nauigiorũ vsus est, quibus Limyricã vsq; nauigatur. Sũt quoq; alia maxima nauigia ex monoxylis nauibus cõposita, quæ Sangara nominant. Quibus verò in Auream, & per Gangem nauigant, Colandiophonta dicuntur quæ sunt maxima. In hæc

ἀπὸ κανῆς, καὶ τῆς εὐδαίμονος ἀραβίας, οἱ μὲν, μικροτέροις πλοίοις περικολπίζοντες, ἔπλεον. πρῶτος δὲ ἵππαλος κυβερνήτης, κατανοήσας τὴν θέσιν τῶν ἐμπορείων, καὶ τὸ σχῆμα τῆς θαλάσσης, τὸν διὰ πελάγους ἐξεῦρε πλοῦν. ἀφ' οὗ καὶ τοπικῶς ἐκ τοῦ ὠκεανοῦ φυσώντων τῶν κατὰ καιρὸν τῶν παρ' ἡμῖν ἐτησίων, ἐν τῷ ἰνδικῷ πελάγει λιβόνοτος φαίνεται. προσονομάζεται δὲ ἀπὸ τῆς προσηγορίας, τοῦ πρώτως ἐξευρηκότος τὸν διάπλουν. ἀφ' οὗ μέχρι καὶ νῦν, τινὲς μὲν, εὐθὺς ἀπὸ κανή, τινὲς δὲ ἀπὸ τῶν ἀρωμάτων ἀφιέντες, οἱ μὲν εἰς λιμυρικὴν πλέοντες, ἐπὶ πλεῖον τραχηλίζοντες· οἱ δὲ, εἰς βαρύγαζαν· οἱ δὲ εἰς σκυθίαν, οὐ πλεῖον ἢ τρεῖς ἡμέρας ἀντέχουσι. καὶ τὸ λοιπὸν παρεπιφέρον πρὸς ἴδιον δρόμον, ἐκ τῆς χώρας ὑψηλοὶ διὰ τῆς ἔξωθεν γῆς, παραπλέουσι τοὺς προειρημένους κόλπους. ἀπ' ἐλαβακαρὴ τὸ λεγόμενον πυῤῥὸν ὄρος, ἄλλη παρήκει χώρα τη κης ἡ παραλία λεγομένη, πρὸς αὐτὸν τὸν νότον. ἐν ᾗ καὶ κολύμβησίς ἐστιν ὑπὸ τὸν βασιλέα πανδίονα, πινικοῦ. καὶ πόλις, ἡ λεγομένη κόλχοι. πρῶτος τόπος, βαλίτα καλούμενος. ὅρμον καλὸν ἔχων, καὶ κώμην παραθαλάσσιον. ἀπὸ δὲ ταύτης, ἐστὶν ἕτερος τόπος τὸ κομὰρ λεγόμενος. ἐν ᾧ τόπῳ φρούριον ἐστὶν, καὶ λιμήν. εἰς ὃν οἱ βουλόμενοι τὸν μέλλοντα αὐτοῖς χρόνον ἱεροὶ γενέσθαι, χῆροι μένουσιν αὐτοῦ, ἐκεῖ ἐρχόμενοι ἀπολούονται. τὸ δ' αὐτὸ, καὶ γυναῖκες. ἱστορεῖται γὰρ τὴν θεὸν ἐκεῖ ἐπὶ μῆνας, κατά τινα χρόνον ἐκεῖ ἀπολελοῦσθαι. ἀπὸ δὲ τοῦ κομαρεὶ ἐκτείνουσα χώρα μέχρι κόλχων, ἐν ᾗ κολύμβησις τοῦ πινικοῦ ἐστιν. ἀπὸ δὲ κατακρισίμων κατεργάζεται. πρὸς τὸν νότον, ὑπὸ τὸν βασιλέα πανδίονά ἐστιν. μετὰ δὲ κόλχους, ἐκδέχεται πρότερος αἰγιαλὸς ἐν κόλπῳ κείμενος, ἔχων χώραν μεσόγειον λεγόμενος ἀργάλου. ἐν ἑνὶ τόπῳ τρυγεῖται παρ' αὐτὴν τῆς ἠπιοδώρου συλλεγόμενον πινικόν. φέρονται γὰρ ἐξ αὐτῆς σινδόνες, ἐβαργαρείτιδες λεγόμεναι. τῶν δὲ καὶ τούτων ἐμπορείων τε καὶ ὅρμων, ἐς οὓς οἵ τε ἀπὸ τῆς λιμυρικῆς καὶ ἀπὸ ἄρκτου πλέοντες κατάγονται, ἐπισημότερα καὶ κατὰ τὸ ἑξῆς κείμενά ἐστιν ἐμπόρεια, καμάρα, καὶ ποδούκη, καὶ σωπάτμα. ἐν οἷς τοπικὰ μὲν ἐστιν πλοῖα μέχρι λιμυρικῆς παραλεγόμενα τὴν γῆν. ἕτερα δ' ἐκ μονοξύλων πλοίων μεγίστων, ὑφ' ἧς ἐζευγμένων, λεγόμενα σάγγαρα. τὰ δὲ εἰς τὴν χρυσῆν καὶ εἰς τὸν γάγγην διαίροντα, κολανδιόφωντα τὰ μέγιστα. περὶ χωρεῖ

ρεῖ δὲ εἰς τοὺς τόπους τούτους, πάντα τὰ εἰς τὴν λιμυρικὴν ἐργαζόμενα, καὶ σχεδὸν εἰς αὐτοὺς καταντᾷ. τὸ δὲ χρῆμα τὸ ἀπ' αἰγύπτου φερόμενον τῷ παντὶ χρόνῳ, καὶ τὰ πλεῖστα γένη πάντων τῶν ἀπὸ λιμυρικῆς φερομένων, διὰ ταύτης τῆς παραλίας ἐπιχορηγουμένων. περὶ δὲ τῶν μετ' αὐτὴν χωρῶν ἤδη πρὸς ἀνατολὴν τοῦ πλοὸς ἀπονεύοντος, εἰς πέλαγος ἔκκειται πρὸς αὐτὴν τὴν δύσιν, νῆσος λεγομένη παλαισιμούνδου. παρὰ δὲ τοῖς ἀρχαίοις αὐτῶν ταπροβάνη. ταύτης τὰ μὲν πρὸς βορέαν, ἐστὶν ἥμερα, καὶ διαπλεῖται τοῖς εἰς τὸν πλιονακισίν καὶ σχεδὸν εἰς τὸ κατ' αὐτῆς ἀντιπαρακείμενον ἀζανίας παρήκει. γίνεται δὲ ἐν αὐτῇ πινικὸν, καὶ λιθία διαφανής, καὶ σινδόνες, καὶ χελῶναι. περὶ δὲ τούτους τοὺς τόπους, πολὺ τῆς μεσογείου παρήκουσα, μασαλία παράκειται χώρα. γίνονται ἐν αὐτῇ σινδόνες πλεῖσται. ἀπὸ δὲ ταύτης, εἰς αὐτὴν τὴν ἀνατολὴν διαπεράσαντι τὸν παρακείμενον κόλπον, ἡ δησαρήνη χώρα. φέρουσα ἐλέφαντα, τὸν λεγόμενον βωσαρή, καὶ μετ' αὐτὴν, εἰς τὸν βορέαν ἤδη ἀπονεύοντος τοῦ πλοὸς, βάρβαρα πολλὰ ἔθνη, ἐν οἷς οἱ κιρράδαι, γένος ἀνθρώπων, ἐκτεθλιμμένων τὴν ῥῖνα, ἀγρίων. καὶ βαργύσων, ἕτερον ἔθνος. καὶ τὸ τῶν ἱπποπροσώπων, μακροπροσώπων, λεγόμενον ἀνθρωποφάγων εἶναι. μετὰ δὲ ταῦτα, εἰς τὴν ἀνατολὴν καὶ τὸν ὠκεανὸν ἐν δεξιοῖς ἐχόντων, εὐώνυμα δὲ τὰ λοιπὰ μέρη ἔξωθεν παραπλεόντων, ὁ γάγγης ἀπαντᾷ, καὶ ἡ περὶ αὐτὸν ἐσχάτη τῆς ἀνατολῆς ἤπειρος ἡ χρυσῆ. ποταμὸς δὲ ἐστὶν περὶ αὐτὸν, ὁ γάγγης λεγόμενος καὶ αὐτὸς μέγιστος τῶν κατὰ τὴν ἰνδικήν. ἀπόβασίν τε καὶ ἀνάβασιν, τὴν αὐτὴν ἔχων τῷ νείλῳ. καθ' ὃν καὶ ἐμπόριόν ἐστιν ὁμώνυμον τῷ ποταμῷ, ὁ γάγγης. δι' οὗ φέρεται, τό τε μαλάβαθρον, καὶ ἡ γαγγιτικὴ νάρδος, καὶ πινικὸν, καὶ σινδόνες αἱ διαφορώταται, αἱ γαγγιτικαὶ λεγόμεναι. λέγεται δὲ, καὶ χρυσωρύχια περὶ τοὺς τόπους εἶναι, νόμισμά τε χρυσοῦ, ὁ λεγόμενος κάλτις. κατ' αὐτὸν δὲ τὸν ποταμὸν, νῆσός ἐστιν ὠκεανὶς, ἐσχάτη τῶν πρὸς ἀνατολὴν μερῶν τῆς οἰκουμένης, ὑπ' αὐτὸν ἀνέχοντα τὸν ἥλιον καλουμένη. χρυσῆν χελώνην ἔχουσα, πάντων τῶν κατὰ τὴν ἐρυθρὰν τόπων, ἀρίστην. μετὰ δὲ ταύτην τὴν χώραν ὑπ' αὐτὸν ἤδη τὸν βορέαν, ἔξωθεν εἴς τινα τόπον ἀπολήγουσης τῆς θαλάσσης, παράκειται ἐν αὐτῇ πόλις μεσόγειος μεγίστη, λεγομένη θῖνα.

hæc loca importantur omnia ea quæ in Limyrica elaborantur. Res præterea omnis generis quæ ex Ægypto omni tempore aduehuntur, necnon ex Limyrica per hanc regionem maritimam ſubminiſtrantur. *Paralia regio.* Circa regiones autem quæ illam ſequuntur, ad ortum iam nauigatione vergente, in alto verſus Occaſum ſita eſt inſula Palæſimundi dicta, à veteribus *Taprobana.* Taprobana appellata. Huius pars borealis culta eſt, quâ nauigatur multa in loca: ac ferè porrigitur in partem Azaniæ oppoſitam. In ea naſcitur pinicum, lapides pellucidi, ſindones, teſtudines. His locis regio Maſalia adiacet, quæ ſeſe *Maſalia.* longè ad mediterranea extendit, in qua plurimæ gignuntur ſindones. Poſt hanc, Ortum verſus traiiciendi finitimum ſinum Deſarena regio occurrit, elephan- *Deſarena regio.* tum Boſare nuncupatum producēs. *Boſare.* Poſt illam Boream verſus nauigatione ſeſe inclinante, multæ ſunt barbaræ gentes, cuiuſmodi ſunt Cirradæ, genus homi- *Cirradæ.* num agreſtium attritis naribus, Bargyſi, *Bargyſi.* Hippioproſopi, & Macroproſopi, qui o- *Hippioproſopi.* mnes ferūtur eſſe Anthropophagi (*id eſt, carne humana veſcentes.*) *Macroproſopi. Anthropophagi.* Poſt hæc loca verſus ortum nauigantibus, & habentibus à dextris quidem Oceanum, à ſiniſtris verò reliquas partes exteriores occurrit Ganges, &, quæ circa illum eſt ex- *Ganges.* trema Orientis continens, Aurea dicta. *Aurea.* Circa illam eſt Ganges maximus Indiæ fluuius, qui ſimili planè modo quo Ni- *Nilus.* lus creſcit, atque decreſcit. Propter illum eſt emporium eiuſdem nominis Gāges appellatum, *Ganges emporium.* per quod geſtatur malabathrum nardus Gangica, pinicum, ſindones præſtantiſſimæ Gangeticæ appellatæ. Feruntur præterea iiſdem in locis aurifodinæ eſſe, atque numiſmatis *Aurifodinæ.* aurei genus, quod Caltin nominant. *Caltis nummus aureus.* Prope hunc ipſum fluuium inſula eſt Oceanitis, *Inſula Oceanitis.* extrema regionum quæ ad Ortum ſitæ ſunt, ipſo Solis ortu clauſa, teſtudinem auream (*hoc eſt, aurei coloris*) habens, omnium, quæ ſunt circa mare rubrum, prȩſtantiſſimā. Poſt hanc regionem verſus Boream mari extrinſecus in loco quodam mari deſinente, ſita eſt maxima ciuitas mediterranea Thina nuncupata, *Thinæ.*

aqua, lana, filum, othonium, sericum, *Bactra.* Barygazam per Bactra pedestri itinere, deportatur. Indéque per Gangem fluuium Limyricam conuehitur. Ad illam autem vrbem Thinæ difficilis est accessus, raro enim pauci quidam inde veniunt. *Pontus.* Situs est locus ille sub ipsa Vrsa minore: & fertur esse contermina auersis *Caspiũ mare* partibus Ponti, & Caspij maris, per quod *Mœotis.* Mœotis palus vicina in Oceanum influit. Singulis verò annis ad Thinæ confinia commeare consueuit certa quædam gens corpore quidem curta, at robusta, acris, vehemens, lata facie, atque sima, *Sesatæ.* quam Sesatas appellant. Hi vnà cum vxoribus, atque liberis veniunt, afferentes secum magnas sarcinas, nimirum terponas Omampelinis similes. Postea commorantur ac delitescunt in quibusdam locis confinii illorum, & vicinis Thinæ, & per aliquot dies prædantur terponas sibi ipsis substernentes, ac deinde abeunt rursus ad sua in intima loca sese recipientes. Qui hæc obseruant post illorum discessum ad loca illa accedentes, strata illa colligunt & ex arundinibus illis, quas Petros appellant, neruis fibrísque extractis, & foliis in orbem conuolutis, & complicatis secundum calamorum fibras illa *Malabathri tria genera.* diuidunt, ac intersecant. Hinc tria genera fiunt. Quod ex maiore fit folio, ἁδρόσφαιρον *Hadrosphærum* Malabathrum dicitur: quod ex mediocri Mesosphærum, quod ex minore Microsphærum. Hinc tria Malabathri genera quæ ab illis, qui ea conficiunt in Indiam feruntur. Regiones autem quæ loca ista sequuntur, siue quod propter sæuas tempestates, maximáque frigora, difficillimi sunt accessus, siue etiam deorum quadam virtute atque potentia, non potuerunt adhuc inuestigari.

ἀφ᾽ ἧς, τό τε ἔριον, καὶ τὸ νῆμα, καὶ τὸ ὀθόνιον τὸ σηρικὸν, εἰς τὸν βαρύγαζαν διὰ βάκτρων πεζῇ φέρεται. καὶ εἰς τὴν λιμυρικὴν πάλιν, διὰ τοῦ γάγγου ποταμοῦ. εἰς δὲ τὴν θῖνα ταύτην, οὐκ ἔστιν εὐχερῶς ἀπελθεῖν. σπανίως γὰρ ἀπ᾽ αὐτῆς τινες οὐ πολλοὶ ἔρχονται. κεῖται δὲ ὁ τόπος, ἐπ᾽ αὐτὴν τὴν μικρὰν ἄρκτον. λέγεται δὲ συνορίζειν, τοῖς ἀπεστραμμένοις μέρεσι τοῦ πόντου, καὶ τῆς κασπίας θαλάσσης. καθ᾽ ἣν ἡ παρακειμένη λίμνη μαιῶτις, εἰς τὸν ὠκεανὸν συναναστομοῦσα. κατ᾽ ἔτος δὲ παραγίνεται ἐπὶ τὴν συνορίαν τῆς θινὸς, ἔθνος τι. τῷ μὲν σώματι, κολοβοὶ καὶ σφοδροί. πλατυπρόσωποι, σιμοὶ, εἰς τέλος τε αὐτοὺς λέγεσθαι σησάτας. παρομοιοῦσιν ἡμέραις, παραγίνονται σὺν γυναιξὶν καὶ τέκνοις, βαστάζοντες φορτία μεγάλα, τέρπονας, ὠμαμπελίνων παραπλήσια. εἶτ᾽ ἐνεπιμένουσιν ἐπί τινα τόπον τῆς συνορίας αὐτῶν, καὶ τῶν ὑπὸ τῆς θινός. καὶ ἁρπάζουσιν ἐπί τινας ἡμέρας, ὑποστρώσαντες ἑαυτοῖς τὰς τέρπονας, καὶ ἀπαίρουσιν εἰς τὰ ἴδια εἰς τοὺς ἐσωτέρους τόπους. οἱ δὲ ταῦτα δοκοῦντες, τότε παραγίνονται ἐπὶ τοὺς τόπους, καὶ συλλέγουσι τὰ ἐκείνων ὑποστρώματα. καὶ ἐξινιάσαντες καλάμους τοὺς λεγομένους πέτρους ἐπὶ λεπτὸν, ἐπιδιπλώσαντες τὰ φύλλα καὶ σφαιροειδῆ ποιοῦντες, διαίρουσι ταῖς ἀπὸ τῶν καλάμων ἶναις. γίνεται δὲ, γένη τρία. ἐκ μὲν τοῦ μείζονος φύλλου, τὸ ἁδρόσφαιρον μαλάβαθρον λεγόμενον. ἐκ δὲ τοῦ ὑποδεεστέρου, τὸ μεσόσφαιρον. ἐκ δὲ τοῦ μικροτέρου, τὸ μικρόσφαιρον. ἔνθεν, τὰ τρία μέρη τοῦ μαλαβάθρου γίνεται. καὶ τότε φέρεται εἰς τὴν ἰνδικὴν, ὑπὸ τῶν κατεργαζομένων αὐτά. τὰ δὲ μετὰ τοὺς τόπους τούτους, διά τε ὑπερβολὰς χειμώνων, καὶ πάγους μεγίστους δυσβάτων τῶν τόπων, εἶτα καὶ θείᾳ τινὶ δυνάμει θεῶν, ἀνερεύνητά ἐστιν.

Io. Guilielmi Stukij Scholia in

PERIPLVM MARIS Erythræi.

ARRIANI.) Inscriptio opusculi duo continet, subiectum & auctorem. Quoad subiectum illud dicitur periplus (de quo nomine in Ponto Euxino dictum est) hoc est, nauigatio, siue lustratio maris Erythræi. Mare autem Erythræum pars est Oceani, Arabiam à Meridie alluens: ad Occidentem Arabico: ad ortum, Persico sinu terminata. Atque in hos ipsos duos sinus, Arabicum & Persicum, ab accolis sic nūcupatos, mare Erithræum à Strabone, Plinio (qui idcirco illud geminum appellat) & aliis auctoribus diuiditur, quorum vterque passim apud auctores veteres mare Erythræum appellatur. At verò, vt ab Arriano in hoc periplo, ita à veteribus quoque maris Erythræi nomen latiùs non modò pro Arabico, & Persico sinu, verùm etiam pro vniuerso mari Indico, & Orientali vsurpatum fuit. Arrianus enim noster Æthiopicum, Troglodyticum, Arabicum, Persicum, Indicum, hoc suo maris Erythræi periplo complectitur. Mare autem hoc cur Erythræum Græcè, Latinè (vt etiā aliis in linguis) Rubrum appelletur, variæ & multiplices sunt scriptorum sententiæ. Alij enim sic volunt appellatum à Solis repercussione, siue adiacentibus rubri coloris montibus, in quos Sol ab ortu radios proiiciens coloris repercussione rubram efficiat maris superficiem. Alij quòd illud maximè à Sole exuratur. Alii ab harena, quam recentes quoque scriptores rubram esse confitentur: alii à fonte quodam, qui in mare multam aquam immittat. Nonnulli ab aqua eius rubra sic dictum putarunt, quam tamen opinionem plærîque veterum, & recentium scriptorum repudiāt, aquam illius minimè rubram esse affirmantes. Alii denique (quæ opinio à veteribus maximè fuit approbata) à rege quodam Erythra, siue Erythro Persei & Andromedæ filio sic appellatum fuisse volunt, quem Plin. primum rates, in mari rubro inuenisse dicit. Vide Strab. lib. 16. Plin. lib. 6. cap. 23. Arrianum de rebus gestis Alexandri, Philostratum lib. 3. &c. Hebræi mare סוף *Suph* appellant triplici de causa, secundum triplicem nimirum vocabuli סוף, & finem, & iuncum, & procellam significantis, vim ac potestatem. Vel enim quia à mari Oceano ingrediens non habet aliunde exitum, vel à iunco siue papyro qui in illo nascitur, ex quo etiam naues conficiuntur, quarū nauium papyracearum, teste Plinio, in Nilo maximus olim vsus fuit. Vel, denique à procellis ac tempestatibus, quibus est obnoxium sic appellatum volunt. Arrianus verò auctor huius peripli Rhamnusio videtur non is esse, qui Nearchi nauigationem, résque gestas Alexandri magni literis memoriǽque prodiderit, quippe cùm vtriusque stylus dispar sit atque dissimilis. Idem quoque Rhamnusius hunc existimat vel Ptolomæi temporibus, vel paulò post floruisse, & maiorem Indiæ, præsertim verò Calecutiēsis, quàm Ptolomæum, notitiam habuisse.

Mare Erythræum.

Erythræi maris duo sinus.

Erythræi nomen latiùs sumptum.

Cur Erythræum dictum.

Suph cur ab Heb. appellatū.

Insignes.) Portus, siue emporium ἀποδεδειγμένον (qua voce infrà quoque v-

ἀποδεδειγμένον quid.

titur) videtur dici, quod quaſi digito demonſtretur, idem nimirum ſignificās quod δηλόσημον, & ἀποφαινόμενον, vel ἔνθεσμον, & νόμιμον, quibus vocabulis infrà quædam emporia inſignit.

Emporium quid. — *πόρος.*

Emporia.) ἐμπόριον vox Græca (quæ paroxytonôs ſemper in hoc Arriani periplo ſcripta reperitur) pro Latina, vt multæ aliæ voces Græcæ, vulgò vſurpata, & ipſum rerum venalium mercatum, quæ mari vehuntur (nam πόρος propriè iter maritimum) & forum, ſiue locum, vbi huiuſmodi mercatus agitur, ſignificat. Gallis *L'eſtappe* dicitur. Hebr. עזבון, *Iſbon*. i. derelictio, plural. *Iſbonim*, à עזב, *Aſab*. i. relinquendo, quia merces ibi relinquuntur.

Muris portus. — Mures marini. — Mures pro diis culti. — Apollo Smintheus. — AEgyptiorum ſuperſtitio. — Myos hormon. — Heroum vrbs hodie Sues. — Philotera. — Satyrus. — Arſinoe. — Aquæ calidæ & amaræ. — Mons rubrica plenus. — Muris portus. — Veneris portus. — Portus magnus. — Inſulæ tres. — Meliagrides. — "Sing. ἀκάθαρτος cuius Agatarch. quoque meminit. Agatarch. poſt ſinum Immundum ponit inſulam ὀφιώδη dictam in qua lapis Topazius naſcitur. — Iſthmus. — Apollinis vrbs. — Coptus Thebaica. — Nili foſſa. — Nauigatio ex AEgypto in Indiam. — Coptus à Myos hormo. — Arſinoe. — Clyſma. — Drepanum.

Muris portus.) Sic forſan dictus, vel ob murium marinorum (quos nonnulli volunt eſſe teſtudines lutarias) abundantiam, de quibus Plin. lib. 9. cap. 19, & lib. 15. cap. 65, vel quia muris formam atque figuram habuit, vel etiam quia muribus fuit conſecratus. Nam mures quoque pro diis cultos fuiſſe teſtis eſt Gyllius in hyſtoria deorum Syntag. 7. Vnde Apollo Smintheus fuit cognominatus, Sminthas enim Cretenſes mures vocant. Ab Ægyptiis autem multa animalium terreſtrium, & aquatilium diuinis honoribus fuiſſe culta ſatis ſuperq; conſtat. Huiuſce verò portus Plin. meminit lib. 6. cap. 29. de ſitu maris Rubri Troglodytici, & Æthiopici inſula inquit, Sapirene, Scytala: mox deſerta ad Myos hormon, vbi fons Tadnos, mons Eos, inſula Lambe, portus multi, Berenice oppidum Philadelphi ſororis nomine, ad quod iter à Copto diximus. Strabo item lib. 16, ex Artemidori relatione. Ab Heroum, inquit vrbe (quæ teſte Plinio, ſita eſt in ſinu Arabibus Ean dicto & Oſorio, aliiſq; videtur eſſe vrbs hodie dicta Sues) nauiganti iuxta Troglodyticam Philotera eſt (quam Plinius lib. 6. cap. 29, paruam, Arſinoi vicinam Ænnum quoque dicit appellari) à ſorore ſecundi Ptolomæi, nuncupata, Satyri opus, qui ad Troglodyticam, & elephantum venationem luſtrandam miſſus eſt. Deinde Arſinoe (olim Cleopatris quoque dicta, hodie Taocara Ger. Mercatori, aliis Sues) poſt illam calidarum aquarum exitus. (harum Agatharchides quoque meminit de mari rubro) quæ amaræ & ſalſæ ab excelſa quadam petra in mare emittunt. Non procul mons quidam eſt rubrica plenus (Agatharchides ὄρος μιλτώδης. i. minio rubrum, Ptol. Acabem nominat) in campo ſitus. Deinde Muris ſtatio, & Veneris ſtatio. Agatarchides: poſt, inquit, Portus magnus, qui prius Myoshormes, poſtea Veneris portus cognominatus fuit. Vocatur autem portus magnus ingreſſu admodum flexuoſo. In fronte inſulæ ſunt tres (inſularum iſtarum Agatarch. quoque meminit) quarum duæ oleis opacæ, tertia minus opaca, quæ meliagrides habet. Deinceps eſt ſinus Thebaidi, vt & Muris portus, oppoſitus, qui "Immundus dicitur, quia occultis cantibus, & ventis tempeſtates cientibus infeſtus, quo in loco Berenice vrbs in penitiore ſinu poſita. Idem auctor lib. 17. Non procul à Beronice, inquit, eſt Muris ſtatio, quæ ciuitas nauale habet. Idem paulò pòſt teſtatur Iſthmum in mare Rubrum porrectum (quem Plin. 62. mill. paſſ. longum facit) binis vtrinque ciuitatibus terminari, ab vna quidem parte Beronice, & Muris portus ab altera Copto, &, quæ non procul à Copto diſtet, Apollinis ciuitate, ſed Coptum, & Muris portum excellere, quia iis omnes vtantur. Idem lib. 16. Arabicas, Æthiopicas, & Indicas merces primò in Muris portum, poſtea camelis Coptum Thebaicam ſeu communem Ægyptiorum atque Arabum ciuitatem, & commune omnium illarum mercium emporium, denique per Nili foſſam Alexandriam deportari teſtatur. Ac omnino ex eodem authore conſtat nauigationem ex Ægypto in Indiam aromata, aliáſque merces inde euehendi gratia tritam ac frequentatam hanc fuiſſe, vt ſupra Nilum Coptum vſque nauigaretur, indéque terreſtri itinere Myos hormus peteretur. Diſtat autem Coptus, eodem teſte, à Myos hormo ſex aut ad ſummum ſeptem dierum itinere. Ptolemæus in interiore ſinu Arabiæ hæc ex ordine loca nominat. Arſinoen, Clyſma præſidium, Drepanum promontoriū, teſte

teſte Nigro, falcis inſtar incuruum, Myſormum, Philoteram, Aian montem in mare excurrentem, portum Album ex montium circumſtantium candore, teſte Nigro, nuncupatum. Acaben montem rubrica plenum, in campo ſitum: Smaragdum montem, Smaragdis (vnde nomẽ inuenit) abundantem, Leptam promontorium, Berenicem vrbem. Hæc veteres de Muris portu, & locis illis vicinis. Quoad recentiores ſcriptores Rhamnuſius in aromatum itinerario exiſtimat. Coptum quidem, ἀπὸ τῆς πόλεως dictam, eſſe vrbem hodie Cana, ſiue Chana nuncupatam, ſitam ſupra Nilum, Myoshormon verò eſſe Coſir, ſiue Choſſir hodie dictam. Vterque enim locus eſt gradus 27, quot ferè etiam Copto, & Myos hormo à Ptol. aſſignantur. Vtriuſque porrò loci Cana nimirum, & Coſir luculentam Hyeronimus S. Stephani Genuenſis in ſua nauigatione mẽtionem his verbis facit. A Cairo, inquit, Indiã verſus quinque diebus Cariz peruenimus, vbi bonus eſt portus Cana nominatus, à quo, teſte Io. Leone Affricano Cairũ 400. mill. paſſ. abeſt. A Cana autem terreſtri itinere equitando per montes & deſerta illa, per quæ Moyſes, & Iſraelitæ Pharaone illos perſequẽte, fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt, ſex dierũ ſpatio peruenimus ad Coſir portũ maris rubri. Inde naue cõſcenſa poſt vigintiquinque dies appulimus ad inſulam Mazua dictam, quæ ſita eſt ad dextrum latus maris rubri, inde Aden, &c. Hæc ille, ex quibus conſtat antiquam illam ex Ægypto in Indiam Romanorum temporibus (teſte Strabone & Plinio, tritam, & à Ptol. Philadelpho primò patefactam) quaſi regiam atque ordinariam viam, hodie quoque vſurpari, nec non inter Cana, ſiue Coptum, & Coſir, ſiue Myoshormon, ſex dierum eſſe interuallum, vti ſuprà quoque dictum eſt. Quoad verò deſerta illa, per quæ Hieronymus è Cana dicit ſe ad Coſir profectum, videntur eſſe deſertum illud Gerrum, Adipſon vocatum, montibus aſperum, aquarum inops, cuius Plin. lib. 6. cap. 29. meminit. Olim, teſte Rhamnuſio in aromatum itinerario, qui per illas ſolitudines aquarum expertes camelis vehebantur, noctu iter illud faciebant, ad ſtellas curſum ſuum, non ſecus atque in mari fieri conſueuit, dirigentes, & aquas ſecum portantes. Hodie verò & putei profundi, quos foderunt, & ciſternæ quæ aquis pluuialibus (licet rarò admodum in illis locis pluat) implẽtur, iter facientibus aquas ſubminiſtrant. In hac ipſa quoque regione inter Cana & Coſir intermedia, hodie Smaragdi, aliarúmque gemmarum venæ reperiuntur. Hîc proculdubio eſt mons ille Smaragdus Ptolomæi, de quo paulò antea. Eorundem verò locorum Ioannes quoque Leo Affricanus meminit lib. 8. deſcriptionis Affricæ. Chana, inquit, vetuſta ciuitas ad Nili ripam ex aduerſo Barbaridæ ab AEgyptiis condita, mœnibus quidem cincta eſt, ſed è crudo lapide conſtructis. Incolæ vilis conditionis homines agriculturæ vacant, ciuitas autem frumento abundat. Huc merces cõuehuntur, quæ Alcairo Mecam aduerſo Nilo feruntur, à mari enim rubro per deſertum centum, & viginti ſaltem paſſuum millibus diſtat, qua locorum intercapedine nihil prorſus aquæ reperire licet. In maris autem rubri littore ad Coſſir portum, frequentia ſunt tuguria, in quibus exonerantur merces: portus verò domunculæ ſtoreis contectæ ſunt. E regione Coſſir ab Aſiæ parte ſitus eſt Iambul maris rubri portus, ad quem viatoribus Medinam ſepulchro Mahumetis nobilem iter facientes conuenire oportet. Chana porrò frumentum ſuppeditat Medinæ, at Mecæ, quæ loca illius inopia perpetuò laborãt. Zieglerus & alii Bernicem, de qua poſtea, Myoshormo vicinã, volunt eſſe portum hodie Choſir, ſiue, vt alii ſcribunt Choſair dictum. Atque hæc quidem recentiorum ſcriptorum teſtimonia ſubiicere volui, propterea quod ad Arriani, Strabonis, Plinii horum locorum deſcriptiones illuſtrandas faciunt.

Primus.) Videtur hîc idem ſignificare quod præcipuus, ſiue princeps, vt Rhamnuſius quoque vertit. Strabo enim lib. 17. Coptum, & Myoshormum, duos frequentiſſimos, celeberrimóſque ſua ætate portus fuiſſe teſtatur.

Myſormus. Philotera. Aias mons. Portus Album. Acabe mons. Smaragdus. Berenice. Coptus hodie Cana. Myoshormon hodie Coſir. Cairum. Cariz. Cana. Montes, & deſerta. Coſir. Mazua. Aden. Via ex AEgypto in Indiam antiqua hodie quoque trita. Interuallum inter Cana & Coſir. Deſertum Gerrũ inter Cana & Coſir. Per deſerta illa noctu fit iter. Putei & ciſternæ. Smaragdi & Gemmæ. Smaragdus mõs. Canæ deſcriptio. Situs. Mœnia. Incolæ agricolæ. Coſſir portus. Tuguria. Iambul portus Coſir oppoſitus. Medina. Cana frumentifera. Bernice nonnullis videtur eſſe Coſir. Primus. Coptus. Myos hormus.

Bernices & Myoshormi interuallum.

Stadijs 1800.) Strabo Myoshormon dicit non procul à Bernice esse disiunctum.

Peripli methodus, & partitio qualis membris.

A dextris.) Primùm dextra maris Rubri loca à Bernice persequitur vsque ad Rhapta, quod vltimum facit Azaniæ promontorium, deinde sinistra. Ac omnino primùm quidem AEthiopicum & Troglodyticum, deinde Arabicum, postea Persicum, postremò Indicum tractum describit, in quos veluti quatuor partes commodè vniuersus hic periplus videtur posse distribui. Ptolemæus vniuersam regionem maritimam iuxta sinum Arabicum, & Aualitem ad Elephantem vsque montem dicit Troglodyticam appellari, in qua sint Adulitæ, & Aualitæ, iuxta sinus eiusdem nominis. Regionem porrò quæ hinc sequitur maritimam ad Rhaptum vsque promontorium, vniuersam Barbariam dici. Azania autem est interior elephantis abundantissima. Hæc ille. Secundum ergo Ptolemæum hic primus tractus in duas rursus partes potest diuidi.

Troglodytica. *Barbaricus sinus.*

Troglodyticam, quæ Adulicum, & Aualitem sinum complectitur vsque ad Elephantem montem (de quo paulò pòst) extensa, & Barbariam, siue Barbaricum sinum, qui incipit à monte Elephante, desinit in Rhapto promontorio.

Bernices descriptio. *Via ab Alexandria Bernicem vsque.* *Heliopolis.* *Coptus.* *Berenices & Copti interualliū.*

Bernice.) Bernice, siue Berenice, siue Beronice (tot enim ferè modis scriptum apud auctores reperitur) oppidum est Troglodytarum à Philadelpho eius conditore matris nomine insignitum, positum in sinu Immundo, portus expers, apta tamen diuersoria habens, in quo ipso die solstitii sexta hora vmbræ in totum absumuntur. Strabo. 16. Plin. 6. cap. 29. Idem lib. 6. c. 23. in descriptione nauigationis ex AEgypto in Indiam. Ab Alexandria, inquit, Heliopolim, ab Heliopoli Coptum Nilo nauigatur, à Copto Camelis itur aquationum ratione mansionibus dispositis. Sunt autem nouem mansiones. Inde Berenice oppidum, vbi portus Rubri maris à Copto CCLVIII. mill. pass. Sed quia maior pars itineris conficitur noctibus, & statiuis dies absumuntur, totum à Copto Berenicem iter duodecimo die peragitur. Hæc ille, ex quibus rursus frequentata olim ex Ægypto in Indiam via à Ptolemæo Philadelpho primùm inuenta potest cognosci, de qua suprá. Rhamnusius in suo aromatum itinerario Plinium in dimensione interualli inter Alexādriam, & Heliopolim (quod ille facit M. mill. pass.) errasse scribit. Nam quum constet Heliopolim olim dictam, prope Cairum esse sitam, non maiorem CC. mill. pass. loci intercapedinem inter Alexandriam, & Cairum hodie quotidiana ferè nauigantium experientia depræhendi. Sed Plinium aliâs quoque sæpe in locorum dimensionibus hallucinatum scribit. Quod verò Plinius post Heliopolim aduerso Nilo CCCII. mill. pass. nauigatum scribit, id à ratione atque vero minimè videtur abhorrere, quippe quum Ioan. Leo Affricanus vltima parte sui libri affirmet se aduerso Nilo suprà Cairum CCCC. mill. pass. nauigasse vsque ad Cana, quæ est receptaculum mercium, quæ à Cairo Mecam deportantur, mari vicina CXX. mill. pass. interuallo, vbi est portus dictus Cosir. Hinc facile colligi potest ciuitatem hodie Cana dictam, esse antiquam Coptum: Cosir autem esse Myoshormon, quippe tùm vterque locus, sit grad. 27. supra Æquinoctial. quippe cùm regio quæ inter Nilum & Myoshormon est, interiacet. CXX. mill. pass. pateat, quod secundum Strabonem fuerit sex aut septem dierum interuallum. Hæc Rhamnusius. Sic enim iuuat animus veterum scripta cum recentiorum scriptis, atque experientia cōferre. Bernicem porrò hanc Niger in sua Geographia testatur olim Hylanam fuisse vocatam, à Barbaris hodie Alchaser dici, cui Sabanitis mons immineat, portus Rubri maris. Zieglerus Bernicem vult esse portum Chosair hodie dictum. Forsan is est, quem Niger corrupto vocabulo Alchasar appellat. Plinius à Iuba, qui videtur hæc diligentissime prosequutus, duas alias in hoc tractu cognomines vrbes dicit fuisse prætermissas. Vnam, quæ Panchrysos sit cognominata. Alterā quæ Epidires (forsan Epitheres legendum) insignem loco, &c. Sunt aliæ quoque huius nominis

Error Plinij in interuallo Alexandriæ & Heliopolis. *Heliopolis prope Cairum.* *A Cairo ad Cana nauigatio.* *Canam esse Coptum.* *Cosir esse Myoshormon.* *Regio inter Nilum & Myoshormon.* *Bernice olim Hylana, hodie Alchaser.* *Bernice Panchrysos.* *Bernice Epidires.*

nis vrbes, de quibus vide Stephanum.

Τισηβαρική.) Forſan immutatis ac tranſpoſitis literis legendum ἡ γῆ ἀραβική. Ptolomæus enim Berenicem, & Myſormon in Arabico ſinu ponit. Infrà ſimiliter Arrianus à ſiniſtris Bernices poſt Myoshormon duorum aut trium dierum interuallo vicum Album qui portus eſt atque caſtellum, ponit, ac deinceps iiſdem, quibus hîc verbis vtitur, μετὰ δὲ ταύτην εὐθέως ἐστὶν συναπτὴς ἀραβικὴ χώρα ſecundum longitudinem ad mare Rubrum extenſa: ac deinceps vt hoc quoque in loco, Ichthyophagorum mandras ſubiungit.

Tiſebarica.

Ichthyophagorum.) Sic infrà Arabicæ facta mentione, ſubiicit τούτων τὰ παρὰ θάλασσαν ὁμοίως ἰχθυοφάγων μάνδραις διείληπται. Ptol. de ſitu Æthiopiæ interioris. Magnum ſinum, inquit, qui apud Occidentalem Oceanum eſt tenent Ichthyophagi. S. Hieronimus contra Iouianum. Porrò Ichthyophagi, gens errans in littore maris Rubri, ſupra petras Solis calore feruentes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. Huiuſmodi autem populi Ichthyophagi (quos Iuba, teſte Plinio, natantes ceu maris animalia appellauit) non ſolùm in Æthiopia, Troglodytide, Arabia, verùm etiã in India, Carmania pręſertim (hodie Chirman) & Gedroſiæ hodie Guzzarate dictæ maritimis locis olim extiterunt, ſic dicti, quia vniuerſus ferè illorum victus, cultúſque vitæ piſcibus conſtabat. Ex iis farinam, panem, oleum, varios cibos, nec non veſtimenta, ædes, naues, vaſa conficiebant, iidem pecora quoque alebant. Huius rei teſtes ſunt Strabo lib. 6. 15. 16. Plin. lib. 6. cap. 39, lib. 23. c. 29. lib. 1. c. 7. Arrianus lib. 8. Philoſtratus de vita Apollonij lib. 5. Diodorus Siculus lib. 4. Agatarchides de mari Rubro. Ad hos Dauid Pſal. 73. 13. & 14. videtur alludere his verbis. Tu conteris thynnorum, qui in aquis habitant, capita. Tu confregiſti caput Leuiathan, & poſuiſti eum eſcã populo Æthiopum. Ichthyophagos omnes Alexander Magn. vetuit piſcibus veſci, quod proculdubio illis valde graue, moleſtúmque extitit. Bellonius enim lib. 1. cap. 72. Orientales populos hodie magis piſcibus, quàm carnibus delectari teſtatur. Itaque non eſt mirum AEgyptios olim ſacerdotes religionis ergò à piſcibus, ceu deliciis quibuſdam per totam vitam ſuam abſtinuiſſe: vt hodie contrà Carthuſiani monachi, ceu alteri Ichthyophagi, à carnibus abſtinent. De Ichthyophagis porrò quibuſdam noſtrorum temporum ſic ſcribit Odoardus Barboſa Luſitanus oculatus teſtis in ſuo itinerario. Ichthyophagorum, inquit, regio hodie appellatur regnum Vlcinde inter Perſidem, & Indiam ſitum, ad ortum enim regno Cambaia, ad occaſum Perſide terminatur. Regnum eſt terra ampliſſimum, perpaucos habẽs maritimos portus. Illius incolę magna ex parte, vt & ipſe Rex, ſunt Saraceni, partim albo, partim nigro colore præditi, qui licet propriam quandam & peculiarem linguam habeant, tamen Arabicè ferè, & Perſicè loquũtur. Regio eſt plana, in qua parum eſt frumenti, hordei, atque carnis, ſyluæ, arboréſque raræ inueniuntur. Nauigationibus rarò admodum vtuntur, ſed in cauernis quibuſdam maximis, atque deſertis piſcationi dant operam. Piſces capiunt maximos, quos partim ſale conditos ad victum quotidianum recondunt, atque reſeruãt, partim exiguis quibuſdam nauigiis in alias regiones vendendi, lucríque cauſa deportant. Nec verò illi tantùm ſiccatis piſcibus veſcuntur, verùm etiam iiſdem equos, quibus abundant, cæteráque ſua pecora paſcunt. Similia planè M. Paulus Venetus lib. 3. cap. 46. de Ichthyophagis regionis Aden, & Eſcier ciuitatis ad regnum Aden, pertinentis in Arabia fælici literis mandauit, quæ veterum de eadem gente hiſtoriis admodum ſunt conſentanea.

Ichthyophagi.
Ichthyophagi quibus in locis.
Carmania hodie Chirman.
Ichthyophagi cur ſic dicti.
Ichthyophagorũ in Sacris literis mentio.
Ichthyophagis Alexand. M. piſcium eſum interdicit.
Oriẽtales magis piſcibus, quàm carnibus delectantur.
AEgyptiorum ſacerdotum abſtinentia à piſcibus.
Carthuſiani.
Ichthyophagorũ deſcriptio.
Vlcinde regio Ichthyophag.
Piſces.
Piſcibus pecora paſcuntur.
Ichthyophagi Aden.

Speluncis.) Strabo lib. 16. Ichthyophagos ſcribit habitare partim in ſpeluncis, partim in tuguriis quibuſdam quorum tecta oleæ frondibus, trabes atque tigna ex cetorum oſſibus, atque ſpinis conſtant. Idem auctor lib. 15. prolixè vſitatam illic ex balænis domos eſſe conſtruendi rationem deſcribit. Idem facit Agatarchides de mari Rubro. Hodie Æthiopes in vniuerſum, teſte Oſo-

Ichthyophagorũ domicilia.

Æthiopum tuguria.
Habitationes subterraneæ.

rio Lusitano, tuguria ex lateribus Sole adustis, aut è terra faciunt, quæ culmis deinde siue paleis, atque congestis glebis contegunt. Fuit autem subterraneæ huiusmodi habitationis ratio vniuersæ illi regioni Æthiopicæ Orientali immodicis caloribus laboranti (vnde etiam nomen hoc sortita est) per quàm accommodata.

Æthiopia duplex.
Erembi siue Troglodytæ vnde dicti.
Troglodytarum habitatio subterranea.

Ea cùm iam inde ab Homeri temporibus in duas partes Occidentalem nimirum, & Orientalem fuerit distincta: Orientali quidem annumerãtur Erembi, siue Troglodytę (quos Diodorus Volgios vulgò appellatos tradit) sic dicti, quia, vt Plin. lib. 5. cap. 4, Mela, & alij testantur, specus sub terris excauare illósque (vnde Troglodyta ἀπὸ τοῦ τρώγλας ὑποδεδυκέναι) subire, atque incolere soliti sunt. Similiter Dionys. Alexãdrinus illos ἐν πέτραις κατωρυχέσι. i. petris suffossis, seu excauatis habitare, & ferarum ritu vagam vitam agere dicit.

Æthiopia Abassina vnde dicta.
Abases Ægyptijs domus dicũtur.

Niger Æthiopiam hanc sub Ægypto, hoc est, Orientalem hodie Abassinam, siue Abyssinam, ipsósque Æthiopes Abyssinos dicit nominari à domibus, quas Abases Ægyptij appellant, quibus secundum Strabonem Pantheræ similis, veluti punctis quibusdam sit distincta. Ac quoniam Abassinæ regionis hîc facta est mentio, obiter notabis quod Beniaminus Tudelensis in suo itinerario tradit regionem Æthiopiæ quæ est in tractu Geenæ, sine Gineæ olim Hhauilam hodie Hhabas dici, vnde Arias Montanus itinerarij illius interpres Latinus ait Hhabasinos Æthiopas dici, quos Gręci perperam Abyssinos vocent.

Gorages Æthiopes sub terra habitantes.
Troglodytica olim Michoe hodie Arabia dicitur.

Franciscus Aluarezus in suo itinerario hodie gentem quandam esse Æthiopiæ Gorages dictam, quæ in speluncis subterraneis habititet. Item Troglodyticam (olim, teste Plin. lib. 6. cap. 28, ab aliis Minchoen, ab aliis Midoen dictam) ait hodie Arabiam vulgò dici, cuius initium quidem sit mare Erythræum, & Abissinorum regio, finis verò Magadaxum. Huic genti continua esse cum Abissinis bella.

Loci Isaiæ explicatio de Troglodytis.
Troglodytica cur terra vmbræ alarum dicatur.
Vela nauium alæ.

Huiusce porrò Troglodyticæ gentis regionísq; tristia, atque funesta fata Isaias propheta his verbis prædicit: Væ, inquit, terræ vmbræ alarũ, quæ est vltra flumina Cusch. Doctissimis quibusque interpretibus placet Troglodyticam hic propriè intelligi, quæ appelletur vmbrosa alis, ob nauium, & velorum obumbrantium frequentiam, quæ id nauibus præstant, quod alæ auibus. Nam naues, quum earum vela ventis impulsa sunt, per maria quasi volitant. Hinc Chaldæus paraphrastes vertit. Et vela eorum extenta, sicut aquilarum volitantium. Sensus ergo. O terra multis mercatoriarum nauium velis, quasi auium alis obumbrata. Ita plærique Hebræorum rectè sanè atque commodè meo iudicio interpretantur. Sed aliæ quoque, mea sententia, à vero atque ratione haudquaquam abhorrentes interpretationes huius loci videntur posse afferri.

Vnius loci sacræ Scripturæ plures sensus afferri possunt.
Alia interpretatio.
Troglodytarum vmbræ alatæ.
Vmbrarum in Troglodytice mirabilis ratio.

Nam sæpe Spiritus sanctus vna, vt ita loquar fidelia, duos, plurésve parietes dealbat. hoc est, vnico aliquo dicto ad plura respicit, atque alludit. Quid ergo absurdi fuerit, si dicamus terram Troglodytarum ideò à Propheta terram vmbræ alarum dici, quia vmbræ eius sint quasi alatæ, atque pennigeræ, quippe quia post solstitium statim auolent? Nam, quod obseruatione, admirationéq; dignum est, in Berenice, & Ptolomaide (quæ duæ olim principes fuerũt Troglodytarum vrbes.) ante solstitium 45. diebus totidémque postea, nullam vmbram iaci, atque adeò in tota Troglodytice hisce 45, diebus vmbram contrarium cadere, Plin. lib. 6. cap. 24. Eratosthenis testimonio confirmat. Videtur ergò Propheta terram vmbræ alarum appellando, ad hanc admirabilem, singularémque vmbrarum in illa regione affectionem dispositionémque allusisse.

Troglodytices vmbræ raræ.
Alia interpretatio.
Alia interpretatio.

Vel etiam possumus magis simpliciter dicere terram vmbræ alarum dici, quia in vniuersum vmbræ eius sint quasi alatæ, hoc est, raræ momentaneæ, fugaces, quę citò quasi auolent. Vel etiam diuisis dictionibus, forsan primò dicitur terra vmbræ, ídque vel quia admirabilis est vmbrę, vt paulò antea dictum est: vel per antiphrasin, quasi minimè vmbrosa, vt pote solis ardoribus maximè exposita: deinde verò (alarum) quia eius incolæ incredibili quadam velocitate cursus non hominibus modò cæteris præstitisse, verùm etiam ipsos equos æquasse feruntur.

Troglodytæ velocissimi.
Alia interpretatio.

Sub tentoriis regio.
Arabes Sukkim dicti.
Troglodytarum vox mirabilis.
Troglodytarum velocitas, victus, vox.
AEthiopes quidam hodie ſingultiût in loquẽdo.
Zilzal.

runtur. Quid ſi etiam dicamus terram vmbræ alarum dici, hoc eſt, degens ſub tentoriis vmbroſis alarum inſtar expanſis, ad quæ alludit Abac. 3. AEthiopiæ tento ria vidi, &c. Hinc Arabes vniuerſi *Sukkim* dicti ab Hebræis, quia ſub tentoriis habitant. Symmachus, teſte Hieron. vocem צלצל *zilzal* vertit ſonitum, alludens forſan ad admirabilem, quaſíque ſerpentinum quo illam in loquendo vti, Plinius & Mela teſtantur. Strident, inquit Mela, magis quàm loquuntur. Herodotus, Troglodytæ, inquit, AEthiopes omnium hominum velociſſimi, ſerpentibus, lacertíſque veſcuntur, nulla alteri ſimili lingua vtuntur, veſpertilionum more ſtrident. Sic hodie quoque AEthiopas quoſdam Oſorius Luſitanus ſingultire in loquendo teſtatur. Eadem vox *zilzal* inſtrumentũ quoque piſcatorium ſignificat. S. Hieronymus gurguſtium vertit, ergo vel ad illorum piſcationes, vel gurguſtia ſubterranea alludit. Atque hæc de Iſaiæ loco occaſione Ichthyophagorum atque Troglodytarum ſatis ſint dicta. Operæpretium. n. mihi videmur facere, quando prophanas hiſtorias ad Sacrarũ literarum explicationem accommodamus, quippe quum certiſſimum ſit prophanis hiſtoriis plurima ſacræ Scripturę loca obſcura egregiè poſſe illuſtrari. Troglodytæ porrò (vt hoc quoque appendicis loco addam) etiam in Europa prope Triballorũ regionem, atque Caucaſum dicuntur, qui, contraria de cauſa, nimirum propter magnam vim frigoris, ſub terra coguntur habitare. Eiuſmodi ſunt quoqne Parnaſſi Dytochthones dicti. Verùm de ſubterranea huiuſmodi hominum pariter atque ferarum habitatione vide plura apud Agricolã de ſubterraneis animalibus.

Hiſtoriæ prophanæ ad Sacras literas illuſtrãdas conducunt.
Troglodytæ in Triballorum ora, & ad Caucaſum.

Barbari.
Barbari vox quot modis vſurpetur.

(Mediterranea Barbari.) Vox Βαρβάρου & generatim vſurpatur, & ſpeciatim, vt hoc in loco. Generatim enim quemuis rudem, & imperitum, abſurda & incondita voce linguáque vtentem, item alienum & extraneum, denique Græcis eum qui non eſt Græcus, Latinis eum qui non eſt Latinus ſignificat. Plato in Politico, Multi, inquit, homines in duo genera diuidunt, in Græcos, & alios populos, qui omnes Barbari, ἄπειροι ὄντες, καὶ ἄμικτοι, καὶ ἀσύμφωνοι πρὸς ἀλλήλους. Idem in Cratylo Barbaros facit Græcis vetuſtiores, & in Epinomide Aſtrologiæ inuentores. Sic Straboni lib. 14. Barbari olim παχύστομοι, καὶ τραχύστομοι, hoc eſt, craſſiloqui, atque duriloqui, hoc ficto vocabulo videntur fuiſſe notati, ac poſtea vſurpari cœptum pro eo qui non eſt Grȩcus. Hinc Barbar lingua Arabica murmurare, vocis ſono inculto, incondito, abſono, & abſurdo vti ſignificat, vnde Arabes ipſos Africanos, quorum ſermo illis horridus, belluarúmq; ſimilis videbatur, *El barbar*, hoc eſt, barbaros appellarunt, teſte Leone Africano, & Scaligero contra Cardanum. Tametſi, vt iidem teſtantur, alij à deſerto, quod Hebræi *midbar*, Arabes *bar* appellant, ſic dictos volunt. Mihi videtur vocis Hebrææ *dabar*, quæ verbũ ſignificat, vltima ſyllaba duplicata peperiſſe vocem *barbar*, ſiue Barbara Arabicam, quippe quum Arabica linguæ Hebrææ ſit propago. Quoniam autem lingua Hebræa, &, quæ ei affinis eſt, Arabica cæteris gentibus, atque nationibus παχύστομος, atque τραχύστομος, craſſa, abſurda, aliena planè atque extrãnea viſa eſt, hinc factum puto, vt ipſa quoque vox *barbar* partim Hebræa, partim Arabica pro quauis & lingua & gente, & re peregrina atque abſurda vſurpata ſit, atque etiamnum hodie vſurpetur. Ex eodem fonte vox Latina balbutire, & Gallica *barboter* videntur promanaſſe. Idem porrò vocabulum ſpeciatim certis quibuſdam populis, locis, atque regionibus applicatur. Sic enim pars certa Africæ Barbaria dicitur, de qua vide Leonem Africanum libro 1. cap. 2. Scaligerum contra Cardanum Exercitat. 51. Sic Hiſpaniæ quoddam promontorium, hodie Capo de S. Pichel dictum, olim Barbarũ fuit appellatum. Item, ne longius abeamus, hoc ipſo in loco pro certo quodam Æthiopiæ populo vſurpatur, à quo proculdubio ſinus Barbaricus, de quo mox, fuit appellatus. Infrà quoque certum Indiæ promõtorium ad Indi oſtia ſitum, Barbari & Barbarica ab Arriano appellatur.

Barbar Arabibus murmurare.
Africani ab Arabibus Barbarĩ cur dicti.
Barbar vocis origo.
Barbara vox pro locis & gentibus ſpecialiter applicata.
Barbaria pars Africæ.
Barbarum promont. Hiſpaniæ.

Agriophagi.

Agrij Cynamolgi.

Agriophagi.) Hoc eſt, qui carne ferina, ſiue fructibus ſylueſtribus veſcebantur. Plinius libro 5. cap. 30. Agriophagos appellat pantherarum & leonum carnibus maximè veſcentes. Forſan iidem ſunt, quos Strabo Agrios pariter & Cynamolgos appellat, quóſque ſuprà Creophagos Meridiem verſus dicit habitare, lib. 16.

Moſchophagi. Carnis vitulinæ eſus interdictus. Valens Imper.

Moſchophagi.) Sic dicti, quia carne vitulina veſci, delectarive ſolebant. Alicubi vitulina carne veſci ſummum olim ſcelus cenſebatur. Valens Imperator olim edixerat Orientalibus, ne vitulinam carnem ederent, quum agriculturæ conſultum cuperet, teſtis eſt Cœlius libro 28. cap. 2. Videntur autem iſti Moſchophagi, quorum Arrianus hîc meminit, iidem &, quos generaliore vocabulo Creophagos, hoc eſt, carniuoros, Strabo lib. 16 appellans, ſupra Antiphili portum, hodie Vella dictum, poſt Ichthyophagos. Quemadmodum autẽ in cæteris terrarum partibus, ita potiſſimùm in Arabia, Troglodytica, Æthiopia, India, regionibus monſtruoſorum hominum atque animalium feraciſſimis, multæ gentes à victu crebro, & vſitato, præſertim abſurdo atque monſtroſo cognominantur. Huiuſmodi ſunt præter hos quorum Arrianus noſter meminit, Rhizophagi, qui etiam Elij vocantur, Aſtaboram, & Aſtapum Meroes inſulæ flumina accedentes, ſic dicti, quod ex vicina palude euulſis radicibus maſſulas conficiebant, iiſque ad Solem coctis veſcebantur. Sic Oſorius libro 5. ſuæ hiſtoriæ incolas inſulæ S. Laurentii, quæ eſt in Æthiopia, de qua infrà, radicibus multiplicibus, quas terra illa effert, panis vice veſci teſtatur, Rhizophagis illis Strabo vicinos facit Spermophagos, qui & ſeminibus quibuſdam victitabãt, & iis deficientibus pomis nutriebantur, conficientes ea quemadmodum Rhizophagi radices. His adde Elephantophagos, Strutophagos, Hippophagos, Cynophagos, Camelophagos, Chelonophagos, Ophiophagos, Acridophagos, Anthropophagos, Pamphagos, de quibus multa Strabo lib. 16. Plinius lib. 6. c. 30. Ptolomæus paſſim in Arabiæ, Troglodoticæ, Æthiopiæ, Indiæ deſcriptionibus. Agatarchides de mari rubro. Cœlius lib. 28. c. 2.

Creophagi. Antiphili portus hodie Vella. Populi à cibis cognominati. Populi à cibis cognominati. Rhizophagi. Rhizophagi inſulæ S. Laurẽtij. Spermophagi.

Tyranni Troglodytarum.

Qui tyrannorum. Agatarchides, τὸ μὲν γένος τῆς συστάσεως τυραννίς. Ibidẽ plura de vita, moribus, victu cultúque Troglodytarum diſſerit Strabo lib. 16. Troglodytarum, inquit, vita eſt paſtoralis, multos tyrannos habent, mulieres, & filij eis communes, exceptis tyrannorum vxoribus, qui enim tyranni vxorẽ corruperit, oue mulctatur.

Νέμεσθαι pro gubernari.

Νέμεται.) Vox tranſlata ab animalium paſtionibus, hinc reges ποιμένες λαῶν. i. paſtores populorum dicuntur.

A tergo.) Sic infrà, κατὰ νώτου μεσόγειος, metropolis Scythiæ Minnagara. Rhamnuſius vertit, verſus meridiem, forſan quia in illius exemplari Græco *ο* fuit pro *ω*.

Ptolemais Therôn. Cytis Topazius. Ophias inſula. Topazius Æthiopiæ. Ptolemais Epitherias cur cognominata. Monolius lacus. Ptolemais in margine maris rubri.

Ptolemais therôn.) Plinius libro 6. cap. 29. Poſt Berenicẽ inſula, inquit, ibi Cytis Topazium ferens & ipſa (hanc Strabo, & Agatarchides Ophiadem appellant. Hinc Iob 28. Topazius Æthiopiæ non adæquabitur illi) vltrà ſyluæ, vbi Ptolemais à Philadelpho condita ad venatus elephantorum, ob ídque Epitherias cognominata, iuxta lacum Monolium. Idem libro 2. cap. 73. Conſtat in Berenice vrbe Troglodytarũ, & inde ſtadiorũ quatuor millibus DCCCXX. in eadem gente Ptolemaide oppido quod in margine maris rubri ad primos elephantorum venatus conditum eſt, hoc idem ante ſolſtitium XLV. diebus, totidémque poſtea fieri, & per eos XC. dies in Meridiem vmbras iaci. Strabo libro 16. inter Berenicem, & Ptolemaida ponit Ophiadem inſulam lapide Topazio inſignem. Poſtea Sopitæ deæ portum, Tauri duos mõtes, montem aliũ, in quo eſt Iſidis templum, quod eſt Seſoſtris opus, inſulam oleis conſitam mari circumuallatam. Belleforeſtus Iſidis inſulam, in qua Iſis olim culta fuit, vult eſſe eam quæ Paſcoa hodie dicitur. Poſt hanc, inquit, eſt Ptolemais apud elephantum venationem, ab Eumede conditam, &c. Ptolemæus Ptolemaida θηρῶν

Iſidis inſula hodie Paſcoa.

ρῶν.i.Therôn inter εὐαγγέλων.i.bonorum angelorum portum, & βωμὸν ἔρωτος, hoc eſt,aram Cupidinis collocat. Hanc Ptolemaida therôn, Rhamnuſius ex Portugallenſium coniecturis exiſtimat non procul abeſſe oppido Suaquem,ſiue Suachem,à quo inſula eiuſdem nominis nuncupatur, quod quidem eſt in continente AEthiopiæ poſitum capitis bouilli figura præditũ, cuius duo quaſi cornua pulcherrimum, tutiſſimúmque portũ efficiunt. Hoc ipſum gradibus videtur poſſe confirmari.Nam Ptolemaida therôn Ptolemæus facit 16.gradus. Suachem autem Andreas Corſalius vno in loco 16.in alio (niſi forſan ſit mendum)18.gradus facit.ex quo idem affirmat in mari Rubro nauem conſcendere eos qui ex AEthiopia Hieroſolymã religionis ergò iter faciunt. Franciſcus Aluarezus in ſuo itinerario AEthiopico Suachen ſcribit è regione Nubiorum, qui AEgyptiis ſunt vicini,verſus ortum iuxta mare Rubrum eſſe ſitum,& paulò pôſt,eundem ait poſitum eſſe inter extremam oram regni Ioannis Presbyteri vulgò nominati,& principium AEgypti.Quid ſi Suachem ſit Suchæ oppidum,quod Plinius libro 2.cap.73.interPtolemaida,& Aduli(de quo paulò pôſt) collocat.

Ptolemais non procul à Suachẽ. Suachen. Suachen figura. Suachen vbi ſitũ. Nubij. Quid ſi Suachem ſit Suchæ olim dictum.

Therôn.) Sic cognominata ab elephantorum venationibus circa illam exerceri ſolitis ad differentiam & Ptolemaidis vrbis AEgypti, quæ Barce fuit cognominata,de qua Strabo libro 17.& alterius Ptolemaidis vrbis Pheniciæ,quæ Claudij Cæſaris Colonia olim Ace fuit appellata,teſte Plinio libro 5.c.19.Hodie G.Mercatori eſt Acon.Strabo lib.16.& 17. multa alia in hoc tractu loca elephantorum venationibus inſignia enumerat.

Therôn cur cognominata. Ptolemais Barce. Ptolemais Ace olim dicta, hodie Acon.

Ptolemæi regio.) Agatarchides Ptolemæum Lagi filium primum dicit ex quorundam ſententia, elephantorum venationem inſtituiſſe, id quod eidem authori ſic videtur intelligendum,vel quòd venationis præ cęteris fuerit ſtudioſiſſimus,vel quòd primus poſt Alexandrum Magnũ,vel quòd primus regũ Ægyptiorũ venationi elephantorũ egregiam operam nauarit. Huic ſucceſſit Ptolemæus ſecundus (quem hîc Arrianus intelligit) qui Philadelphus fuit cognominatus,quem vt literarum,ac diſciplinarum liberalium, ita venationum ſingulari quodam ſtudio flagraſſe, Strabonis, aliorúmque monumenta teſtantur.

Elephantorum venatio à quo inſtituta. Ptolemæus Lagi filius. Ptolemæus Philadelphus.

Venatores.) Cuiuſmodi in primis nobiles,& inſignes fuerunt Eumedes, atque Satyrus,quorum egregia opera Ptolemæus iſte ad elephantorum venationes vſus fuit teſte Strabone lib.16.

Eumedes & Satyrus venatores nobiles.

Teſtudo.) Teſtudinũ creberrimam in hoc periplo Arrianus noſter mentionem facit,tum quia Romano florente imperio maximus olim Romæ earũ vſus fuit.Nam teſte Plinio lib.9.cap.11.teſtudinum putamina ſecabant in laminas, lectóſque & repoſitoria iis veſtiebant, quod primus Çorbilius Pollio inſtituit,ex illis præterea pocula, aliáque vaſa conficiebant. Sic infrà Arrianus quædam de teſtudinum vſu ad inſtrumenta quædam conficiendum diſſerit.Teſtudines autem tantæ magnitudinis Indicum mare mittit, eodem Plinio teſte libro 9.cap.10.vt ſingularum ſuperficies habitabiles caſas integant, atque inter inſulas Rubri præcipuè maris his nauigent cymbis. Inde Chelonophagi populi AEthiopiæ dicti,quorum omnis vitæ cultus, victúſque teſtudinibus conſtabat,ex iis enim,vt Ichthyophagi,ex piſcibus,naues, tuguria,vaſa,alimenta conficiebant,vt teſtis eſt Strabo libro 16.Plin.libro 9.cap.10. Agatarchides de mari Rubro.Troglodytas Plin.libro 9. cap.10. cornigeras teſtudines habere dicit,quas adorent.Idem libro 3.204.facit quatuor teſtudinum ſpecies, nimirum terreſtres, marinas, lutaceas, & quæ in dulci aqua viuunt. Ariſtoteles lib.5.de hiſtoria animalium,duo tantùm genera ſtatuit, terreſtrẽ, & marinam.Arrianus noſter varias teſtudinum differentias facit. Ac primò ſecundum quantitatem alias dicit eſſe ὑπερμεγέθας,id eſt,ingentes, cuiuſmodi ſunt in Dioſcoridis inſula,alias paruas,quas χελωνάρια appellat,cuiuſmodi in

Teſtudinũ vſus creberrimus apud Romanos. Teſtudinum Indicarũ magnitudo. Chelonophagi. Teſtudines cornigeræ Troglodyt. Teſtudinum ſpecies quatuor. Teſtudines aliæ magnæ aliæ paruæ.

Testudines maximæ vbi. Mosylo promontorio dicit reperiri. Maximas, vt olim, ita hodie quoque in Taprodana, siue Sumatra insula, & in Troglodytica, idem iuxta Gangem fluuium reperiri AElianus lib. 16. cap. 17. Plin. libro 6. cap. 22. aliique authores testantur. *Testudines albæ* Deinde secundum colorem Arrianus noster alias facit albas, alias χρυσᾶς, *Testudines aurei coloris.* hoc est, aurei coloris. Quoad albas Gesnerus parum dicit constare sintne aquatiles, an lutariæ, an terrestres. *Testudines aliæ crassas, aliæ tenues testhaasbēt* Præterea secundũ loca sunt illæ terrestres montanæ, marinæ, fluuiatiles. Denique secundum testas, vnde dictæ sunt, alias dicit tenuibus, cuiusmodi sunt in Prolemaide, alias maximis, & crassissimis testis præditas, cuiusmodi in Dioscoridis insula reperiuntur.

Ἀληθινὸν id est, eximium. Ἀληθινήν. ἀληθινὸν pro eximio, vel excellenti in aliquo genere à recentioribus vsurpatur. Sic forsan Dioscorides mala Cydonia, siue cotonea ἀληθινὰ appellat, hoc est eximia. Sic infrà quoque in Dioscoridis insula similiter, veram, terrestrem, albam dicit reperiri.

Elephas. *Ebur.)* Elephas sæpe Synechdochicôs pro dente, ex quo ebur, vnde dens *AEthiopia elephantis abundās* quoque apud Hebręos sæpe pro ebore vsurpatur. Nutrit autem vniuersa AEthiopia elephantes quàm plurimos, è quibus magnam vim eboris mercatores inde in multas alias orbis terrarum regiones important.

Aœdotico. *Aœdotico.)* Videtur esse mendum, forsan legendum ἀδουλικῶς, nam paulò pòst elephantes licet rariores, dicit iuxta Aduli reperiri, vel ἰνδικῶς, cuius generis elephantorum, atque eboris magna est præstantia.

Emporium νόμιμον. *Emporium legitimum.)* Νόμιμον, idem quod ἔνθεσμον, qua voce infrà vtitur.

Aduli. *Aduli.)* Plin. li. 6. c. 29. oppidũ, inquit, Adulitõ (Hermolaus forsan Adulicõ, *Aduliton Plinio, à seruis conditũ.* at sinus Adulicus legendũ per c putat) Ægyptiorũ serui à dominis profugi cõdidere. Maximũ hîc emporiũ Troglodytarũ, etiã Æthiopũ. Abest à Ptolemai- *Aduli quàm procul à Ptolemaide* de (quæ est Suacha) quinq; dierrũ (Arrianus noster 3. millia stad. facit) naui- *Aduli quarum merciũ emporiũ.* gatione. Deferunt plurimũ ebur, rhinocerotũ cornua, hippotamorũ coria, celtiũ (Hermolaus Celetũ scribi posse indicat, κελήτων Græcè, de quibus Plinius lib. 9.) sphingia, mancipia. Idem lib. 6. cap. 29. Adulitarum, inquit, oppidum distat *Adule Ptolomæo.* ab Isidis portu decem dierum nauigatione. Ptolomæus de situ Æthiopię sub Ægypto ἀδούλην appellans, ponit in sinu Adulico (ab illa ciuitate denominato) inter montuosam Chorsærosam, de qua mox, & Saturni promontorium. *Adulis Stephano* Stephanus ἄδουλις. Adulis, inquit, vrbs est Æthiopum, alij verò πάνος Panis insulam illam appellant. Mysorum libri habent ἄδουλι, sine σ, sed est error: nam ἄδουλις debet scribi, teste Herodiano, in iis quę in λις desinunt. Ciuis Adulites, vt Axumites, & possessiuum ἀδουλιτικὸς, Aduliticus. Hæc ille. Eiusdem Proco- *Adulis Procopio.* pius quoque meminit libro 1. De bello Persico, Adulis, inquit, ciuitas à portu Adulico stadiis viginti distans, tantundem à mari remota, ab vrbe autem Auxonide iter dierum duodecim. Apud Æthicum inter Oceani Orientalis op- *Adlenite AEthico.* pida illustria Adlenite fit mentio, vbi D. Simlero rectè videtur Adulis, siue Aduliton legendum. Hoc verò oppidum ab Arriano nostro ἀδουλὴ, à Ptolomęo ἀδούλη, à Plinio Aduliton, à Stephano & Procopio ἄδουλις appellatum. Rhamnusio ex Portugallensium coniectura, necnon Belleforesto, & aliis videtur *Adulis hodie Ercocum.* esse ciuitas, quam Ercocum, siue Ercoccum, siue Archiquum, hodie appel- *Ercocci descriptio.* lãt, qui, teste Andrea Corsalio, portus est celebris maris Rubri, in regione Abyssinorum Christianorum. Eiusdem meminit author Summarij Orientalis, statim ab initio, vbi Abyssinos hunc solum portum maris Rubri dicit habere. *Ercocum portus Mazuæ vicinus.* Franciscus Aluarezus testatur Ercocum insulæ Mazuæ, de qua paulò pòst, vicinum à Christianis habitari subiectum Barnagasso Regi, qui Ioanni Presbytero paret, ibidem pluribus incolarum illius loci humanitatẽ, hospitalitatémque prædicat. Eiusdem oppidi, Archiquum appellans, luculentã mentionem *Siqueira Lusitanus.* facit Osorius lib. 11. suæ historię. Siqueiram enim Lusitani Regis Emmanuelis legatum ad regẽ AEthiopiæ missum à præfecto Archiqui humanissimè per legatos,

legatos,& literas salutatum fuisse testatur, quos legatos Siquera benignè suscepit,& bombycinis vestibus ornauit. Rhamnusius in commentatione sua de incremento Nili, Ercocum ad sinistrum maris Rubri latus, portum sedecim gradibus esse dicit supra lineam, à quo Visionis monasterium 24. millia pass. distet. *Ercocum vbi situ. Visionis monasterium.*

Insula Orene.) Hanc Ptolomæus ὀρεινὴν Χερσόνησον, hoc est, mõtuosam Chersonesum appellans, in sinu Adulico collocat. Hanc insulam, siue peninsulam, cui Arrianus noster ab vtroque latere dicit continentem adiacere, Rhamnusius, Belleforestus ex Portugallensium opinione putant esse illam, quæ hodie Mazua, siue Macua, siue Macqua dicitur Ercoquo, siue Archiquo, de quo paulò antea, opposita & vicina. Hieronymus S. Stephani in suo itinerario Mazuam dicit esse sitam in sinistro latere maris Rubri, & vno ferè milliari à continente esse disiunctam: vbi portus (is est Ercocum) sub imperio Presbyteri Ioannis, ac insulæ Saracenum quendam præfuisse scribit. Eiusdem meminit Odoardus Barbosa, qui post Delaquam, siue Delaccam, de qua postea, in mari Rubro dicit esse Mazuam, Zanaquinum, & alia loca Saracenorum, quod latus Arabia felix appellatur, à Saracenis Batrazan. Osorius libro 11. Mazuam insulam Æthiopiæ intimis littoribus adiacere, & ad ditionem regis AEthiopiæ pertinere dicit, cuius ambitus non omnino octo millia passuum cõtineat. portum esse optimum, sed solum macrum, & sterile, aquæ penuriã summam. In hanc Lupius Siqueira Lusitanus, Emmanuelis regis Portugalliæ legatus, ad regem AEthiopiæ delatus anno salutis 1520. aliquandiu ibi commoratus est. Insulam perlustrauit, cisternas aquationis faciendæ gratia diuisit, & locum, in quo arx commodè ædificari posset, designauit. Sed nec locus vllus erat satis idoneus, & munitiones, quas naue sua ad arcem muniendam deportabat, naufragio perierant. Belleforestus in magna illa sua Cosmographia recens edita, Mazuam pulchram insulam, continenti vicinam, figura rotũda, vnionum piscatione nobilem esse dicit. *Orene insula hodie Mazua. Mazuæ descriptio. Delacca. Zanaquinum. Arabia felix, Batrazan à Saracenis dicta. Mazua in ditione regis AEthiopiæ. In Mazuam Siqueira delatus. Mazua vnionũ piscatione nobilis.*

Diodori insula.) Huius infrà quoque meminit. Ptolemæus de situ Meroes inter insulas Arabici sinus viginti numero, tres hasce postremas enumerat, nimirum Panis, Diodori, & Isidis (quæ hodie Pascoa est Belleforesto) enumerat. Ei subiungit sinum Aualitem, in quo Mondi insulam ponit. Eiusdem Plinius meminit libro 6. cap. 29. Vltra (subintellige Isidis portum, duas insulas, quæ sunt ante portum, Pseudopulas, & duas alias interiores Pylas dictas) est sinus Abalites, insula Diodori, & alia deserta, oppidum Gaza, promontorium, & portus Mossylicus, quò cinnamomum deuehitur. Rhamnusio & aliis insula Diodori videtur esse illa quæ hodie *Bebel mandel* vulgò appellatur, de qua Rhamnusius in sua illa commentatione Italica, supra nauigationem Iamboli mercatoris opulentissimi à Diodoro Siculo conscriptam disserit. Bebel mandel, inquit insula sita est in medio ostio maris Rubri, ampla, quæ vna ex parte tria millia passuum à continente distat. Eius gradus sunt duodecim, quod etiã simul ipsius freti. Hæc ille, vbi notabis, duodecim gradus tribui insula Bebel mandel (quam Bebmondũ nonnulli Latinè appellant) quot sanè à Ptolomæo Diodori quoque insulæ assignantur, vnde constat vnam eandémque insulam rectè nonnullis videri. De eadem porrò sic scribit Andreas Corsalis in quadã sua epistola. A portu Adem, inquit, peruenimus ad ostium freti maris Rubri die vno & dimidio, quod quidem iter fuit triginta leucarum. Ostium est tredecim gradus, in cuius aditu in medio mari insula est dicta Bebel, non omnino humilis, sterilis, omnísque viriditatis expers, cuiusmodi sunt omnia ferè illa Arabiæ loca. Insulæ ambitus, duarum leucarum, à continente Arabiæ distans duabus leucis, totidémque ab Æthiopia. In illa antiquitus duæ feruntur fuisse catenæ ferreæ, quæ vltroque continenti alligatæ à maris Rubri aditu prohibuerunt. Eiusdem insulæ Ludouicus Vartomanus (Bartema quoque & Ro- *Diodori insula. Insulæ Arabici sinus. Aualites sinus. Mondi insula. Pseudopylæ insula. Pylæ insulæ. Diodori insula hodie Bebel mandel. Bebel mandel insulæ descriptio. Ostium freti maris Erythræi. Bebel insula. Insulæ ambitus. Catenæ ferreæ insulæ.*

Chamara insula. Ostium maris Rubri.

manus dictus) meminit libro 2. de Arabia felice, his verbis, A Chamaran insula, inquit, cursum direximus ad ostium maris Rubri, quod est duorũ ferè dierum iter. Ad quod ostium quum peruenissemus, inter septa, siue claustra quędam esse videbantur, ostio non plus patente ternis millibus passuum. Ad dextrũ ostij terra est alta circiter viginti passus, deserta, inculta, sterilis, quantũ è longinquo videri potest, ad sinistram mons est altissimus, & saxosus. In medio ostij insula est exigua, deserta, dicta Bebel mandel, vnde qui Zeilan cogitat, dextra: qui Aden, sinistra iter facit, quod nos persequuti sumus. in conspectu tellurẽ semper habentes, ex Bebelmendelo scilicet Aden vsque itinere tridui, cum dimidio. Duæ ergo sunt probabiles admodum coniecturæ Diodori insulam esse illam ipsam, quæ hodie Bebel mandel dicitur. Vna est de qua iam dixi, pares nimirum vtriusque gradus. Altera est, quod recentes scriptores Orientalium nauigationum, testantur Bebel mandel sitam esse in medio freti Rubri maris. Idem de Diodori insula tradit Arrianus infrà his verbis, ὃ (scilicet αὐλῶνος, hoc est, freti, quo nimirum Arabicus continens, atque Barbarica regio iuxta Aualitem coeunt, & contrahuntur) τὸν μεταξὺ πόρον ἑξήκοντα σαδίων μεσολαβεῖ νῆσος Διοδώρου, hoc est, cuius freti mediam partem, quæ est sexaginta stad. intercipit Diodori insula. Deinde idem nauigationem per illam dicit esse rapidam propter ventos ex montibus vicinis spirantes, quod & ipsum egregiè congruit cum eo quod Ludouicus Vartomanus à sinistris freti montem altissimum, totúmque saxeum esse dicit. Belleforesto tamen non Bebelmandel, sed Primera insula hodie dicta videtur esse illa antiqua Diodori insula.

Iter à Bebelmãdel Adẽ vsque. Diodori insulã, esse Bebelmãdelã 2. coniecturæ. 1. Idẽ gradus. 2. Situs vtriusque idem. Nauigatio per Bebelmandel cur rapida. Diodori insula Belleforesto videtur & hodie Primera dicta.

Iuxta continentẽ in Orene Aduli.) Huic probè cõuenit quod Osor. lib. 11. scribit, simulatque Siqueira Indiæ prætor insulam Mazuam, hoc est, Orenem subuectus fuit, eius incolas classis formidine perterritos in continentem traiecisse, in quo sit oppidum Archiquum nomine, quod quidem paulò antea dixi esse Aduli oppidum.

Adulicus sinus ab Aduli dictus.

Vicus.) Ptolomæus oppidum appellat in sinu Adulico, qui ab illo nomen suum sortitus est.

Coloa vrbs mediterranea.) Ptolomæus de situ Merocon κολολώ Coloam, primo paludem, siue lacum appellat, è quo nobilissimus fluuius Astapus erũpit. Hanc paludẽ, testis est Ioannes Barrosus in sua Geographia, necnon Ger. Mercator hodie Barcenam nuncupari. Ex qua fluuius (quem Ptolomæus Astapum vocat) erumpens, eodem Barroso teste, post longum admodum cursum in duo brachia diuiditur. Horum alterum antiquitus flumen lacus hodie flumẽ S. Spiritus appellatur, quod nomen ei à Laurentio Marquezio fuit impositũ, qui anno 1545. regionem illam lustrauit. Alterum verò huius fluuij brachium, quod infra Zefalam viginti leucarum interuallo decurrit, hodie quibusdam in locis Cuama, in aliis Zambere vocatur. Hæc duo brachia vna ex parte, ex altera ipsum mare insulam Zefalam Bernemotapæ subiectam imperio efficiunt. Hæc ille. Idẽ author ex lacu illo totius Africæ clarissimo, tres maximos fluuios promanare dicit, Nilum, Zairem, Astapum. Plinius lacum ex quo Nilus oritur, Nelidem appellat, simúlque testatur Nilum medios secantẽ Æthiopas, Astapum appellari, quod illarum gentium lingua significat aquam è tenebris profluentem, libro 5. cap. 9. Idem eodem in loco circa Meroen clarissimã insulam, (hodie, teste Rhamnusio libro de Nilo, Gueguere corrupto vocabulo dictã) Nilum ait fluere Astaborem læuo alueo dictum, hoc est, ramum aquæ venientis è tenebris, dextro verò Astusapen, quod latentis significationem adiicit. Plinius ergo (cui astipulantur Mela & Solinus) Astaborem & Astapum, siue Astusapem vult duo esse Nili Meroem insulam efficientis brachia. Rhamnusius quoque Astapũ ab incolis Meroes hodie Nilum ait appellari. Niger in sua Geographia, Meroen, inquit, Nilus ab Occasu, Astaboras ad ortũ, Astapus ad Meridiem circumfluit. Ptolomæus Meroen insulam ab occasu Nilo, ab ortu

Coloa palus. Astapus fluuius Coloa palus hodie Barcena dicta.

Astabora

Astabora fluuio ait effici. Strabo libro 16. Circa Meroen, Astaboram, & Astapũ ait influere. Ipsam verò Meroen Munsterus vult regionem hodie Elhabam dictam, in qua D. Matthæum Euangelium prædicasse ferunt. Hæc de Coloa palude. Deinde Ptolemæus, vt & hic noster Arrianus, Coloam vrbem mediterraneam esse dicit, quam ponit inter Auxuma (de qua paulò pòst) & Mastam. Hanc verò Rhamnusius, & alij, existimant esse vrbem hodie Baruam, siue Barruam dictam. Est autem Barua caput atque metropolis regionis regnique Barcnagasij, in qua sunt duo amplissima & magnificentissima templa. Vnum virorum, Sancti Michaelis, alterum mulierum, Apostolorum S. Petri & Pauli.

Coloa vrbs mediterranea.

Coloa hodie Barua dicta.

Axomitem metropolim.) Stephanus ἀξουμίτης, Axumites metropolis Æthiopum, eius ciuis ἀξουμίτης Axumites dicitur. Ptolemæus αὐξούμην Auxumã appellat, in qua sit regia, eámque ante Coloam ponit. Procopius Axomidem appellans ab Aduli duodecim dierum itinere distare. Sic Niger in sua Geographia Auxumam ciuitatem regiam Auxumitarum metropolim inter Astaboram fluuium & mare sitam esse scribit, è regione vrbis Aduliæ. Auxumitas porrò Æthiopas Nicophorus Callistus libro 9. cap. 18. in primis maris Rubri littoribus ad sinistram habitare dicit, quorum metropolis sit Auxumis. De eodem populo idem author libro 17. cap. 32. iucundam sanè lectu de illorum ad religionem Christianam conuersione historiam tradit. Auxumitarum enim rex (Indorum addit, quia sæpe in historiis Indi pro Æthiopibus, vt Æthiopes pro Indis ponuntur) Græcæ superstitionis cultor, bellum cum Homeritis Iudaicam religionem colentibus gessit, cuius causam Romani præbuere. Per Homeritas enim AEgypto vicinos, merces vltrò citróque datæ & acceptæ ad Auxumitas inferebantur. Verùm quum ab Homeritarum rege Damno nomine Romani insidiis fuissent appetiti, accidit vt profectio illa ad Auxumitas fuerit impedita. Qua re grauiter cõmotus Auxumita rex Dauid nominis bellũ Homeritis intulit, voto prius Christianorũ Deo nuncupato, illorum se sacra suscepturum, si victoriam ab Homeritis reportaret. Prælio itaque commisso, victoria potitus, Damno rege capto viuo, votum suum persoluendi gratia legatos ad Iustinianum Imperatorem misit, eúmque rogauit, vt quæ ad Christianæ religionis cultum pertinerent, sibi præstaret. Iustinianus itaque ea re plurimùm delectatus egregiæ sanctitatis Episcopum illis misit, qui partim docendo, partim piè sanctéque viuendo gentem illam ad Christianam religionem traduxit, quæ inde longius ad interiores quoque AEthiopes promanauit. Et tunc primùm inde Metaxa Constantinopolim est allata. Idem libro 9. cap. 18. Theophilum Episcopum Indum cognomine à Constantio Imperatore ad Oriẽtales Christianæ religionis propagandæ gratia missum, ab Homeritis, India & Arabia ad Auxumitas progressum esse dicit.

Axomite.

Auxuma Ptol.

Axomis Procopio

Auxumitæ Æthiopes qui.

Auxumitarum rex.

Auxumitarum bellum cum Homeritis.

Homeritæ.

Damnus rex Homeritarum.

Dauid Auxumitarum rex.

Auxumitarum victoria.

Auxumitæ Christiani facti.

Metaxa.

Theophilus Episcopus.

Axomitẽ porrò, quam Stephanus Axumitem, Ptolemæus Auxumam, Procopius Axomidem, Nicophorus Auxumin appellat, Auxumitarum metropolim. communi ferè consensu Orientalium nauigationum authores affirmant esse vrbem hodie Caxumum, siue Chaxumum, siue Cassumum appellatam, iuxta quam Ioannes Presbyter rex AEthiopiæ plerunque sub tẽtoriis, & in agris habitat. In illa vrbe festum S. crucis vltimo die Septembris, quò solo Ioannes Presbyter se conspiciendum præbet, tanta pompa, ac hominum frequentia celebratur, vt multi in illa turba intereant. qui quidem in diuorum & martyrum albo reponuntur. Testis est Odoardus Barbosa. AEthiopes, teste Francisco Aluarezo, sibi persuadent hanc olim & reginæ Sabæ illius, quæ ad Salomonẽ venit, & Candaces cuius in Actis Apost. fit mentio, regiam sedem ac domicilium fuisse. Ac reginã quidẽ Sabã à natali loco cognominatã Maquedã, Candacẽ autẽ Iudich proprio nomine appellatas fuisse affirmant. Candace regina Strabonis temporibus AEthiopiæ imperauit, virilis sanè mulier, sed altero ocu

Axomites varia nomina.

Auxuma hodie Caxuma dicta.

Festum S. Crucis in Chaxumo.

Auxuma reginarum Sabæ & Candaces sedes.

Regina Saba.

Regina Candace

lo capta, cuius metropolis fuit Napata, vt testis est ipse Strabo libro 17. cap. 8. Eiusdem Plinius quoque meminit libro 6. cap. 29. Hæc an fuerit illa, cuius in Actis Apost. cap. 8. fit mentio, non satis liquet. Plinius loco ante citato nomen Candacis multis ab hinc annis ad Reginas transiisse scribit.

In quam omne ebur.) Hinc Nicephorus, vt suprà dictum, per Homeritas, AEgypto finitimos, omnes merces vltrò citróque datas & acceptas, ad Auxumitas scribit deferri fuisse solitas. Idem Metaxam, ex illa vrbe ait Constantinopolim fuisse allatam. Est autem Metaxa sericum villosum, quod velutum vulgò vocant, & videtur sic dictum ab ipsa vrbe Axoma, vnde Bohemi antiquum nomen retinentes, adhuc sericum illud Axumit appellant. Metaxæ mentio fit l. lotas. C. De murileg. & ginæc. libro 11, & metaxariorum negotiorum l. fin. C. de pignor.

Metaxa quid.

Per Cienium.) Forsan est fluuius quidam.

Cienium.

Insulæ paruæ plures Alalæi.) Plinius libro 6. cap. 28. de Arabibus & Nabatæis insularum, Alaæa meminit. Idem eodem libro cap. 29. de situ maris Rubri, Troglodytarum, & AEthiopũ. AEthiopes, inquit, Aroteres insulæ quæ Aliæu, item Bacchias, & Antibacchias, & Stratonis. Forsan igitur insulæ Alalæi sunt, quas Plinius Aliæu appellat, vbi Hermolaus Alien legendum putat. Agatarchides Alilæorum populorum meminit, quos dicit vicinos esse Dedebis populis prope Orenen Chersonesum (de qua paulò antea) habitãtibus. Ac omnino insulæ maris Rubri, vt multi testantur, sunt innumeræ, ac pleræque desertæ, & inhabitabiles, cuiusmodi sunt Caiassa olim Astrata, siue Astarta, Chifalé olim Ara Palladis, Ginamanté olim Gythites, Soridan olim Generatio deorum, Angetiua olim Acanthiua, Pascoa olim Isidis à Ptolemæo appellatæ, his adde Atfas insulas desertas, Tuicé, Bugan, & alias. Verùm principes hodie, maximéque cultæ eiusdem maris insulæ sunt Suachen, Mazua, Camaran, Dalacca.

Alalæi insulæ. Alaæa insula Plinio. Aliæu insula forsan Alalæi. Alilæi populi. Dedebæ populus. Insulæ maris Rubri innumeræ. Caiassa olim Astrata. Chifala. Ginamante. Soridan. Angotina. Isidis. Insulæ maris Rubri celebres.

Opsianus lapis.) Obsidianus legendum. In genere vitri, inquit Plinius libro 36. capite 26. & obsidiana numerantur ad similitudinem lapidis, quem in AEthiopia inuenit Obsidius, nigerrimi coloris, aliquando & translucidi, crassiore visu, atque in speculis parietum pro imagine vmbras reddente. Gemmas multi ex eo faciunt. Videmúsque & solidas imagines diui Augusti capti materia huius crassitudinis, dicauítque ipse pro miraculo in templo Concordiæ obsidianos quatuor elephantos. Remisit & Tiberius Cæsar Heliopolitarum ceremoniis repertam ibi in hæreditate eius, qui præfuerat AEgypto, obsidianam imaginem Menelai. Ex quo apparet antiquior materiæ, origo, varia vitri similitudine interpolata. Xenocrates obsidianum lapidem in India, & in Samnio Italiæ, & ad Oceanum in Hispania nasci tradit, &c. Eiusdem meminit libro 37. capite 10. Huius lapidis, teste Calcaguino in libro De silentio, ea vis est magorum omnium consensu, vt mutos ac elingues prorsus homines efficiat.

Opsianus lapis. Obsidianus lapis ab Obsidio inuentore dictus. Imagines ex obsidiano. Elephanti obsidiani. Obsidiana imago Menelai. Obsidianus vbi nascatur. Obsidianus mutos reddit.

Τοπικῶς.) τοπικὸν, & ἐντόπιον (quibus vocibus creberrimè Arrianus vtitur) dicitur, quod alicuius loci est proprium, natiuum vernaculum, domesticum, siue quod in vno aliquo loco propriè fit, siue gignitur. Hinc τοπικῶς prouerbum quo & ipse ter vtitur. Sic, exempli gratia signa aduentantis tempestatis, numismata, lodices, vestes, naues, piscatores, merces, ἐντοπίους, siue τοπικοὺς. i. loci alicuius proprias infrà appellat.

Τοπικὸν & ἐντόπιον.

Zoscales.) Æthiopes olim Regem creabant eum, qui vel forma, vel alendorum pecorum scientia, vel robore, vel opibus pollebat. Reges suos pro diis colebant, ceu communes omnium conseruatores & custodes, teste Strabone lib. 17. Ac in vniuersum quoad regnum Æthiopiæ, Plin. lib. 6. cap. 29. Æthiopiã priscis tẽporibus scribit Ægyptiorum bellis attritam vicissim imperitando, seruiendóque claram fuisse, & potentem vsque ad Troiana bella Memnone regnante,

Zoscales rex AEthiopiæ. AEthiopum rex olim quis creari solitus. Reges AEthiopum diuinis coli honoribus. AEthiopiæ antiquæ status.

gnante, & Syriæ imperitasse,&c. Nero bellum Æthiopicum cogitans milites prætorianos cum tribunis ad explorandam Æthiopiam misit. Eidem Augusti temporibus P. Petronius Ægypti præfectus, equestris ordinis, bellum intulit, multis eorum oppidis expugnatis. Verùm omisso antiquo statu Æthiopiæ, atque Troglodyticæ hodie vniuersa illa regio à Portugallensibus patefacta, & ad ciuilem cultum traducta variis principibus Arabicis,& Saracenis paret, cuiusmodi est rex Quiloensis, Melindius, & alii regis Lusitaniæ tributarij. Verum duo sunt omnium potentissimi, quorum alter Rex regionis Abyssinæ (olim Æthiopia) sub Ægypto dictę: duo habet nomina, nimirum Aceyne, hoc est, Imperator,& Neguz, hoc est, Rex, vulgò olim Ioannes Præsbiter à Christianis appellatus, quum Alexander nomen esset ei Regi, qui tum temporis, quando Portugallenses in Æthiopiam intrauerunt, regnum illud administrabat. Sub hoc, est regnum Barnagasei potentissimum, necnon regnum Tigremahon, Angote, Amara, Xoa, Fatigar, Oya, Goiame, in quo regno Nilus ibi Goion appellatus, ex duobus lacubus, Zembre vel Zaire, & Zahan ortum suum habet, vt vult Franciscus Aluarezus. Illi autem lacus (qui ob magnitudinem suam videntur esse maria) ex montibus Lunæ, nimirum ex Zeth, & Betzun promanare dicũtur. Alter verò Rex est Benomotapa, siue Monomolapa, quod idem sonat quod Imperator, cuius regamen latissimum est in ea Æthiopiæ parte, quæ est vltra promontorium Bonæ spei, quæ Australi Oceano terminatur. Vtrumque regnum & simul vniuersum Æthiopicum, diligenter accuratéq; descripsit Franciscus Aluarezus in itinerario suo Æthiopico, nec non alij. Quæ omnia quoniam Osorius Lusitanus libro 4,& 9, suæ historiæ, elegantissima descriptione veluti vno fasciculo complexus, eam hîc inserere volui, vt lector huius peripli nausea forsan aliqua fastidióque affectus, illius lectione recreetur. Ac primò quidem quoad vniuersam AEthiopiam, illam sic describit. Constat iam inde ab Homeri temporibus, eam Africæ partem, quam Græci AEthiopiam appellant, in duas partes esse distinctam. Vna namque, vt ipse Homerus auctor est, ad occasum Solis, altera ad ortum pertinet: & vtriusque partis regiones vltimæ, quæ ad Austrum longissimo tractu protenduntur, Oceano terminatur. Occidentalis AEthiopia cum ea Africæ parte, quæ Gaditano freto definitur, continens est, atque in Austrum inde continuata distenditur, vsque eo, dum quinque tãtùm fermè gradibus ab æquinoctiali regione distet. atque deinde in ortum Solis inflectitur,& ad principium promontorij Bonę spei maximo spatio dilatatur. Inde verò rursus in Austrum tanta longitudine procurrit, vt æquinoctium superet,& Austrum versus, circiter grad. 35. ab æquinoctiali plaga dissideat. Inde ad ortum Solis extenta, ad æquinoctialem rursus abducitur, & Septentriones respicit, donec tandem in sinum Arabicum atque in promontorium Prasum perueniat. Ibi Arabiam ab ortu Solis spectat. Intimus autem ille sinus Heroum ciuitate definitur. Continet autem AEthiopia supra dimidiam Africæ totius partem. Regio partim est fertilis,& multis frugibus, & armentis, & pecoribus abundat, & quamplurimis fluminibus alluitur: partim deserta, & inculta, & rerum omnium asperitate vastata. Est etiam in illa non solum maxima linguarum, sed etiam morum dissimilitudo. Nam quidam sunt mites, & commodi, & ad omnem rationem humanitatis propensi. Alij vero sunt moribus immanibus efferati. Ea verò pars AEthiopiæ, quæ spectat ad Solis ortum, à promontorii illius maximi flexu incipit,& deinde ad AEthiopiam, quæ supra AEgyptum est, post varios sinus & flexus extenditur. Continet autem AEthiopia elephantos quamplurimos, è quibus magnam eboris mercatores inde in multas alias orbis terrarum regiones important. Abundat multis auri,& æris,& argenti venis, aliísque rebus innumerabilibus, plurimis in locis opulenta est. Calores tamen nostris hominibus infestissimi,& febres mortiferæ eos his commodis omnibus arcent, terroribúsque mortis obiectis impe-

Nero AEthiopicum bellum cogitauit. *P. Petronius eques Reg. AEthiopiæ bellum intulit.* *AEthiopia quibus hodie pareat.* *AEthiopiæ reges.* *AEthiopiæ Abyssinæ rex.* *Duo eius nomina.* *Primus Aceyne.* *Secundus Neguz.* *Ioannes Presbyter vulgi.* *Alexander rex AEthiopiæ.* *Regna subiecta regi Abyssinæ.* *Nilus Goion dictus.* *Nili ortus ex duobus lacubus.* *Lacus illi ex montibus Lunæ.* *Lunæ montes Zeth, & Beth[zun].* *Benomotapa rex AEthiopiæ.* *AEthiopiæ descriptio.* *AEthiopiæ duæ partes.* *AEthiopia orientalis & occidentalis.* *AEthiopiæ Occidentalis termini.* *Promontorium Bonæ spei.* *Sinus Arabicus* *Prasum promontorium.* *Heroum ciuitas.* *Regio AEthiopiæ qualis.* *Incolæ AEthiopiæ Occident.* *AEthiopiæ Orientalis situs.* *Elephanti.* *Ebur.* *Metalla auri, æris, argenti.* *Calores funesti.*

Auaritiæ vis.
diunt,quò minus multas ex AEthiopia vtilitates excipiant. Quanquã tantas
plerunque vires habet auaritia, vt mẽtes hominum à cogitatione mortis (quã
nihil mihi videtur eſſe terribilius) frequẽter abducat. In hac autem AEthiopiæ
parte,quæ eſt vltra promontorium Bonæ ſpei,quæ Auſtrali Oceano terminã-
Regnum Benomotapa.
tur, eſt regnum latiſſimum, quod Benomotapa nominatur, cui, antè quàm
Luſitani eas oras perluſtrarent, omnes illius oræ Reges ſine recuſatione pa-
Auri copia.
rebant. Eſt autem auro, ſupra quam quiſquam exiſtimare poteſt, ditiſſimum.
Auri tributum.
Nam è fluuijs etiam, atque lacubus eruitur. Multíque Reges Regi Benomota-
Incolarum religio.
pæ auri tributum quotãnis impendunt. Gens ſimulachra minimè colit: vnum
Deum cæli & terræ conditorem confitetur. Cultus & veſtitus non eſt cultui,
Cultus, veſtitus.
quo reliqui Æthiopes vtuntur, abſimilis. Regem incredibili ſuperſtitione ve-
Regis veneratio.
nerantur. Rex duo regiæ maieſtatis inſignia geſtat. Vnum eſt, paruus quidam
Regis duo inſignia.
ligo cum eburneo manubrio. Alterum iaculis duobus haud ita magnis conti-
1. Ligo.
netur. Ligone ſubditos ad terræ culturam adhortatur, ne propter ignauiam
2 Iacula.
atque deſidiam terram deſerant, & fame coacti latrocinentur. Vno vero ex ia-
Ligo cuius rei ſignum.
culis ſignificat, ſe ſcelerum vindicem futurum, altero vim externam ab hoſti-
Iaculorum ſignificatio.
bus armis atque virtutẽ repreſſurum. Regum filii, quos habet ſtipendiarios, a-
Regum filij cur in eius aula.
pud illum nutriuntur, tùm vt ea educatione Regem debita fide & amore pro-
ſequi ſtudeant, tùm vt illis obſidibus Rex eorum parentes in officio & fide cõ-
tineat. Eſt maximo ſemper exercitu conſtipatus, quanuis ſumma pax & otium
Exercitus.
cum omnibus finitimis nationibus ſit illi firmo fœdere conſtitutum. Tunc e-
nim cenſet, ſibi nullum à bello fore periculum, quum in pace bellum ſemper
Mos nouũ quotannis ignẽ principibus & Regibus ei ſubiectis excitandi.
Regum fortunis impendere ſuſpicatus fuerit. Singulis annis mittit ex ſuis do-
meſticis, & familiaribus, qui ignẽ nouum Principibus & Regibus, qui in illius di
tione ſunt, nomine ipſius Regis impertiat, atque inde reliquis hominibus di-
ſtribuatur. Quod quidem ad hunc modum fit. Vbi legatus ad domum cuiuſuis
principis accedit, ignis extinguitur. Deinde rurſus à legato nouus ignis exci-
tatur, tunc omnes eò commeant, vt ignem inde in domos ſuas inferant. Hoc
qui facere recuſat, proditor atque rebellis exiſtimatur, & tanquam maieſtatis
reus extremo ſupplicio punitur: &, ſi opus ita fuerit, exercitus in illum compa-
ratur, vt hominem fidei deſertorem multis cruciatuum ſuppliciis interimat.
Et hæc de Benomotapæ regno. Iam verò quoad regnum Ioannis Preſbyteri,
illo altero potentius, illud Oſorius Luſitanus lib. 9. ſuæ hiſtoriæ his quaſi colo-
Regni fines.
ribus depingit: Regnum, inquit, illius à Septentrione, Ægypti finibus, ab Au-
ſtro, montibus Lunæ terminatur, ab ortu mari, quod per oſtium Arabici ſinus
influens ad Heroum ciuitatem pertinet, definitur. In occaſum verò latiſſimè
protenditur, ita vt cum gentibus atro colore, & criſpo & aduſto capillo, quę ad
AEgeſimba regio.
Ægeſimbam regionem pertinent, coniugatur. Montes tamen multos in illius
Montes multos Saraceni tenent.
regno Saraceni tenent, qui illi non obediunt. reliqui principes illi parent, &
multi tributi nomine ei non mediocrem auri vim ſingulis annis pendunt. A
Auri tributum.
Nili ortus.
Lunæ montibus Nilus exoritur, qui inde varios lacus & inſulas efficiens, Ægy-
ptum interfluit, vſque eò, dum per Alexandriam in noſtrum mare influat. Re-
Regni ambitus.
gni totius ambitum ſeptingentis milliaribus patere dicunt, Multi in ea regio-
Montes multi editi.
ne montes editi, & excelſi contineri dicuntur, vndique prærupti, aditu peran-
Planicies in montibus.
guſto, adeò, vt vnus tantùm homo per oſtium penetrare poſſit. In ſummo au-
tem faſtigio ſunt miræ planicies latè patentes, aquæ perennes, pabula & fru-
Regionis fertilitas.
ges lætiſſimæ, amnes pellucidi, pecorum, & boum multitudo, aluearia, è quibus
Metalla.
vis ingens mellis exprimitur. Regio maxima ex parte fertilis & opima, multiſ-
Equi.
que auri, & argenti, & æris metallis abundat: equos nutrit, goſſipii copiam in-
Goſſipium.
Potio ex melle & aqua.
gentem profert: vino caret, ſed incolæ potionem è melle & aqua conficiunt
potu iucundam, & corpori valde ſalubrem. Medicis atque pharmacis raro ad-
Incolarum mores.
modum vtuntur. Gens tamen eſt ſupra modum ignaua, & propter ingentem
deſidiam, & artificum penuriam, telluris bonitate frui neſcit. Rex cum finiti-
mis

mis gentibus continenter bella gerit, & ideo vrbes non incolit, sed in castris perpetuò ætatem degit. Tanta est autem hominum atque tabernaculorum multitudo, vt castra circiter duodecim millibus passuum in lõgitudinem pateant, & totidem in latitudinem. Eo autem ordine locantur, vt quanuis crebrò mutentur, facillimum sit cuiuis, castrorum vias oculis designare, & in hominũ, quos conuenire velit, tentoria sine vllo errore peruenire, & principes, quos velit adire, & tanquam in vrbe notissima versari. In castris septem paroeciæ sunt, & singulis paroeciis sacerdotes præfecti, qui sacra peragunt, cõciones habent, subditos disciplinis instituũt, & rebelles pœnis à flagitio deterrent, & ad Christianam moderationem frequenter erudiunt. Vrbes regionis exiguæ sunt, ædes humiles, muri fragiles: templa tamen magnifica, & monasteria maximis sumptibus ædificata. Rex se tanquam numen cæleste coli faciebat: vultum ne principibus quidem apertum, nisi statis diebus ostendebat. Illis qui eum conuenire volebant, aliquando pedem tantum, aliquando verò manum demonstrabat: reliquam speciem Regis intueri, nefas existimabatur. Quum verò respondere volebat, internuntiis vtebatur, & è cortinis, quasi ex aditu oraculum ederet, responsa per interpretes edebat. Sed hæc ineptissimæ diuinitatis emẽtitæ fabula, postea quàm Lusitani gentibus illis in vltimum discrimen adductis opem attulere, & morẽ Christianorum Regum exposuere, derisa fuit. Iam nunc Reges intueri, iam illos alloqui, iam audire licet. Quod verò ad religionẽ attinet, multa ab Hebræis desumpta conseruant. Mares octauo ab ortu die circumciduntur, & fœminis etiam aliquid amputatur, vt non omnino incircuncisæ videantur. Quod se dicunt facere, non quòd in circuncisione vim aliquã ad salutem cõstituant, sed vt Abrahami, & aliorum sanctorum Patrum exemplum sibi ob oculos proponant, & illo monimento commoniti, acrius & ardẽtius in similis sanctitatis studium incitentur. Quadragesimo deinde à circuncisione die mares, octogesimo autem fœminæ salutaribus aquis expiantur, & Eucharistiam eo die infantes initiati in mica panis assumunt. Singulis annis diem, quo CHRISTVS à Ioanne aquis Iordanis ablutus Baptismi Sacramentum instituit, eiusdem lustrationis renouatione celebrant: & tamen asserunt, vnico tantùm Baptismo peccata deleri, reliquas lustrationes quotannis instauratas, corpus tantùm tingere, animum verò non expiare: se tamen id facere, vt CHRISTI diuinum beneficium (qui, vt nostras sordes elueret, sanguinem & aquam è latere suo profudit) sæpius in memoriam redigant. Fœminæ si mares ediderint, quadraginta diebus, si fœminas, octoginta à templorum liminibus arcentur. Sacerdotes & vxores ducunt: si vxores decesserint, cælibes permanent, & summa castimonia vitam peragũt: & si adulterio se contaminauerint, aut post vxorum mortem aliqua se libidine commaculauerint Sacerdotio priuantur. Antequam rem diuinam faciant aliquot diebus vxoribus abstinẽt, vt libidinis impuritate dierum numero sublata, sanctius CHRISTI sanctissimũ corpus immolent, & attentius de rebus diuinis cogitent, & sic facilius perlitẽt. Monachis vxorem ducere, nefas. Nemini, nisi nudis pedibus, ingredi in Templum licet. In fanis flagitium est ridere, sermocinari, deambulare, aut aliquid denique meditari, quod non ad cælestia atque diuina referatur. Quum ieiunant vsque ad Solis occasum nec edere quicquam, nec bibere solent. A cibis quos antiqua lex vetabat, abstinent. Flagitia sacerdotibus sæpenumerò confitentur. Sub vtramque speciem Eucharistiam sumunt. Monachi Antonium Ægyptium auctorem religionis habent. Pontifices à Rege creantur. Patriarcha à monachis deligitur, & à Patriarcha Alexandrino confirmatur. Multa sunt, in quibus Iudaicis ritibus atque cæremoniis adhæresicunt, quanquam affirment, se non illis, sed CHRISTI tantùm virtute atque meritis inniti. Multos dies festos agunt. Sanctos homines hac vita perfunctos colunt, atque venerantur. Hæc ille quidem de AEthiopibus Christiano nomine vtentibus.

Regis consuetudo. Castrorum Regis quantitas. Castrorum figura & ordo. In castris septẽ paroeciæ. Sacerdotes. Ædificia. Templa. Monasteria. Rex se tanquam numen cæleste coli volebat. Regem intueri olim nefas. Regis responsa. Regum veneratio superstitiosa hodie cessauit. Religio. Circuncisio masculis, & fœmellis communis. Baptismus. Eucharistia infantibus datur. Diem quo Christus à Ioanne baptizatus celebrent. Anabaptismus. Fœminæ post partum à tẽplis arcentur. Sacerdotes vxores ducunt. Monachi. In templis quomodo se gerant. Ieiunia. Confessio. Eucharistiã sub vtraque specie. Monachi. Pontificum & Patriarcharum creatio. Iudaici ritus multi. Dies festi. Sanctorũ cultus.

Πλειόνες.) Videtur πλειόνων legendum.

ἱμάτιον vestis. Ἱμάτια.) Vox ἱμάτιον & ἱματισμὸς (qua vtraque crebro vtitur) vestes, item pãnos significat. Vox Grçca tam latè accipitur, quàm vox vestis apud Latinos.

Ἄγραφα.) Non concinnatæ, cui opponitur γεγραμμένον, quo infrà aliquoties vtitur.

Stolæ. Στολαί.) De voce στολὴ (& antiquitus generatim pro quauis veste, & postea speciatim pro honesta matronali veste vsurpari solita) vide Bayfium.

Arsenoiticæ vestes. Arsinoe. Arsinoe nonnullis Suez. Suez situs. Sinai mons hodie Turba. Ἀρσενοειτικαί.) Legendum ἀρσινοειτικαί .i. in Arsinæ confecta. Est autem Arsinoe condita sororis nomine in sinu Charandra à Ptolemæo Philadelpho, qui primus Troglodyticen excussit: amnem, qui Arsinoē præfluit, Ptolemæũ appellauit. Plin. lib. 6. c. 29. Hanc volũt vrbem hodie Sues appellatam, quæ in Arabia à Saracenis Barraaru appellata, in principio maris Rubri posita, vbi Pharao submersus, non procul à monte Sinai, qui à Mauris Turba dicitur, vbi S. Catharinæ sepulchrum distat. In illam ceu portum celeberrimũ ex Zidem à Saracenis afferuntur mari omnia aromata, gemmæ, vniones: aliæque pretiosæ merces ex India, inde, Camelis, terra Cairum portantur: ex Cairo Alexandriam, inde in Europæ partes. Testis Odoardus Barbosa. Eiusdẽ meminit Bellonius libro 2. cap. 54. Solum circa illam sterile, & macrum omne dicit, in quo nullæ arbores nascantur, excepta arbore Acatiæ, cuius gummi ab Arabibus diligentissimè custoditur, quo in Europa ad atramentum conficiendum vtuntur, ídque tinctores gummi Arabicum appellant. Alii tamen Heroum ciuitatem non procul ab Arsinoe distantem volunt esse Suez. Scaliger certè illos multum falli dicit qui Arsinoen putent eam Suez hodie dictam.

Aboli. Ἄβολοι.) .i. Aboli, siue ab-ollæ (vtraque voce Arrianus vtitur) vestes fuerunt militares, ac etiam grauiorum, & magnorum virorum, item senatoriæ quasi abullæ, quod vndique essent bullatæ, teste Bayfio. Nonnulli accipiunt pro veste confecta duplici panno.

Linteum. Λεντία.) Λεντίον, vox est Latina, linteum. Hinc Q. Curtius lib. 8. de regum Indiæ vestitu verba faciẽs, capita linteis vinciunt. Ioan. Euang. 13. Et accepto λεντίον linteo seipsum cinxit. Hesych. ἱερατικὸν περίζωμα. i. sacrum cingulum ἀπὸ τοῦ λιαίνειν quasi λειαίντιον.

Dicrossium. Δικρόσσια.) Δίκροσσον, vtrinque fimbriatum.

λιθία pro λίθος. Vitrum à videndo. ὕελος & ὕαλος ab humore. Vitrum. Vitrum Indicũ. Λιθίας ὕλης.) Legendum videtur ὑαλῆς interposito α inter υ & λ. Sic enim infrà bis λιθίαν ὑαλῆν dicit. λιθία enim Arriano nostro est substantiuum, Gallicè *Pierrerie*, pro λίθος. Hinc infrà λιθία διαφανὴς παντοῖα. Item λιθία μουῤῥίνη, vitrum Latinè à videndo, Græcè ab humore & ὕελος dicitur (vnde infrà bis ὕελος ἀργὴ ab Arriano dicitur) & ὕελος Atticè: ὑαλὸς accentu in vltima est adiectiuum, vt ὑαλὴ λιθία, & infrà ὑαλᾶ σκεύη .i. vitrea vasa. De vitro autem, eius origine, variis generibus, eiusdem cõficiendi ratione vide multa apud Plinium lib. 36. cap. 26. vbi Indico (quod ex crystallo fracta fieri aiunt) nullum comparari dicit.

Murrhina. Myrrhina hodie Porcellanæ. Porcellanæ vbi hodie optimæ. Μοῤῥινῆς.) Μουῤῥινῆς legendum, vt infrà. Murrhina, inquit, Plin. lib. 37. cap. 2, Oriens mittit. Inueniuntur enim ibi pluribus in locis, nec insignibus, maximè Parthici regni, præcipuè tamen in Carmania. De eius vsu, pretio apud Romanos maximo, vide ibidem plura. Myrrhina doctissimis quibúsque videntur ea fuisse, quæ nunc dicuntur Porcellanæ: de quibus uide plura apud Scaligerum contra Card. exercitat. 92. Garzias Iaspidis genus viride ait inueniri, ex quo vasa murrhina conflantur, adeò virentia, vt ex Smaragdo conflata videantur, exempla eiusmodi vasorum prætiosissimorum vide ibidem. Huiusmodi vasa Porcellana optima & præstantissima hodie in Martabano portu regni Pegu necnon in China, insulis Maioricis, Balearibus (vbi Maiolica appellatur) reperiri, testis est Odoardus Barbosa, Antonius, Piga Felta, Scaliger exercitat. 92.

Diospolis. *Quæ sit Diospoli.*) Diospolis, inquit Plin. lib. 5. cap. 9. magna olim Thebæ, portarum

portarum centum nobilis fama,copiosa Indicarum, Arabicarúmque merciũ, Nilo proximum emporium.Hodie Stiues à Barbaris appellatur. De hac Strab.libro 17.

Orichalcũ quid.

Ὠρείχαλκος.) Græcè etiam ὀρείχαλκος scribitur, vt apud Apollonium lib. 4. λεμπετὴν δ' ἐπὶ βουσὶν ὀρειχάλκοιο φαεινοῦ. Interpres Apollonij dicit esse genus æris sic appellatum, ἀπὸ ὀρείου τινὸς, id est, ab Orio quodam eius inuentore. Latinè aurichalcum, siue orichalcum, ab auro (quod & orum olim fuit appellatum, vt oricula pro auricula) & ære compositum, quod sit æs aurei coloris. Alij tamen ἀπὸ τοῦ ὄρους, id est, monte, quòd in montuosis locis inueniatur, dictum putant. Olim in Syria effossum fuit ad pictorum vsum in summa tellure auricolore, sed fragili, lapidum speculariũ modo. Vix iam inuentu facilè effœta, vt putant, tellure. Quoniam auri nonnihil & argenti continet (vnde ex eo fieri, aurum posse Caius princeps auri auidissimus sperauit) Romanorum temporibus nondum inuenta arte auri ab argento & ęre separandi, maximo fuit apud Romanos in pretio.

Orichalcum vnde dictum.

Meliephtha.

Meliephtha.) Vasa ænea, laminæ, siue crustæ æneæ placentarum instar. Videtur fuisse dicta μελίεφθα ἀπὸ τοῦ μέλι, & ἕψειν. Vnde hîc dicit ea fuisse destinata εἰς ἕψησιν. erant igitur vasa quibus mel coquebatur. Vnde ἕψεται μέλιτος, apud Græcos. Basil. in epistola 1. infrà μελίεφθα ὀλίγα.

Æris vsus olim maximus.

Ænea.) Æris olim maximus vsus fuit, ex quo moneta prima (vnde ęrarium) necnon omnis ferè generis instrumenta, atque arma confecta fuerunt, vt multis exemplis probat Georgius Fabritius libello obseruationum de metallicis rebus, ac nominibus. Apollonij interpres in illud Apollonij, χαλκείῳ πελέκει. Apollonius, inquit, in primo libro Hypomnymâton, ait σίδηρος, id est, ferrum, à priscis χαλκὸν. i. æs fuisse appellatum, ignorans olim nondum inuẽto ferro, ære vsos esse. Vnde Hesiodus, χαλκῷ δ' ἠργάζοντο μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.

Æris vsus in ornatu corporis.

Ad armillas.) Sic Osorius lib. 1. historiæ Emanuelis, Æthiopas quosdam hodie reliquis humaniores atque cultiores, & brachia æneis armillis, & capita similiter æneo cultu ornasse dicit.

Ferri vsus.

Ferrum ad hastas.) De ferri multiplici vsu vide præter Georgiũ Agricolam, Georgium Fabritium in libello paulò antè nominato. Plinius libro 34. capite 14. & 15.

Σκέπαρνον.

Σκέπαρνον.) Σκέπαρνον, inquit Hesych. est ἀμφίστομος πέλεκυς.

Πέλεκυς.

Πελύκια.) Πέλεκυς est ἀξίνη δίστομος.

Poculorum luxus

Pocula ænea rotunda.) Non possum hîc silentio præterire poculorum luxum, quem eleganter his verbis Plinius describit in proemio lib. 33. Auxere & artem vitiorum irritamenta. In poculis libidines cælare iuuit, ac per obscœnitates bibere. Abiecta sunt deinde hæc, & sordere cœpere, & auri argentíque nimium fuit. Murrhina & cristallina vasa ex eadem terra effodimus, quibus pretium faceret ipsa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria existimata est, habere quod posset statim totum perire. Nec hoc satis fuit, turba gemmarum potamus, & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causa tenere Indiam iuuat, & aurum iam accessio est. Hæc ille.

Δηνάριον.

Δηνάριον.) Partim quidem speciatim significat certum quendam nummum Romanum, qui valebat quinque obulos, & semissem: partim verò omne numismatis genus, idem quod νόμισμα, siue χρῆμα, quibus vocibus infrà aliquoties vtitur.

Armilla.

Ψέλια.) Plin. lib. 33. cap. 3. Habent fœminæ aurum in armillis, digitísque totis. ψέλιον armilla.

Periscelides.

Περισκελίδες.) Cœlius libro 2, c. 49. Periscelides Latinè tibialia ornamenta pedis circa crura. Esa. 3. Periscelide, siue periscelia (qua voce Tertull. vtitur) crura vel tibiæ exornabantur. σκέλος enim Græci crus vocant.

Vinum Laodicenum

Vinum Laodicenum.) Tria sunt vini genera, quorum Arrianus in hoc pe-

riplo aliquoties meminit, nempe Arabicum, Laodicenum, de quo Strabo libr. 15. Italicum, cuius multa sanè nobilissima genera & Plinius libro 14. cap. 6. & Athenæus Dipnosoph. libro 1. cap. 24. pluribus describunt. De variis potionibus vinum imitantibus, Æthiopum, Troglodytarum, Indorũ, quæ gentes vino ferè carent, vide Scalig. Exercit. 87. contra Cardanum.

Gaunacæ.

Gaunacæ.) Videtur legendum καυνάκαι per κ, quæ à Phauorino στρώματα ἢ ἐπιβόλαια ἑτερομαλλῆ. i. altera tantùm ex parte villosa appellantur. Idem vestem Persicam fuisse dicit, quæ idcirco alio quoque nomine Persis sit appellata.

Οὐ πολλῆ. Omnino videtur legendum πολλαί.

Ferrũ Indicum.

Ferrum Indicum.) Plinius lib. 34. cap. 14. ex omnibus ferri generibus palmam dicit esse ferro Serico, quod cum vestibus suis, pellibúsque mittunt. Secundas dat Parthico.

Stomoma.

Στόμωμα. Hoc est, ferrum acie, siue chalybe temperatũ, & roboratũ, ἀπὸ τοῦ στομόω, de quo Plinius lib. 34. cap. 14. Est ferrum sæpius igne liquefactum, & purgatius redditum. Id chalybs alio nomine dicitur. Galli *Acier* appellant. Videtur & æris speciem Celsus existimasse lib. 6. in collyrio Cleonis, squamæ æris, inquit, quod στόμωμα appellant.

Monoche.

Othonium.) Ὀθόνιον siue ὀθόνη (nã in vtroque genere sæpe ab Arriano ponitur, vt & in nouo Testamento Iohann. 19. ὀθόνια, Act. 10. ὀθόνη dicitur) significat, teste Phauorino, πᾶν περιβόλαιον, ἀπὸ τοῦ ἑσθῆς, vel, vt alij volunt, ἀπὸ τοῦ ὀθεῖν, τὸ κινεῖν. ὀθόνιον etiam dicitur panniculus lineus ad obliganda vulnera, ἐπίδεσμον exponit Pollux. Differentiæ othonij apud Arrianum, sunt παντοῖον, χυδαῖον, ἰνδικόν, πλατύτερον quod μονοχλῶ dicit appellari, denique σηρικόν. sed de voce ὀθόνης, vide plura apud Bayf.

Moch tela Indica.

Μονοχή.) Arrianus dicit esse othonium Indicum latius. Beniamin Tudelensis in suo itinerario Moch telæ Indicæ speciẽ esse dicit. Ab illa voce videtur monoche deriuatum.

Sagmatogena.

Σαγματογῆναι.) Hac voce bis vtitur. Rhamnusio videtur species esse telæ Indicæ nobis incognitæ, cuiusmodi infrà quoque nonnulla commemorantur.

Telæ Indicæ.

Hodie telæ quædã Indicæ tenuissimæ beatillas, bayrames, atque aliç huiusmodi ab Orientalium rerum scriptoribus celebrantur.

Περιζώματα.

Περιζώματα.) Cingula, item subligacula (sine quibus, teste Cic. in scenam prodire apud Romanos nemo audebat) significat. Pollux, περίζωμα τὸ περὶ τῇ κοιλίᾳ ζῶσμα. De cingulis vide Bayf. cap. 8.

Molochina.

Μολόχινα.) Μολόχινον, siue μολοχίνη (nam in vtroque genere ab Arriano vsurpatur) Rhamnusio similiter species videtur quædam esse telæ Indicæ. Forsan vestis quædam fuit sic dicta à maluæ flore, siue colore, quæ Græcè & μαλαχή, & μολοχή dicitur, vt author est Athenæus. Vnde illud Epicharmi, ῥαιότερος ἔγωγε μολόχη. Sic molochinus color in vestibus similis maluæ, cuius infectores molochinarij à Plauto in Aulularia appellantur, vt testis est Antonius Thylesius de coloribus. Item molochites lapis similiter à maluæ similitudine dictus est.

Malua quare molochi & malache.

Lacca.

Λάκκος.) Laccam alij gummi, aut arboris, plantæve alicuius guttam esse volunt, alij formicarum alatarum stercus siue farraginem, cuiusmodi cera apũ. Legitimum eius atque commune nomen Arabicum est lach: in Martabane autem portu regni Pegu nobilissimo Lacco Martabani, item Trec (quod Germanis est stercus) in Cambaia Caco, in Sumara Lac Sumotri appellatur. His enim potissimùm in locis hodie ex communi Orientalium historicorum consensu plurima & optima prouenit. Nonnulli laccam volunt idem esse quod cancamum, in qua sententia est Mathiolus, & Scaliger. alij volunt esse diuersa, vt Amatus, & Garzias sentiunt. Certè Arrianus quoque noster separatim vtriusque meminit.

Lacca vbi plurima & optima.

Laccam, nonnulli volunt esse Cancamum.

Χρώμα-

Χρωματίνος.) Infectoria, siue tinctoria. Amatus laccam factitiam siue artificialem ex fæce brasilij Virtzinij dicti, & cocci resultare dicit, ex qua pictores colorem rubrum obscurum maximè conficiunt. Hanc idem ait cum prima & naturali lacca à Semprone, & aliis ineptè admodum confundi. Garzias tamen laccam quoque naturalem præmansam ait pulcherrimo colore rubro inficere, & ex ea bacillos illos confici, quibus in obsignādis epistolis vtimur, admixtis iis coloribus, quos maximè expetimus. Iisdem etiā fabri lignarij lineas ducunt. Nota etiam לכה *Laca* Chaldaicè genus esse coloris. Sed de lacca, eius elaboratione, vi atque natura, vsu in medicamentis, tinctura, vide plura apud Amatum, Garziam, Mathiolum, Scaligerum, Odoardum Barbosam & alios historicos rerum Orientalium. *Lacca tinctoria.*

Rhinoceros.) Vastum hoc animal in Cambaca, Bengala, Patane olim (Perimula dicta) ac multis aliis Indiæ & Æthiopiæ locis maximè reperiri traduntur. De quo vide Plin. Garziam, Scaligerum, & in primis Gesnerum. *Rhinoceros. Perimula hodie Patane.*

Plurima ex AEgypto, &c.) Hinc Plinius libro 6. cap. 23. de his nauigationibus verba faciens, ex India, inquit, renauigant mense Ægyptio Tybi incipiēte, nostro Decembri: aut Mechiris Ægypti intra diem sextum, quod fit intra idus Ianuarias nostras. Itaque euenit, vt eodem anno remeent. Hęc ille. Quum omnibus in actionibus, tum verò atque in primis in nauigationibus εὐκαιρία est obseruanda. Triū porrò in hoc periplo mēsiū fit mentio, qui ad huiusmodi præsertim mercatorias maris Erythræi nauigationes sint opportuni, nimirum Ianuarij, qui Tybi, Iulij, qui Epiphi, Septēbris, qui Thoth ab Ægyptiis appellatur. Hic postremus cuius bis in hoc periplo Arrianus meminit proculdubio Mercurio sapientiæ, orationis, literarum, numeri, nuntij, mercaturæ atque lucri Deo fuit consecratus. Is enim ab Alexandrinis, teste Eusebio, Thoth, ab Ægyptiis, teste Platone in Phædro, & Cicerone De natura deorum, Thoyth, siue Theuth à Phœnicibus, teste Lactantio, Thaautus siue Thautus, à Gallis, & Germanis Theutas fuit appellatus. Hinc verisimile est Græcam vocē Θεὸν, & Latinā Deum promanasse, licet aliæ atque aliæ à Grammaticis vtriusque vocis notationes afferantur. *Nauigationis Indicæ tempus. Tempus in omni actione spectandum. Menses tres. Mensis Thoth, i. Septēbris, Mercurio sacer. Mercurius Thot dictus. Theos Græcum forsan à Thoth.*

Arabicus sinus.) Mare Erythræum in duos sinus diuiditur, quorum alter Persicus (de quo postea) alter Arabicus dicitur, nempe ab Arabibus accolis: ab Ægypto mari, vt Plinius libro 2 cap. 68. testatur, quindecim millibus passuum distans, ad quem vsque Alexandrum Magnum penetrasse, Plinius eo probat, quòd in eo res gerente C. Cæsare Augusti filio, signa nauium Hispaniensium fuerint agnita, libro 2. cap. 67. Hodie Arabicus sinus qui est à Sues, vsque ad Bebelmandel, ab Europæis mare Rubrum, ab accolis *Mar de Mecca*, ab aliis *Bohar Corsum* (quod mare clausum significat) appellatur, item *Busorá*, teste Barroso. Hic est sinus ille, cuius frequentissimis olim in Indiam, & Troglodyticam nauigationibus AEgypto vectigal mirum in modum auctū fuisse pluribus testatur Strabo lib. vlt. *Erythræi maris duo sinus. Arabicus sinus. Alexander Magnus ad Arabicū vsque sinum penetratur. Arabici sinus termini. Arabicus sinus hodie quomodo appelletur.*

Iuxta Abalitem.) Hîc ἀβαλίτην per β, infrà αὐαλίτην Aualetem appellat. Plin. libro 6. cap. 29. Vltra Isidis portum Pseudopylas duas insulas (ac totidem Pylas dictas) sinus est Abalites, insula Diodori, & aliæ desertæ, oppidum Gaza, Mossilicus portus, & promontorium. Stephanus αὐαλίτης, Aualites sinus in dextra parte maris Rubri. Ptolemæus similiter de situ AEthiopiæ sub AEgypto, post Adulicum sinum subiungit Aualitem sinum & emporium inde denominatum. *Abalites.*

Στενοῦται.) Infrà vbi de eodē freto verba faciemus, ait, εἰς στενὸν συνάγεται ἀποκλείεται.

Tapara.) Sic forsan dicta, quia se mutuò attingunt, ac consequuntur. *ἀγκυροβόλιον*

Ἀγκυροβολίοις, καὶ βάλοις.) Ἀγκυροβόλια vox, qua ter Arrianus in hoc periplo vtitur, ἀπὸ τῆς ἀγκύρας, & βάλλειν composita, quum ipsam anchoræ eiectionem,

ſiue demiſſionem, tum loca ad tenendas anchoras, vt Hirtius loquitur, egregia ſignificat. Huiuſmodi & hic eſt locus, &, cuius infrà meminit, Muza emporium, vbi dicit, ἀμμόγλα eſſe ἀγκυροβόλια. Contrà verò Baracem quendam locum præruptum, atque petroſum deſcribit, in quo anchoræ eiectæ facillimè diſſecentur, atque conterantur. Ibidem pro βάλλειν vtitur voce ἀποκοντεῖσθαι, id

Σάλους quid.

eſt, eiaculandi. Quoad verò alteram vocem σάλους Polybius pro eo quod vulgò *Spiagia* Itali dicunt, poſuiſſe videtur, id eſt, locum minimè portuoſum, ſed in quo naues in ſalo eſſe, & commorari queant. Nam quũ anchorę iactæ erant procul à portu, naues in ſalo, & anchoris eſſe, ſiue cõmorari, ſiue conſiſtere di-

Α᾽ποσαλεύειν.

cuntur. Græci dicunt ἀποσαλεύειν. Hæc Bayf. Hinc Thucydidis interpres Gręcus libro 2. ἀποσαλεύσας exponit ἀποφυγὼν ἐκ τοῦ λιμένος, καὶ σάλῳ ὁμιλήσας, hoc eſt, τῷ ἀλιμένῳ τόπῳ ἔνθα σάλος γίνεται. Arrianus noſter in periplo ponti Euxi-

Σαλεύειν idẽ.

ni voce ſimplici σαλεύειν in eadem ſignificatione vtitur. Hinc idem infrà Muza emporium dicit ἀλίμενον quidem eſſe, ſed εὔσαλον, & εὔορμον: addit deinceps explicationis gratia. διὰ τὰ περὶ αὐτὴν ἀμμόγλα ἀγκυροβόλια, τὰ πλοῖα ἐπὶ σάλῳ διορ-

Loc⁹ εὔσαλος.

μίζεται. Locus ergo εὔσαλος Arriano noſtro, in quo naues commodè poſſunt ἀποσαλεύειν, vt vulgò Græci loquuntur, ſiue, vt Arrianus noſter loquitur, σα-

In anchoris, & ſalo cõſiſtere.
Ε᾽πίσαθος & ἐπισάλιος quid.

λεύειν, & ἐπὶ σάλῳ διορμίζεσθαι, Latinè in anchoris, & ſalo conſiſtere. Voces igitur ἐπίσαθος, & ἐπισάλιος, quibus infrà vtitur, idem videntur ſignificare. Tametſi quoniam σάθος maris quoque atque fluctuum commotionem ſiue iactationẽ ſignificat, non ineptè portus ἐπίσαθος, ſiue ἐπισάλιος, εὐμετάπτωτος, hoc eſt, inſtabilis, & fluctibus obnoxius explicari queat.

Aualites emporium.

Aualites emporium.) Sic Ptolemæus primùm in Aualitico ſinu ponit emporium Aualiten.

Omphax.

Ὄμφακος.) Hoc nomine vuæ, oliuæ, lauri baccæ, omnes denique crudi, acerbi, & immaturi fructus deſignantur. Rhamnuſius vertit, pietra agreſta dios politica. Vult ergo rudis cuiuſdam lapidis ſpeciem fuiſſe.

Κήλις, Celis.

Κῆλιν.) Ὄκηλιν videtur legendum, de quo infrá.

Vocabula Græca nauium, mercium, vecturam ſignificantia.

Φέρειν.) Vocabula mercium, vectionem, commutationem, importationẽ, exportationémve ſignificantia, quibus Arrianus noſter paſſim vtitur, ſunt: φέρεσθαι, διαφέρεσθαι, ἐκφέρεσθαι, εἰσφέρεσθαι, ἐξάγεσθαι, εἰσάγεσθαι, κατάγεσθαι, ἐξαρτίζεσθαι, ἀντιφορτίζεσθαι, ἀντικαταλλάσσεσθαι, προχωρεῖν, ἔρχεσθαι.

Ἀτακτώτεροι.) Verba quibus Arrianus vtitur ad populorum mores exprimendum, duros quidem, incompoſitos, & agreſtes, ſunt πονηροὶ, σκληρότεροι, ἀτακτότεροι: ciuiles verò & pacatos, ἥμεροι, εἰρηνικότεροι.

Malao emporiũ.

Malao.) Ptolemęus Μάλεως appellans ſimiliter, ponit in ſinu Aualite, hodie Mergeo nuncupatur, teſte Belleforeſto.

Sagi.

Σάγοι ἀρσενοειτικοί.) Nota in maſculino genere vſurpari. Phauorino ἡ σάγη eſt περιβόλαιον, σκέπη, τὸ τοῦ ὄνου ἐπίθεμα, denique genus quoddam armorum, Sagũ Latinis veſtis militaris. Vlpianus etiam inter veſtes familiares enumerat. Vide Bayf. ἀρσινοειτικοὶ legendum. vt ſuprà. in vrbe Arſinoe elaboratæ.

Χιτῶνες.) Tunicæ. vide Bayf.

Duaca quid.

Duaca.) Rhamnuſius aromatis ſpeciem hodie ignotam eſſe dicit. Quid ſi ſpecies ſit caſſiæ vilioris, quã Dioſcor. κίττω, & δάκαρ (Latinè verterunt citto, & darca) ait appellari, ſunt enim duaca atque darca, ſiue dacar, voces ſibi inuicem admodum affines.

Cancamum.

Cancamum. Eſt lachryma arboris in Arabia myrræ perſimilis, vinoſo guſtu, odore grato, qua etiam ad ſuffitum vtuntur. Vis eius eſt obeſos extenuare, abſtergere, & aperire obſtructa. Vide Amatum, Gargiam, Mathiolum, Scaligerum. Luſitani corrupta voce anumum vocant.

Macir.

Macir. Græcè & μάκειρ, vt apud Arrianum noſtrum ſcriptum reperitur & μάκερ Latinè macer, cortex eſt rubens radicis magnæ, qui & ex India, teſte Plinio, libro 12. cap. 8. & ex Barbaria, teſte Dioſcoride, libro 1. cap. 94. olim ad-

uehi

uehi solitus fuit. Barbariæ autem nomine vt Mathiolus quoque sentit, vel insula illa siue vrbs, quam Ptolemæus in Indo fluuio ponit, quámque Arrianus noster infrà & emporium Barbaricum, & Barbaricã appellat, potest intelligi, vt regio Arabiæ, vnde Barbaricus sinus fuit cognominatus. Nam, vt Strabo, inquit, omnia ferè quæ in India proueniunt, ea scilicet parte, quæ ad Austrũ vergit, similiter in Arabia nascuntur. Galen. libro 7. simpl. medicament. eum describit, & ex India afferri solitum fuisse testatur. Nonnulli, vt Amatus Lusitanus, eundem esse putant qui macis dicitur hodie in officinis vulgò cognitus, nucis myristicæ membrana, siue flos. *Barbaria.*

Σώματα.) Hoc est, mancipia, sic infrà σώματα θηλυκά. Nota σώματος, hoc est, corporis vocabulum synecdochicôs quum generatim pro quouis homine, cuiuscunque sexus, conditionísve, vt apud Strab. lib. 1. Aristot. 1. Rhet. tum speciatim, vt hoc in loco, pro mancipio vsurpari, idque propterea, quòd mancipii vsus corpore potissimum constat, & æstimari solet. Huc faciunt elegantissima illa Aristot. verba lib. 1. Polit. cap. 3. ὅσων δ' ἐστὶν ἔργον ἡ τοῦ σώματος χρῆσις καὶ τοῦτ' ἐστ' ἀπ' αὐτῶν βέλτιστον, οὗτοι μὲν εἰσὶ, φύσει δοῦλοι. & paulò pòst, ἡ γὰρ πρὸς τ' ἀναγκαῖα τῷ σώματι βοήθεια γίνεται παρ' ἀμφοῖν, παρά τε τῶν δούλων, καὶ παρὰ τῶν ἡμέρων ζώων. Sic vernacula nostra lingua hominẽ improbũ appellamus *ein bosen lyb*, hoc est, improbũ corpus. Sic apud Heb. carnis vocabulũ cùm generatim pro omni animali, vt Psal. 126, Qui dat escam omni carni, tum speciatim pro toto homine, qui corpore, & anima constat, vsurpatur, vt Iob 1. Verbum caro factum. Denique vt corpus, ita anima quoque præstantior hominis pars eodem tropo, & in genere pro quouis homine, & speciatim pro mãcipio in Sacris literis ponitur, vt Ezech. 27. 13, Iauan, Thubal, Mesech, ipsi institores tui cum animabus hominum. i. mancipiis. Infrà quoque Arrianus mancipia appellat δουλικὰ, subintellige corpora. *Corpus pro mancipio. Mancipia corpore potißimum æstimantur. Caro Heb. pro omni animali. Caro pro toto homine. Anima pro homine. Anima pro mancipio.*

Mundi emporium.) Ptol. similiter emporium hoc nomine subiungit Maleo emporio in eodem sinu Aualite.

In Insulam.) Pro εἰς videtur legendũ διὰ. i. per. Hanc porrò Ptolem. Mundi insulam appellans in eodem sinu Aualite collocat.

Thymiama mocroti.) Infrà μόκροτον μουνδιτικόν. Est autem Thymiamatis genus hodie incognitum, cuiusmodi sunt apud Plinium Sericatum, Gabaliũ, Tarrum odores, siue aromata Arabiæ, quæ etiamnum hodie ignorãtur. Est autem thymiama, res odorata, quæ ignibus iniecta gratum nidorem exhalat. Dictum ita volunt quasi θυμοῦ ἴαμα, quoniam languescens animus suffitu eiusmodi recreetur. Alii tamen à thyo odorifera herba deductum volunt, alii ἀπὸ τοῦ θύειν sacrificando, quoniam odores diis suffiebantur. *Thymiama. Mocroton.*

Φορτία.) Merces ab Arriano φορτία, φόρτοι (vnde ἀντιφορτίζεσθαι) itẽ γένη, ἐξαρτισμοὶ appellantur. *Mercium vocabula Græca.*

Mosyllum emporium.) Plin. lib. 6. cap. 29. In sinu Abalite ponit oppidum Gaza, promontorium & portum Mossylicum, quò cynnamomum deuehitur, ac quousque Sesostris exercitum duxit. Ab hoc promontorio Mossylico Iuba voluit incipere mare Athlanticum, eodem Plinio teste, cinnamomi Mosylitici meminit Dioscorides lib. 1. cap. 13. Theophrastus lib. 9. cap. 5. Notabis autem cinnamomum, cassiam, myrrham, aliáque huiusmodi aromata in Troglodytica & Æthiopia à veteribus, vt Strab. Ptol. Plinio cinnamomifera dicta, hodie nulla nasci sicuti Portugallenses illarum regionum assidui lustratores testantur. Stephanus quoque μόσυλον promontorium, & emporium Æthiopiæ olim celeberrimum fuisse probat teste Martiano lib. 1. Periodi. Eiusdem Ptol. quoque meminit in sinu Aualite, necnon Æthicus in sua Cosmographia his verbis. Nilus de littore incipientis maris Rubri videtur emergere in loco, qui dicitur Mossylon emporium, deinde diu ad occasum profluẽs facit insulam Meroem. Niger in sua Cosmographia. Postea (scil. post Pytholai promontorium *Mosyllum emporium. Mosyliticum cinnamomum. Aromata olim in Troglod. ex Æthiopia, hodie nulla ferri. Mosylon.*

Mosylon vnde dictum. Mosyni. Mosynoeci.

Mosylon hodie regio Decono, & Dangali. Lacus prope Mosylon, in quibus Crocodili.

Pythangeli portus hodie Zeilã.

& duos ingentes lacus, quorum alter aquæ ſalſæ alter aquæ dulcis eſt) eſt promontorium, & portus Moſylon, quod ſacrum populetum habet, in cuius radice promontorium eſt eodem nomine Moſſylon ideò dictũ, quia omnes ibi domus ex ſigno compoſitæ ſunt. Hæc ille ex Strabonis lib.16. Quod autem Moſylon dictum eſſe vult à ligneis ædibus, ſciendum eſt μόσυνας ſiue μοσυνοὺς Græcè ſignificare ædes ſiue turres, ſiue muros ligneos, vnde populi quidam Pontici, teſte Strabone lib. 12. Moſynoeci dicti ab huiuſmodi ædium ſiue turrium lignearũ inhabitatione. Idem auctor lib.16. huiuſmodi ædes ligneas Ægyptiacis ſimiles apud Arabas in vſu fuiſſe teſtatur. Moſylon hodie regionem Deconò atque Dangali appellari, teſtis eſt Belleforeſtus in recenti illa ſua magna Coſmographia. Quoad verò duos illos lacus ingentes, quorum Niger meminit, Belleforeſtus ſimiliter inter Adulitas prope Moſylon duos adhuc hodie lacus conſpici teſtatur crocodilorum nocentiſſimorum alumnos. Portum porrò Pythãgeli quem Niger ex Strabone paulò ante Moſylon collocat, Belleforeſtus ſcribit hodie Zeilan dici in regione Adel qui quidem ſtatim poſt Dangali (Moſylon olim dictam) conſequatur.

Ἐναιγιαλῷ δυσόρμῳ.) δύσορμος idem quod δύσβατος, δυσέσβολος, δυσεπίβολος, ἀπρόσιτος, quibus vocibus Synonymis infrà vtitur. Huic opp. εὔορμος, qua voce infrà vtitur.

Κασίας χῦμα.) Forſan legendum χρῆμα. Κασία, ſiue κασσία. Caſia, ſiue Caſſia (ab Heb. קציעה, *Ceziah*, (quod ſcribitur Pſal.65. deductis vocabulis Græcis, & Latinis) frutex eſt odoratus multorum generum, de quo vide Plin. Dioſcorid. Galenum, & alios. Inter varia Caſiæ genera quæ à Dioſcoride enumerantur, eſt quoque vnum, quod βλάςον μοσυλῆτιν. i. germen moſyleticum appellat, à Moſylo promontorio, de quo paulò antea, in quo naſcitur. Quidam exiſtimãt id, quod hodie cinnamomum dicimus, eſſe caſiam. Nã Galenus ſcribit verum Cinnamomum propter raritatem & præſtantiam fuiſſe tantùm in theſauris Regum, nec publicè fuiſſe notum. Strab. lib.19. in Aromatifera regione thus, myrrham, caſſiam eſſe dicit. Dioſcorides quoque δαφνῖτις eſt caſſiæ ſpecies, vt ille vult, naſcens in Arabia, ſarmẽto craſſi corticis, foliis piperis. Hęc ille. Quod ſi ſic ſit appellatur à Daphnunte magno, ſiue paruo, vbi olim forſan prouenit.

Λίβανος περατικός.) Hac voce aliquoties vtitur, qua pro Latina Plin. vſus eſt, vt lib.12. cap.8. Gummi peraticum ex Media aduectum.

Παραπλεύσαντα.) Παραπλεύσαντι legendum, vt paulò poſt, & αὐτῷ, vt duo ſint verba, hoc eſt, pręternauiganti occurrit. παραπλεῖν, idem quod παραμείβειν, παραλέγειν, Latinè eleganter legere oram ſiue littora.

Ptolemæus. Ptolemæi foſſa.

Ptolemæus fluu. Arſinoen præterfluens.

Niloptolemæi.) Vox eſt compoſita à Nilo & Ptolemæo. Nilus à Lunæ mõtibus (hodie Ber dictis) exoritur, & inde varios lacus, & inſulas efficiens Ægyptum interfluit vſque eò dum per Alexandriam in mare influit. Itaque hodie multa quoque loca ab illo nuncupantur, vt Nilochilam regio Cananor, Nilixoram portus quidam eiuſdem regni Cananor. Strabo quoque regionem quãdam in hoc tractu mediterraneam appellat Nilum. A Ptolemæo ſimiliter, qui primus Troglodyticen excuſſit & foſſam latitudine pedum C, altitudine XXX, in longitudinẽ XXXVII. D. P. vſque ad fontes amaros, teſte Plinio lib.6.c.29. duxit, multa loca fuerunt nuncupata. Sic enim amnem quoque qui Arſinoen ab eodem conditam præfluit, Ptolemæum appellauit, eodem Plin. teſte loco paulò antè citato. Veriſimile eſt igitur Niloptolemæum lacum quendam fuiſſe. Quid ſi illi duo lacus, quorum paulò antea facta eſt mẽtio, ita olim fuerint appellati, ab ipſo Nilo forſan effecti, quoniam Crocodilis ſunt referti, vti dictum eſt.

Tapatige.

Ταπατηγή.) Quid ſi locus ſit ſic dictus à fontium, ac fluminum copia, quaſi ταπαπηγὴ ἀπὸ τῆς πηγῆς. i. fonte. Strabo enim in hoc tractu & piſcinam eſſe dicit, quæ multis aquis montanis impleatur, & omnino fluuiatilem eſſe hanc regionem

gionem, vt ex Arriano nostro quoque hîc patet.

Daphnon paruus.) Ad differentiam Daphnonis magni, de quo paulò post. Vtrunque autem verisimile est à laurorum copia sic fuisse appellatum, vt testis est Strabo lib.10: in maritima Arabiæ, & Troglodytarum regione multæ ἐλαιῶνες δαφνῶνες καὶ φοινικῶνες. i. olivueta, laureta atque palmeta nascuntur. Vel quia Apollini fuit consecratus, qui Daphnutus, Laureus siue Laurifer fuit cognominatus. Certè & ipse Strabo ponit hîc Daphnunta portum eíque subiungit fluuialem regionem Apollinis dictam. Plin. similiter lib.6. cap.29. ante Aulitem sinum meminit insulæ Daphnidis. *Daphnon paruus.* *Vnde dictus.*

Elephas.) Ptol. inter Mosylon promontorium siue emporium, & Elephas montem, ponit κοβην, Coben emporium. Belleforestus in huius loci descriptione post Zeila (is est Pythangeli portus) est Daphne portus cum vrbe Coba hodie Barbora siue Barbara dicta vicina monti olim dicto Elephas hodie Folles. Ptol. similiter Elephantem mõtem in hoc sinu Aualite ponit. Eiusdem quoque meminit de situ Meroes, vbi montes ab occasu Nili fluuii prodeũtes per totum Nilum duos commemorat, quorum vnus Garbata, alter Elephas nuncupatur. Item Strabo lib.16. post Daphnunta portum, & regionem fluuialem Apollinis, subiungit Elephantem montem in mare porrectum, & fossam, & Psygmum portum ingentem, Cynocephalorum aquationem, & Austricornu vltimum huius oræ promontorium. Vrbs porro Zeila (quam Belleforestus Pythãgeli portum olim dictum. alij, promontorium Guardafuni, de quo mox, esse volunt) extra sinum Arabicum propè ipsius sinus aditum in ora Æthiopiæ sita, ciuibus ex variis nationibus eò confluentibus, frequens, & commerciis locuples, auri, eboris mancipiorum, frumenti, carnis, olei non ex oliuis, sed ex zerzilino confecti, necnon mellis, ceræ, hordei, milii abundantissima, ædes amplas, & editas habens, à Lusitanis capta anno salutis 1517. Suario duce, direpta, & flammis absumpta fuit. Testes sunt Ludouicus Vartomannus Barbosa, Osorius lib.11. Historia Emmanuelis. Barbara, quam Belleforestus vult esse Cobam Ptolemæo dictam, octoginta passuum millibus à Zeila distat, exigua quidem, sed culta admodum & populosa est, cuius similiter paulò ante commemorati auctores meminerunt. *Elephas empor.* *Pythangeli portus hodie Zeila.* *Coba hodie Barbara.* *Elephas hodie Folles.* *Zeilæ vrbis descriptio.* *Barbaræ vrbis descriptio.*

Elephas fluuius.) Vt mons, ita fluuius quoque hic ab elephãtis dictus fuisse videtur, quorum cùm in vniuersa Æthiopia, tùm in hac potissimum parte, quam hic Arrianus describit maximam esse copiam veteres pariter, atque recentes scriptores testantur. *Elephas fluuius.*

Daphnon magnus Acanna dictus.) Nimirum vt paulò ante de Daphnone paruo dictum, à laurorum copia. Ptol. ἀκάνναι emporij in hoc ipso Aualite sinu meminit, post montem Elephantem. Stephanus Acãnæ, inquit, emporium maris Rubri, inde Acannæus, vt Sabæus, Geræus, Erythræus. Belleforestus, Acannã vult esse ciuitatem hodie dictam Metta, ipsi Adem in Arabia oppositã. Est autem Met, siue Metta, teste Eduardo Barbosa, ciuitas non admodum magna, abundans carnibus, vt olim ita hodie quoque portus mercatorum, prope Guarda funi promontorium. *Daphnon magnus.* *Acanna.* *Acanna hodie Meta.* *Metæ descriptio.*

In quo thus.) Sic Strabo Daphnus inquit, & fluuiatilis regio Apollinis dicta, & thus habet & myrrham, & cinnamomum. Belleforestus quoque inter Elephantem montem Folles hodie dictum, & mare, multum olim thuris, myrrhæ, cinnamomi prouenisse scribit ex veterum historicorum traditione, hodie verò nihil horum amplius in illis locis nasci Portugallenses, vt idem fatetur, testificantur. Tantæ fiunt non modò hominum verùm etiam locorum atque regionum mutationes. *Ἀκάνναι.* *Thus.*

Μονογενῶς.) Infrà quoque hac voce vtitur, idem ferè significante, quod τοπικῶς, siue προηγουμένως. i. propriè, præcipuè, potissimùm, voces Arriano nostro tritæ. *Μονογενῶς.*

Διάφοροι. Διάφοροι.) Idem quod πολυτελής, βαρύτιμος, ἀληθινός, ἐκλεκτός, quibus vocibus similiter Arrianus vtitur. His oppon. κοινός, χυδαῖος, quæ & ipsæ voces Arriano sunt vsitatæ.

Noti cornu. *Regione declinante versus austrum.)* Vnde Noti, siue Austri cornu promontorium, cuius & Strabo meminit (illud vltimum huius oræ promontorium appellans) & Ptolemæus, qui illud in Barbarico sinu collocat.

Aromatum promontor. *Aromatum emporium.)* A cinnamomi atque aromatum ibi nascentium copia sic appellatum. Ptolem. promontorium, & emporium appellãs vltimum in Aualite sinu collocat. Stephanus Ἄρωμα, inquit, vrbs Æthiopiæ, teste Martiano, vnde ἀρωμεύς. Ioannes Barrosus, & plærique volunt idem esse quod hodie Guardafu, siue Guardafuni appellatur, quod Osorius lib. 3. vltimum AEthiopiæ emporium facit in sinu Arabico, paruo interuallo distans ab insulis Caria Muria dictis, de quibus infrà. Ioann. Barrosus hoc ipsum emporium Aromata, siue Guardafuni, duodecim esse gradus, & à Mozambique 550. leucis distare, quum tamen (vt idem fatetur) Ptol. 6. tantùm gradus statuat: Ptolemæum itaque vult, vt sæpe aliàs, in graduum demonstratione errasse. Eduardus Barbosa illud in freto Mecca situm esse dicit, omnésque naues Indiæ illuc appellere. Andreas Corsalis Florentinus in sua nauigatione maris Rubri vult Ζίγγισα, siue Ζιγγὶς potiùs promontorium Ptolemæi esse illud, quod hodie Guardafuni appellatur, cuius incolæ adhuc hodie Zingi appellentur, quod idem scribit vltimum esse Æthiopiæ emporium, situm in principio sinus Arabici, distans ab insula Soquetora vigintiquinque dierum spatio, qui sunt 320 leucæ, denique duodecim esse grad. Sunt etiam nonnulli, inter quos est Rhamnusius in nauigatione Iamboli à Diodoro Siculo cõscripta, qui Aromatum promontorium volunt esse vrbem Zeilam, de qua paulò antea dictum est.

Aromata, promont. hodie Guardafuni. Guardafuni promont.

Alijs Zingis videtur esse Guardafuni promont.

Aromatum promont. quidam volunt esse Zeilã.

Barbaria quæ regio. *Emporium extremum Barbari continentis.)* Stephanus Barbariam inter recentiores dicit esse regionem, iuxta sinum Arabicum, à quo etiam Barbaricũ pelagus appelletur, Strabo & Plinius Barbarici litus incognitum esse dicunt. Hodie verò est illustratum vsque ad promontorium Bonæ spei, latitud. Merid. trigintaduo grad. Ptol. Aualiti sinui subiungit Barbaricum, quem ait ad Rhaptum vsque promontorium porrigi. Idem Æthiopiam dicit ab ortu terminari sinu Barbarico, qui mare asperum dicitur, eámque extendi ab Elephãte promontorio vsque ad Prassum promontorium, ac deinceps terram esse incognitam. Idem de situ Meroes, post Aualitem sinum & Mosylon promontorium Rhaptum vsque sinum, omnem dicit esse Barbaricum. Idem denique contra Marinum Tyrium. Didicimus, inquit, à negotiantibus, qui à Fœlici Arabia nauigant ad Azaniam, atque Rhapta (quæ omnia Barbarica propriè nuncupant) nauigationem hanc non esse propriè ad Meridiem, sed ad Occasum, & Meridiem. Ab hoc ipso sinu vrbs Barbora, siue Barbara (quam nonnulli volunt esse Cobam olim dictam) videtur nomen suum traxisse. Hic porrò sinus Barbaricus, qui & asperum mare dicitur, Ortelio videtur regio esse hodie dicta Melinde, à Melinde oppido, quod in planitie situm. Cingitur vndique multiplici hortorum viriditate, abundat multis arboribus, in primis autem Citreis malis, è quorum floribus odores suauissimi admodum longè distenduntur. Regio est fertilis, & opima, neque gregibus tantùm, sed omni genere animalium, quæ venatu, & aucupio ad cibum capi solent, abundat. Porrò de incolarum ædificiis, moribus, religione, cultu, habitúque corporis, virtute militari, vide plura apud Osorium lib. 1. historiæ Emmanuelis, Eduardum Barbosam, Thomã Lopezum, Petrum Aluarezum, Vascum Gamam, qui anno 1497, à rege Portugalliæ Emmanuele cum classe in Indiam missus fuit.

Barbaricus sinus mare asperum.

Barbara vrbs hodie dicta forsan à Barbarico sinu.

Barbaricus sinus, Melindẽsis regio.

Melinde vrbs.

Melindensis regio cuiusmodi.

Portus periculosus, fluctibus expositus.) Hoc quoque egregiè conuenit cum illa Osorii descriptione. Statio naualis (Melinde) non est vrbi propinqua. Est enim ora Melindensis rupibus cincta, & procellis, atque tẽpestatibus frequẽter

ter obnoxia. Hæc ille. Atque hinc etiam patet, cur aſperum mare à veteribus ſinus hic Barbaricus, ſiue Melindenſis, fuerit appellatus.

Ἀ'πόκοπον.) Videtur redundare, niſi forſan nomen ſit appellatiuū.i.præceps, ſiue præruptum. nam paulò pòſt ſequentur duo loca, ſiue promontoria, Apocopa dicta. *Apocopon.*

Signum futuræ tempeſtatis. De tempeſtarum prognoſticis, ſiue præſagiis, quæ à Sole, Luna, cæteríſque ſyderibus, à meteoris, ab ipſis aquis, montiū ſonitu, nemorum mugitu, denique ab animalibus quibuſdam ſumi ſolent, vide eleganter diſſerentem Plinium, lib.18.cap.vltimo. *Tempeſtatis futuræ ſigna.*

Τόπον. Videtur in Græco redundare.

Tabæ. Stephanus, Tabis vrbs Arabiæ, vnde Tabenus. Idem tres vrbes enumerat Tabæ appellatas. Vnam Lydiæ inſignem, ſic dictam, quia ſupra petram ædificata fuit (nam τάβαν Græci petram appellant) aliam Cariæ, tertiam Peræas, quam Alexander in libro de Syria bonam (forſan ab Hebræo טוב *Tof*) interpretatur. Veriſimile igitur eſt hoc quoque promontorium magnum, tutum perfugium periclitantium in mari, quia petroſum, Taba fuiſſe appellatum. *Tabæ emporium.*

Γίζειρ.) Rhamnuſius hoc quoque inter ignotas aromatum ſpecies enumerat. Videtur autem Gizir tranſpoſitis literis idē eſſe quod zigir, quæ eſt ſpecies caſſiæ, ſiue canellæ Dioſcoridi, lib.1.cap.12. purpurei coloris craſſiore ſarmento, roſam ſpirans, & præcipui in medicina vſus. Aetius ὄζην appellat, alij βαλσαμονδῆ, vt habetur apud Plinium, eiuſdem Garzias quoque meminit. Galenus libro 3. De compoſ. medicamētorum duas ſpecies caſſiæ indicat, quę commodè in auricularia pharmaca miſcentur, alteram γίζηρρον appellat, alterā μωτώδη. Item libro 1. de antidotis, vbi genera caſſiarum recenſet, ἐπειδὴ, inquit, τὴν μὲν γίζι μάλιστα ἐπαινοῦσιν, ἐφεξῆς δὲ τὴν μωτῶ καλουμένην. i. maximè laudant eā quæ Gizi dicitur, deinde Moton appellatam. Ibidem docet γίζι, & non ζίγιρ legendum contra Dioſcoridis lectionem. Quod ergo Dioſcorides zigir, Galeno gizi, idem omnino videtur eſſe, quod Arriano eſt γίζειρ. *Gizir.*

Ἀσύφη.) Hanc quoque aromatis quandam ſpeciem hodie ignotam Rhamnuſius eſſe putat. Dioſcorides libro 1.c.12. inter viles caſſiæ ſpecies enumerat quādam, quam dicit ἀσυφήμων *aſyphemon* appellari, nigram, inſuauē, cortice tenui, & ramoſo. Videtur ergo eadem eſſe quę Aſyphe (ablata ſyllaba μων, per Apocope) hîc ab Arriano appellatur. Vel etiam quid ſi ſit κῦφι *cyphi*, ſuffimentum flagrantiſſimum in deorum templis, ex myrrha electa, & bdellio, ſic à Democrate appellatum, de quo vide Dioſcoridem lib.1.cap.31. Galenum 2. de antidotis.

Ἄρωμα.) Videtur hîc, vt etiam paulò pòſt κατ' ἐξοχὴν ita dici, vt ſit ſpecies quædam eximij aromatis, quæ idcirco generis nomine appelletur. Sunt autem aromata certarum herbarum fructus odoris, & ſaporis admodum grati, quorum vſus eſt, vel ad calefaciendum ventriculum (ſunt enim omnia aromata calida) vel ad appetentiam excitandam, vel ad ducendos menſes, vel ad pleraque alia. Sunt autem in his præcipua ſpica nardi, amomum, calamus aromaticus, iris, ladanum, malabathri folium, ſtyrax, bdellium, copobalſamum, carpobalſamum, cinnamomum, nux myropſica, zinziber. ἄρωμα autem Græci odoramentum vocant, vnde aromatopola, vulgò aromatarius.

Μάγλα.) Si Cornarius hunc Arriani noſtri periplum legiſſet, atque conſuluiſſet, antiquam lectionem retinendam indicaſſet. Hoc quoque aromatis ſiue odoramenti cuiuſdam ſpecies Rhamnuſio videtur eſſe, ſed qualis ſit ignoratur. Quid ſi magma legendum, quod Galenus myrobaleni fæcem vocat lib. 7. de compoſi. mod. cap.7. Item non modò vnguenti fæx, quo expreſſa reliqua liquidiore materia relinquitur, magma dicitur, ſed ab eius ſimilitudine ipſum vnguentum, & ſpiſſum cultum omne, pauco liquore ſubactum, vt non diffluat.

Plinius magma fæcem vnguēti esse significat. מגמר *Magmar* Chaldaicè odor est quo domus suffimigatur.

Moto. Μοτώ.) Hîc quoque Rhamnusius hæret, aroma quoddam esse existimat. Galenus tamen in libro De antidotis duas cassiæ species facit, vnam gizi, alteram μοτώ *Moto* appellatam, & similiter libro 3. De compos. medicamentorū, aliam cassiam γίζηρρον, alteram μωτώδη appellatam, vbi Cornarius barbara ista voce offensus, vel βαλσαμώδη, cuius fit mentio apud Plinium libro 12. cap. 19. vel μοσυλίτιν, cuius & Dioscorides & Plin. libro 6. cap. 29. meminit, legendū putat. Arrianus noster Moto in Opona, & Aromatum promontorio nasci dicit.

Opona. *Opona.*) Ptolemæus in sinu Barbarico ante Oponam ponit primò Πάνω *Pano* vicum, quem idem in commentationibus contra Marinum ex negotiatorum coniecturis, sex diebus ab Opona promontorio, ab Aromatis vnius diei itinere disiunctum esse tradit. Opona autem Rhamnusio supra nauigationem Iamboli videtur esse vrbs hodie dicta Magadaxum, quæ viginti gradibus sita supra Æthiopiam maritimam, versus Austrum, ad quam vsque Iambolus ille in Arabia felice captus, per fretum maris rubri, atque Zeilan illi videtur fuisse translatus. Est autem Magadaxum vrbs sita in regione Aian, magna, amœna, munita, locuples, mercatura celebris, Emozaydiorum, qui ex Arabia exules eò se contulerunt, in habitatione atque industria, primùm opibus aucta & amplificata fuit. Fuerunt autem Emozaydij illi certi quidam hæretici Machometani à Zayde sectæ illius authore & principe nuncupati. Testis est Ioannes Barrosus. Gama Lusitanus, qui ab Emmanuele rege Portugalliæ ad Indiā inuestigandam missus fuerat, in reditu è Calecutio, ex insula Anchediua Pelago illo ingente transmisso in Æthiopiæ, quæ supra Ægyptum est, oras Australes delatus, ad hanc ipsam vrbem Magadaxum peruenit, quā quum accepisset à Saracenis possideri, tormentis acerrimè verberauit, maximámq; mœnium partem disturbauit, naues quæ erant in portu aut depressit, aut crebris ictibus quò minus certò nauigare possent, impediuit, indéque tandem in Melindensem portum ingressus est, testis Osorius libro 2. Postea anno 1508. & Odoardus Lemius nauarcha, & Cugna duces Lusitani eius oppugnationem tentarunt, sed vterque ab hoc suo conatu propter exitus difficiles, stationem periculosam, & infestam, vrbis mœnia valde munita, militum copiam, atque ferociam, quæ vrbem tueri poterat, aliásque ob causas depulsi, in Zacotoram insulam non procul inde distantem sese receperunt. Eiusdē vrbis descriptionem vide apud Petrum Aluarum, Odoardum Barbosam. Belleforesto Opona videtur esse vrbs nobis hodie Carfur dicta, cuius equidem vrbis hoc nomine nullam inueni mentionem fieri in Portugallensium nauigationibus Orientalibus. Idem author Oponæ siue Carfur subiungit vrbes quasdam, quarū crebra in hoc tractu ab Æthiopiæ & Indiæ scriptoribus fit mentio. Hæ sunt Zingi, de qua dictum, Asum, siue Asun, quæ parua est ciuitas sine portu, carnibus atque pecoribus referta, Ἐσσινά, olim, vt vult Belleforestus, à Ptolemæo dicta. Zazella, quam idem vult esse Τονίκην, id est, Tonicam. emporium Ptolemæo. Opim, à qua non procul Camara insula. Magadaxum, de qua dictum. Paté, Braua, quæ muris, mœnibus egregiè munita, celebre regionis illius emporium, à Cugna, Ame Lusitano, anno 1518. expugnata, atque spoliata, flammis coniectis, incendio, hostibus è propinquo intuentibus, valde miserabili cōflagrauit, teste Osorio lib. 5.

Opona hodie Magadaxum. Magadaxum. Emozaydij. Gama Lusitanus. Magadaxi vrbis expugnatio frustra tentata. Opona alijs Carfur. Zingis sinus. Asum ciuitas olim Essina. Zazella olim Tonica. Opis. Camara. Paté. Braua.

Hodie nulla ferè aromata in AEthiopia. *In ea vtplurimum nascitur cassia.*) Neque in Opona, siue Magadaxo, neque omnino in vniuersa illa AEthiopia, aromata hodie vlla nasci, Portugallenses, qui oras illas assiduè lustrant, satis testantur. Quum tamen Plinius, Strabo, Arrianus noster, aliique scriptores in Troglodytica, atque AEthiopia, thus cinnamomum, cassiam, aliáque huiusmodi aromata feliciter admodum olim proue-

Terrarum mutationes miræ.

prouenisse scripserunt, quæ idcirco cinnamomifera, & aromatifera fuit appellata. Verùm hoc non est mirum, quippe quum regiones multas, quæ olim paradisi instar amœnissimæ fertilissimæque extiterunt, in horrendam quandã atque funestam vastitatem singulari quodam Dei iudicio conuersas fuisse legamus. sicuti Sodomæ, Gomorræ, Iudææ regionis lacte & melle olim fluentis miseranda exempla docent. Magadaxum porrò siue Oponam hodie auri, eboris, ceræ, carnium, frumenti atque frugum abundantẽ esse, testis est Odoardus Barbosa.

Τούπερων.) τὰ πέραν legendum.

Ἐξαρτίζεται. i. εἰσκομίζεται. inde ἐξαρτισμοὶ merces.

Ἀριακῆς.) Ariace, hodie Decan Iac. Castaldo, de qua postea. *Ariace hodie Decan.*

Τέπερα.) Rursus τὰ πέραν legendum. vnde περατικόν.

Sachari.) Arabes Zuchar, Græci σάκχαρ, siue vt Arrianus noster, σάκχαρι, Latinè saccharum. *Saccharum.*

Mel arundinaceum.) Plinius libro 12. cap. 8. Saccharon, inquit, & Arabia fert, sed laudatius India. Est autem mel in arundinibus collectum, gummium, modo candidum, dentibus fragile, amplissimũ nucis auellanæ magnitudine, ad medicinæ tantùm vsum. Vnde Megasthenes, teste Strabone libro 15. Indiam in arundinibus mel sine apum opificio gignere tradidit. Alexander quoque Aphrodisæus libro 2. Problem. 74. Quod Sacchar, inquit, Indi appellant, mellis in arundinibus coagulum est, Sole cogente rores ad mellis dulcedinẽ, quod idem in monte Libano quoque fieri certum est. Vide Dioscoridem lib. 2. cap. 75. Stat. lib. 1. Sylu.

Indica non magna nimis arbore crescit arundo
Illius & lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeant succo contendere mella.

Zuccharum vbi hodie nascatur.

Sal quoque Indicum dicitur. Hodie zucchari optimi magna copia in Nubia regno Æthiopiæ sub Ægypto, in insula Madera, S. Thomæ, in insula S. Laurentij, in insula Bornei, in Zibit ciuitate Arabię felicis, denique in Cãbaia, Battecala, Bengala, Indiæ regionibus nascitur. Zucchari apud veteres nõ tanta fuit copia quanta hodie, apud veteres erat tantùm ad medicinę vsum.

Apocopa parua & magna.) Stephanus Ἀπόκοπα. Apocopa, inquit, sinus est in Arabico recessu, teste Martiano in periplo. Inde Apocopites & Apocopenus. Ptolemæus in Barbarico sinu ponit, Apocopa inter Phalangium montem, & Noti cornu promontorium. Idem contra Marinum post Oponam emporium, inquit, alium sinũ tradunt (mercatores) consequi, qui sit Azaniæ principium, iuxta quod principium situm sit Zingis promontorium (quod nonnulli volunt esse Guarda funi) & Phalangis mons, ita dictus ab araneis, tribus insignis capitibus, hunc verò sinum vocari Apocopa, cuius transitus sit duorũ dierum naturalium. Sunt etiam Indiæ intra Gangem mõtes Apocopi, qui ποιναὶ θεῶν. i. deorum pœnæ nominantur. Ptol. *Apocopa parua & magna.* *Phalangis mõs.*

Azaniæ) Azania, teste Stephano, pars Arcadiæ appellatur, ab Azano Arcade, de quo vide plura ibidem. Hîc autem Azania regio est Æthiopiæ, quam Ptol. in Barbarico litore ponit, eius principium faciẽs Apocopa, ac plurimos in ea elephantes reperiri tradit. Ab illa dictum est mare Azaniũ quod ei adiacet, cuius Plin. meminit lib. 6. c. 24 & 29. Solin. c. 68. Ex aduerso, inquit, vnde Arabia est, alter Arabicus vocatur: Oceanum verò, qui ibi influit, Azaniũ nominarunt. Item, Pelagus, inquit, Azanium vsque ad Æthiopum litora promouetur, AEthiopicum ad Mossilicum promontorium, vnde rursus Oceanus Athlanticus. Azaniæ pars magna, teste Ioanne Schonero, nunc regno Melinde tribuitur, quod citra Æquatorem situm est, de quo suprá. *Azania.* *Azanium mare.* *Azaniæ pars magna, hodie regnum Melinde.*

Versus Notum.) Inde verisimile est dictum esse promontorium νότου κέρας Noti cornu, quod Ptol. in hoc eodẽ sinu Barbarico ponit inter Apocopa, & lit⁹

paruum, quódque Strabo vltimum eius oræ promontorium facit.

Flumina.) Ptolem. post Apocopa ponit Noticornu ante litus paruum.

Litus paruum & magnum.

Litus paruum & magnum.) Vtriusque Ptol. ex ordine meminit post Noti cornu. Idē contra Marinum. Post sinū, inquit, Apocopa excipi dicunt, id quod paruum litus dicitur 3. διαστημάτων: post quod aliud, quod magnū litus appellatur. 5. distantiarum (Arrianus noster vtroque in lib. 6. δρόμους ponit) ambæ distantiæ pariter diebus & noctibus quatuor enauigari possunt. Niger Ptol. interpres post promontoriū Noticornu, inquit, litus curuatur in sinū, quem cōparatione sequentis, paruū vocant. Magnū deinde in quo Essina emporiū, quod paululū ab æquinoctiali linea distat, vbi Neptuni ara fuit, ex quo Neptunium litus appellatur. Eā Ariston à Ptolemæo ad peruestigandā Arabiā vsq; ad Oceanum (quidā hoc pelagus Oceanū esse putauerūt) missus Deo dicauit. Quæ regio maritima propter vtilitatē admodum celebris est, & à palmis, quas plurimas fert, Phœnicea denominatur. Ptol. contra Marinum ait litori paruo & magno coniungi sinum, in quo Essina emporium duorum dierum interuallo.

Essina promont. Neptuni ara. Neptuniū litus.

Sarapionis dromos.

Sarapionis dromos.) Ptol. post litus magnū ponit Essina emporiū, ac deinceps Sarapionis portum, ac promontorium, idē lib. contra Marinū, Sarapionis portum vnius diei nauigatione Essinam ait consequi. Videtur autem hic locus sic appellatus à Serapione legato, qui cum Dioscoride (à quo forsan Dioscoridis insula, de qua postea, dicta fuit) à Ptolemęo ad Achillā missus fuit. Vtrosq; verò magnæ authoritatis viros Achilla, quum in conspectū eius venissent, priusquā eos audiret, ac cuius rei gratia missi essent, cognosceret, corripi ac interfici iussit, quæ quidem iuris gentium violatio postea Alexandrini belli causa extitit. Testis Cæsar sub finem lib. vlt. De bello ciuili.

Serapiō legatus

Niconis dromos

Niconis dromos.) Ptol. post Serapionis dromon ponit Τονίκην Tonicā emporium, contra Marinum: post Serapionis portum, ait incipere sinum, qui ad Rhapta ducat, trium dierum ac noctium transfretationē habentē, iuxta cuius principium sit emporium νίκι Nici appellatum. Vnum ergo idémque videtur esse emporium, quod Ptol. vno in loco Tonicam, in altero Nici (nisi forsan in alterutro sit mendum) Arrianus noster quibusdā literis immutatis, atque trāspositis Niconis dromon appellat. Tonicā autē Belleforest. vult hodie Zazellā dici, quod emporiū ipsi Essinæ hodie Asum nuncupatū, vult esse vicinum.

Niconis dromos, forsan Tonica.

Tonica hodie Zazella.

Post quem fluuij plures.) Ptol. Sarapionis dromo subiungit Rhaptum fluuiū atque emporium, de quo paulò pòst. Idē tradit c. 17. contra Marinum. At Arrianus noster multos fluuios atque portus, insulas Pyralaon atque insulā Menuthiam inter vtrumque interiecta esse tradit.

Mensuræ quatuor species.

Stadium.

Portus distinctis stathmis.) Arrianns noster quatuor ferè mensurarū nominibus atq; generibus ad locorum interualla demetiēdū vtitur. Prima est στάδιον, siue στάδιος (quo ī genere Arrian. noster hac voce ferè vtitur) quæ cōmunis olim maximè Græcorum mensura fuit, ἀπὸ τῆς στάσεως. i. statione dicta, tantùm nimirū spatium, quantū Hercules vno spiritu conficere potuit, quo perfecto stetit plerique stadium 250. pedum, Herodotus centum iustorum pass. statuit.

Stathmus.

Secunda est σταθμος. i. statio siue māsio (qua voce Plin. sæpe vtitur) significat spatiū diætę vnius. aiúntque milliaria vigintiquatuor cōprehendere, quæ leucas efficiāt quatuordecim, iustā nimirum ac moderatā peregrè proficiscētium diætā. Verùm aliæ sunt stationes proficiscētis exercitus, aliæ verò cursorū, siue veredariorum, Rob. Cœnalis De pōder. Tertia est ἡμέρα. i. dies. Herod. Ἡ δὲ ὁδὸς ἡ ἡμερησίη ἀνὰ διηκόσια στάδια συμβέβληται. Hoc est iter vnius diei 200. ferè stadia cōplectitur. Itē, νηῦς ἐπίπαν, μαλιστάκη κατανύει ἐν μακρῇ ἡμέρῃ, ὀργυίας ἑπτάκις μυρίας, νυκτὸς τε ἑξακισμυρίας. Hoc est, nauis ferè longè die meat septuaginta millia passuum, nocte verò sexaginta.

Dies.

Dromus.

Quarta est δρόμος, qua & simpliciter vtitur pro itinere diei tā in mari, quā in terra, & alicubi δρόμον ἠπείρου nominat pro spatio, siue termino eius spatij, quod

vno

vno die in terra confici solet. Potest autem id in terra ferè certius esse, quàm in mari, vbi propter ventos, & alias causas inæqualia itinera redduntur. Arrianus itaque noster duplices in hoc periplo dromos facit, alios ἡμερησίους. i. diurnos, alios νυχθημέρους, qui die pariter, atque nocte vna conficiuntur. Ptol. cap. 8. contra Marinum νυχθημέρου φορου πλοῦ, hoc est, diei naturalis (diem & noctem complectentis) nauigationem, si secunda fiat, 1oo. stad. esse ex Theophilo probat.

Dromi duplices. *νυχθήμερον ad verb. die noctéque. 2. Cor. 2.*

Vsque ad insulas Pyralaon.) Quid si sint insulæ quas Ptol. post Aromata enumerat, nimirum ἀμείβου. i. Amibi insula, μλωᾶ, Mena Insulæ duæ, μυρίκη, Myrice vna, à quarum Oriente est Pelagus quod Hippadis dicit appellari, Indico mari contiguum. Vel etiam forsan sunt tres insulæ, Munfia, Zenzibar, Penda, hodie dictæ intra insulam Menuthiam, siue S. Laurentij (de qua paulò post) & continentem interiectæ. Hæ autem tres insulæ (quas veteribus ignotas, nostris demum temporibus Portugallensium industria inuentas atque patefactas esse volunt) mirum in modum sunt fertiles, atque feraces oryzæ, millii, malorum citriorum, aurantiorum, limoniorum, omnis generis frugum ac fructuum. Montes habent arboribus vestitos, plurimas arundines sachari, multum pecoris. Incolæ earum sunt Saraceni, sectæ Machometicæ addicti, exiguo debilique corpore vestibus sericis atque gossypinis, quas Monybasæ à Cambaiensibus mercatoribus emunt, vestiuntur mulieres monilibus, catenis, inauribus, armillis, annulis aureis atque argenteis ornatæ incedunt. Mercaturam cum iis qui sunt in continente exercent fructibus atque pecoribus. Naues habent paruas, infirmas, ex vna arbore compactas, funibúsque colligatas, quarum vela ex palmarum storiis contexta. Hæc Odoardus Barbosa, & alii.

Insulæ Pyralaō. *Insulæ Munfia, Zenzibar, Pēda.* *Insularum harū triū, descriptio.* *Regio fertilissima.* *Incolæ.*

Εἰπεννηδιωμμβρυθεσίας.) Omnino est mendum. Rhamnusius vertit, Insula stricta, quę Menuthesia dicitur: Menuthias Stephano, atque Ptolemęo, de situ Æthiopiæ inferioris, insula est Æthiopiæ, iuxta Prassum promontorium (quod alii Melinde, alii Mozambique etiam volunt) vnde Μενουθιεύς. Hanc verò insulam Portugallenses volunt esse insulam S. Laurentii hodie dictam maximā, atque celeberrimam. Hæc olim Madagassar, hoc est fons Lunæ, ab incolis appellata, postea S. Laurentii fuit nominata, eò quòd die diui Laurentii memoriæ consecrato fuit à Lusitanis cognita, anno salutis 1506. Vt enim solennes dies cadebant, qui erant diuorum memoriæ cōsecrati, ita Lusitani nomina terris, & insulis, & fluminibus incognitis, quæ diebus illis primùm viderant, imponebant. Ea verò est illi regioni opposita, quam appellant Ægesimbam, ad Solis ortum sita est, vna est ex maximis insulis, quæ à Lusitanis fuerant inuentæ. Patet in longitudinem circiter mille atque ducentis milliariis, in latitudinem vero quadringentis, & octoginta. Est variis regnis distincta. Regionis mediterraneæ cultores simulachris dediti sunt, qui oras maritimas incolunt, maxima ex parte Mahumetis sectam sequuntur. Partim nigri, partim colorati, breui autem, & crispo capillo sunt. Diuites vestibus gossipinis amiciuntur: tenues verò pudenda tantùm gossipina veste contegunt. Licet eis vxores ducere, quot eis libuerit. Regio est singulari fertilitate prædita. Fontes habet quàm plurimos, & aquas dulces atque perennes, vt hic quoque Arrianus fatetur. Est præterea densis syluis, atque nemoribus culta, vnde κατάδενδρος ab Arriano appellatur. Abundat multum piscatu, venatu, & aucupio. Sic Arrianus noster plurima in ea auium genera atque testudinem montanam reperiri scribit. Feras autem omnino nullas, præter crocodilos innoxios, in quo posteriore non illi conuenit cum insulæ S. Laurentii scriptoribus, qui eam plurimis feris abundare testantur, id quod est verisimilius ob nemorum atque syluarum copiam, de qua vtrique consentiunt, vt dictum est. Nisi forsan per feras beluas tantùm maritimas libet intelligere. Varias præterea fruges modica cultura adhibita profundit: multiplicésque radices, quibus homines vice panis vtuntur,

Menuthias insula. *Menuthesia, olim Magadassar, hodie S. Laurentij.* *S. Laurentij insulæ descriptio.* *Quantitas.* *Incolarum religio.* *Vestitus.* *Polygamia.* *Regio fertilis.* *Fontes.* *Aquæ dulces.* *Syluæ.* *Animalia.* *An feræ in S. Laurentij insula.* *Fruges.*

Radiciuori. effert, vnde Rhizophagi, hoc est, Radiciuori possunt appellari, qui Æthiopiæ populis à veteribus annumerantur, de quibus suprà. Citreis malis, & aliis arboribus odore miro redolētibus vestita est. Arundines Saccharinæ. Arundines innumerabiles, è quibus saccharum vel natura instillatur, vel artificio exprimitur, in ea proueniūt. Zinziber. Zingiber passim effunditur, quo quidem viridi vescuntur, si eum conseruare nesciunt. Argenti metalla. Habent argenti metalla quàm plurima. Incolarum mores. Gens est natura simplex, & ad humanitatē propensa, Lingua. lingua quadā propria Monzambiquensium linguæ dissimili vtitur. Naues. Artificio nauigandi carent, lintribus tantùm piscationis gratia vtuntur. Vnde Arrianus noster nauigia illis ῥάπτα atque μονόξυλα (de quibus paulò pòst) esse dicit, quibus ad testudines capiendum vtantur. Arma. In præliis non aliis armis, quàm leuibus iaculis vtebantur, sed nunc Lusitanorum consuetudine & vsu melius armati in aciem prodeunt. S. Laurentij insulam esse Menuthesiam. Et hæc quidem de insulæ S. Laurentii situ, & natura, & gentis moribus, Andreas Corsalis, Odoardus Barbosa, Osorius lib. 2, atque alii literis prodiderunt, quæ cum iis quæ hic Arrianus de Manuthia insula scribit egregiè admodum cōueniant, inde efficitur verisimilem esse illorum opinionem, seu coniecturam, qui S. Laurentii & Manuthiam insulam, vnam eandémque insulam esse existimant.

Crocodili innoxij.) Crocodilum (inquit Plin. lib. 8. cap. 24.) habet Nilus quadrupes malum, & terra pariter & flumine infestum. Hos Nili crocodilos (quod sanè est admiratione dignum) Leo Africanus hodie postquam Mahometani, ceu alteri crocodili Ægyptum occuparunt, magis quam olim Ægyptiorum & Romanorum temporibus sæuire testatur. Idem auctor miratur, quid causæ, quamobrem Nili crocodili, qui à Cairo sunt versus mare nullum dent damnum, cæteri verò sint nocentissimi. In Nigro etiam fluuio reperiuntur, sed non vt in Nilo, adeo multi. Crocodili Indi Orientales passim in fluuiis, quos Cainan ibi appellat. De Gāgis fluuii crocodilis vide Nicolaū Cozium. In Goa insula crocodilos, longitudine viginti pedum, qui nunquam ex aqua exeant, testis est Andreas Corsalius. In regione Cananor, præsertim in fluminibus multos crocodilos reperiri, qui hominem terrerent, quia flatu suo longè latéque Ziberti odorem spargant, scribit Barbosa. Crocodilos etiam ab Ægyptiis, teste Herodoto in Euterpe, Champsas appellatos hodie quoque à Turcis Kimpsar nominari, testis est Scaliger exercitat. cap. 96. Verùm de crocodilorum Nili quantitate, figura atque forma, astutia, insidiis, de aue (quam Trochilum veteres appellant) quas intrant in eorum ossa ad extergendos dentes de eorum partu, captu, & carne, qua Ægyptii vescantur, de his vide plura apud Leonem Africanū lib. 8. Sic in Indo fluuio Nearchus tradidit, teste Strabone, crocodilos nec multos nec hominibus infestos reperiri.

Rhapta.) Nauium genera, quorum Arrianus in hoc periplo passim meminit, hæc sunt σκάφαι ἀπὸ τοῦ σκάπτειν dictæ, hoc est cymbæ, vt nonnulli volunt, ex vnica arbore excauatæ, quibus olim Illyrij vsi fuerunt, quæ maiores naues con sequebantur. Item paruæ ad piscandum nauiculæ, piscatoriæ scaphæ dicuntur. Ἐφόλκια, ex quibus in maiores naues vectores admittantur. Ῥάπτα (à quibus Rhapta promontorium dictum) ἀπὸ τοῦ ῥάπτειν, naues consutiles, siue plicatiles. Plin. lib. 5. cap. 9. Naues AEthiopiæ plicatiles esse dicit, quas humeris transferunt. Μονόξυλα, quæ ex vno ligno siue arbore confectæ sunt, quæ hodie Almadie appellantur, teste Odoardo Barbosa in descriptione Angos vrbis AEthiopiæ, Plin. lib. 6, Regio ex qua piper monoxylis lintribus Baracā conuehitur. Σχέδιαι, Latinè rates, naues tumultuariæ. Infrà, inquit, σχέδιαι δερμάτιναι ἐξ ἀσκῶν, hoc est, rates ex pellibus, atque vtribus confectæ. Hinc Plin. lib. 7. Ante ratibus, inquit, nauigabatur inuentis in mari Rubro inter insulas à rege Erythra, primum nauium genus. Atque hæc quidem sunt notiora nauium genera, de quibus vide Bayf. de re nauali, Lazium commentar. Reipubl. Rom. libro 6. Calcagninum de arte nauigandi. Alia verò quoque ab Arriano nauium genera

ra recenſentur magis ignota. Eiuſmodi ſunt τράππαγα & κοτύμβα, *Trappaga, & Cotymba*, quas dicit naues fuiſſe longas, quibus in Papicam olim nauigatum ſit. Item μανδάρατε, quas dicit nauiculas quaſdam ῥαπτὰ, hoc eſt, ſutiles fuiſſe. Item σάγαρα naues ex monoxylis nauibus conflatæ, quibus in Gange, & Cherſoneſo aurea olim nauigatum fuit. Nauigiorum porrò antiquorum maris Rubri, & Indici deſcriptionem vide apud Procop. lib. 1. de bello Perſico. Nauium genera atque nomina hodie in mari Rubro, AEthiopico, Indico vſitata hæc ferè ſunt. Zambuchi, ciampanæ, paras, almadiæ, cathari, Porcai, giunci, paiares, quarum deſcriptionem videre licet apud Ludouicum Barthemani, ſiue Vartomanum, & in Sũmario Orientali. Hodie denique vt olim quoq;, nonniſi paruorum nauigiorum vſum in Rubro mari, etiam omnes fatentur. *Trappaga. Cotymba. Mandarate. Nauigia Erythræi, vt Indici maris hodie.*

Ad capiendas teſtud.) De varia & multiplici teſtudines capiendi ratione, vide Plin. lib. 9. cap. 10. Oppianum Geſnerum. *Teſtudinum captura.*

Γύργαθος.) Teſte Heſychio ſignif. ſportam vimineam in quam panifices panem mittunt, hic pro inſtrumento vſurpatur piſcatorio, Germanicè *ein Ruſch*.. Γύργαθος etiam lectus eſt, in quo Paralytici mentéque capti, quíque dæmoniaci vocantur vincti iactant ſe (Græca enim vox à voluendo dicta videtur) multa minitantes, ſed fruſtrà. Hinc prouerbium γύργαθον φυσᾷς. i. Gyrgathum ſpiras in inſanum, fruſtráque minitantem. *Gyrgathos.*

Rhapta vltimum Azamæ promontorium.) Ptol. poſt Tonicam in Barbarico ſitu, ſubiungit & ῥάπτε, *Rhapti* fluu. oſtia, & Rhapta metropolim Barbariæ parum à mari diſtantẽ Auſtralem, & Rhaptum promontorium. Idem planè tradit lib. contra Marinum cap. 17. Niger Ptolemæi interpres. Hinc (ſcilicet poſt Tonicam) ſinus trium dierum tranſitu aperitur, ſtatímque poſt illum Rhapta metropolis Barbaricæ gentis, parum à mari diſtans, cui Rhaptus amnis ad læuam in mare vadit. Et inde Rhaptum promontorium, vbi Arabes dicunt Nili ramum mare influere. Stephanus ῥάπται metropolis AEthiopum, cuius incolæ ῥάψιοι *Rhapſii*, & ῥάπτρα *Rhaptra* (Rhapta eliſo ρ legendum) portus, & ῥάπτος Rhaptus fluuius. De hoc fluuio ſic ſcribit Ioann. Barroſus diligentiſſimus coſmographus. Regionis, inquit, Zanguebar principium eſt vnus ex nobiliſſimis Africæ fluuiis meridiem verſus, in Oceanum magnum ſeſe exonerantibus quẽ Ptol. Rhaptum appellat, cuiúſque latitudinem verſus Auſtrum ſex grad. facit, quum potius ipſa experientia teſte, nouem ſit graduum verſus Boream. Oritur in terra regis Abyſſinorum quem Presbyterum Ioannem appellant, in montibus quos incolæ Gratum appellant, ipſum vero fluuium Oby, & vbi in mare intrat, Quilmanci nominant Saraceni eius accolæ à caſtro quodã, quod in oſtio eius principe ſitum eſt iuxta regnum Melinde. Ab hoc fluuio ſi verſus promontorium Guardafuni nauigetur, indéque ad portus freti maris Rubri inflectatur, regio efficitur, quam Arabes propriè Aian appellant, cuius maxima pars ab ipſis incolitur, licet magnam quoque eius partem verſus Meridiem mediterraneam Nigri idololatræ inhabitant. Ab oſtiis porrò fluuij iſtius Quilmanci verſus Occaſum vſque ad promontorium Currentium dictum, omnis, inquam, hæc regio verſus Occaſum vſque ad promontorium Bonæ ſpei, ab Arabibus atque Perſis Zanguebar, ab incolis Zanguij appellatur. *Rhapta promõt. Rhapta fl. Rhapſij. Regio Zanguebar. Rhaptus fl. Mons Gratus. Rhapti nomina & Rhapti oſtia. Aian regio à Rhapto fluuio efficitur. Zanguebaris regionis termini.*

Vltimum Azaniæ emporium.) Arrianus hoc facit vltimum, quia huc vſque illius ſeſe extendebat cognitio, vlteriora ignorauit. At verò Ptol. vltra Rhapta progrediendo ponit Praſſum promontorium, cuius Stephanus quoque meminit. πράσον per σ ſimplex (niſi forſan ſit mendum) eiúſq; incolas πρασίους Praſios appellat. Idem Ptol. à Rhapto promontorio ad Praſſum vſque dicit Barbaricum ſinum (qui & aſperum mare ob breuia dicitur) extendi, illúmq; circumquaque cingi Æthiopibus Anthropophagis, ſupra quos habitent Rhepſij Æthiopes. Idem cap. 17. contra Marinum à Rhaptis ad Praſſum dicit ſinum eſſe maximum, non tamen profundum. Dioſcorum quoque dicit affirmaſſe naui- *Praſum promont. Rhepſij AEthiopes. Nauigatio à Rhaptis ad Praſſum.*

gationem à Rhaptis ad Praſſum, quæ multorum dierum eſt, quinque millium ſtadiorum tantummodo ſtatuiſſe, quippe cùm venti ſub Æquinoctiali ſint εὐμετάβολοι, id eſt, facillimè mutentur, ac varientur: Sed de hoc interuallo inter duo hæc nobiliſſima emporia, vide plura ibidem necnon cap. 14. Promontoriũ autem Praſum quidam putant eſſe Melinde, quos Belleforeſtus errare dicit, quippe quum diſpares ſint Praſſi, atque Melinde gradus, idémque Melinde quidem promontoriũ eſſe Noticornu à Ptol. dictum (quod eſt Azaniæ principium) Praſſum autẽ eſſe hodie dictum Mozãbique, ſibi videri dicit. Rhamnuſius ex Portugallẽſiũ cõiectura, & in primis nobilis ille & genere, & eruditione Portugallenſis Ioannes Barroſus in ſua Coſmographia Praſſum affirmat eſſe regionem, ſiue inſulam hodie Mozambiquen dictam, quippe quum tot eius ſint gradus, quindecim nimirum, quot à Ptol. Praſſo aſſignantur, verſus Auſtrũ. Eſt autem Mozambique regio ſiue inſula à Vaſco Gama regis Luſitaniæ legato primum cognita, & patefacta anno ſalutis 1499, cuius magnam partem ante Portugallenſium aduentum in illas oras Saraceni mercatores habitabant, erántque ſub imperio regis Quiloæ. Hodie rex Portugallenſis & arcem in illa, & Saracenos ſuo habet ſubiectos imperio. Portum habet optimum, vixque celebrius aliud emporium in regionibus illis reperitur. Inde enim naues in Arabiam, in Indiam, in multas præterea terrarum partes abeunt, & ex omnibus illis locis innumerabiles in eã merces conuehuntur. Iſtius incolæ homines ſunt agreſtes, ſimulachris dediti. Hæc Odoardus Barboſa, Oſor. lib. 1.

Praſum nõnullis videtur eſſe Melinde.

Praſum potius Mozambique hodie dictum.

Mozambique regio.

Oceanus enim poſt hæc loca nondum inueſtigatus.) Ptol. poſt Praſſum demũ promõtorium terram dicit eſſe incognitam, iuxta quam idem teſtatur regionem maximam Æthiopum extenſam eſſe, quæ Ageſymba appelletur. Eſt autem Ageſimba vt eam Oſorius 4. lib. deſcribit, ea Æthiopiæ pars, quæ eſt vltrà promontorium Bonæ ſpei, & Auſtrali Oceano terminatur. In ea regnum eſt latiſſimum Benomotapæ, cui ante quàm Luſitáni eas oras perluſtrarent, omnes illius oræ Reges ſine recuſatione parebant, quod quidem, regnum ibidẽ pluribus deſcribit. Ægeſimbe ambitu Zofala quoque ſiue Ceſala inſula auri abundatiſſima continetur, quæ ſexdecim gradus ab æquinoctiali plaga diſtat.

Ageſimba.

Ad Auſtrum extenſa cum Occidentali mari.) Ptol. de ſitu Æthiopiæ inferioris. Magnum ſinum, inquit, qui apud Occidentalem Oceanum eſt, tenent Ichthyophagi Æthiopes. Ex his auſtraliores ſunt vſque ad terram incognitam, qui communi nomine Heſperii Æthiopes appellantur. Ad horum autem omnium illuſtriorem cognitionem operę pretium eſt illam Ioannis Barroſi horum locorum deſcriptionem ante oculos habere propoſitam, quæ ita ſe habet. In illa, inquit, Africæ regione, quæ eſt in Æthiopia, quam Ptol. interiorem appellat, vbi Ageſimba terra auſtraliſſima ſita eſt, alia quoq; ſeſe offert regio, quæ ipſius quidem temporibus incognita fuit, hodie verò poſtquam Indiam per hunc noſtrum Oceanum perluſtrauimus, ſanè quàm eſt notiſſima. Ad illius principium Praſſum promontorium iacet ab ortu, quod quidẽ Ptol. quindecim grad. ſtatuit, quot quidẽ nos quoque illud eſſe experti ſumus, quod hodie Mozambiquem appellant vbi habemus caſtrum, quod tutiſſimum, commodiſſimúmque portum in Indiam nauigantibus præbet. Pars verò illius regionis Occidentalis, quam Ptol. ignorauit, definitur latitudine quinque grad. verſus Auſtrum, quæ quidem continens eſt cum illis AEthiopibus, quos ille communi nomine Heſperios vocat. Hi ſunt iidem qui hodie Pangelungi vulgò appellantur. Manicongi noſtri regno imperióque ſubiecti. Inter hos autem duos terminos Orientalem & Occidentalem interiacet clarum illud, & illuſtre Bonæ ſpei promontorium, quod tot ſeculis in hominum ignoratione verſatum eſt. Hæc vniuerſa regio valde ampla, (cuius incolæ Barbari homines plurimùm linguis à ſe inuicem diſcrepant) proprio nomine caret. Arabes autem, atque Perſæ, qui literis delectantur, iiſque ſunt finitimi regionem illam in ſuis

Ichthyophagi AEthiopes.

Heſperij AEthiopes.

Ageſimba.

Praſum promõt.

Mozambique.

Heſperij hodie Pangelungi.

Promontorium Bonæ ſpei.

Incolæ Zanguebaris regionis.

suis scriptis Zanguebarem, illiúsque incolas & Zanguas, & Cafras appellant, quod posterius nomen Cafræ iuris & legum expertes significat. Sic Galli hypocritas appellant *Caphars*, quod apud illos commune est omnium idololatrarum nomen. Hanc præterea ipsi regionem inter ostia fluuij Quismanci (is est Rhaptus) & promontorium Currentium interiectum, humilem esse atque palustrem, auri quidem abundantem, sed insalubrem, atque sterilem, eius deniq; incolas Zanguios siue Cafras dictos feros esse atque agrestes, cùm Barrosus, tũ Summarij Orientalis author apertè testantur. *Zanguæ. Cafræ.*

Nunc absoluta prima huiusce peripli parte Troglodyticæ, atque AEthiopicæ loca maritima complectente: colophonis loco subiungam breuem quandam enumerationem siue descriptionem illustrium locorum maritimorum, quæ à Guardafuni primùm siue Aromatum promontorio Mozambique siue Prassum promontorium versus, deinde ab hoc vsque ad promontorium Bonę Spei, denique ab illis Lisbonam vsque Portugalliæ metropolim (olim Olyssiponem dictam) nauigantibus sese offerunt. Quæ quidem loca Portugalliensium laboriosis, periculosísque nauigationibus & cognita primùm nostris siue patrum nostrorum temporibus atque illustrata fuerunt, & hodie maximè frequentantur.

Guardafuni, siue Axomatum promontorium, de quo suprà dictum. *Guardafuni.*

Assum, siue Asun. Essina Ptol. de qua suprá. *Assum.*

Magadaxũ, olim Opona, de qua suprá. *Magadaxum.*

Braua ciuitas à Saracenis habitata, regis expers, quam senes magnæ authoritatis, ac dignitatis viri gubernarunt, teste Odoardo Barbosa, de cuius miserando exitio suprà dictum est. *Braua.*

Paté, Lamon: Ciuitates munitæ, quarũ incolæ Saraceni cum Ethnicis mediterraneis partim mercaturam exercent, partim etiam bella gerunt. Odoard. Barbosa. *Paté. Lamon.*

Penda, Munfia, Zinzibar: Insulæ tres quæ se inuicem ordine quodam consequuntur, de quibus suprà dictum. *Penda. Munfia. Zinzibar.*

Zinzibaris verò, quæ vna est ex illis tribus, luculentam in primis mentionẽ facit Osorius libro 2. eam Zinzibarim appellans. Insula est, inquit, opima, fertilis, fontibus crebris, & densis nemoribus amœna, multísque gregibus abundans, à continente circiter passuum viginti quatuor millibus disiuncta, in qua præter alias arbores, altissimæ mali Medicæ in syluis sponte nascuntur, è quarũ floribus, quum ventus leniter spirat, in loca etiam longinqua suauissimi odores afflari dicuntur. Illius princeps quanuis Mahumetis sectam sequeretur, tamẽ Vastum Gamã benignè complexus est, illúmque commeatu & fructibus onerauit, anno 1499. insula S. Laurentij tribus illis opposita, olim Maidagascar, siue Madagascar dicta sub octauo parallelo Australi sita, cùm ingens, tum opulenta, ad quam viginti diebus circiter ex Moabar Indiæ proueniunt mercatores, teste Scaligero, Ptolemæo. Menuthia, Plinio Cerne dicta, vt nonnulli volunt. Sinus huius insulæ ob amœnitatem singularẽ Pulcher appellatus à Roderico Pereira Coutigno Lusitano, qui primus tempestate agitatus, in eum introiuit. Nomen illud adhuc hodie retinet, teste Osorio lib. 1. *Zinzibaris insulæ descriptio.* *Menuthia insula Cerne Plinio.*

Melinde Oppidum, de quo suprà, vnde Melinde regnum. *Melinde.*

Mombaza vrbs abest à Braua quadringentis millibus passuum sita intra sinum quendam in rupe præcelsa & edita. Fluctus quum se ab introitu sinus incitant, in aduersam frontẽ vrbis incurrunt. Inde deducti, introrsus penetrant, & vtrunque latus vrbis alluunt, ita vt peninsulam efficiant. Habebat autem in portu vrbs arcem munitissimam, armis & telis, variísque tormentis refertã, *Mombazæ descriptio.* *Portus.*

Fructus. *Animalia.* *Cæli temperies.* *Incolarũ victus.* *Ædificia.* *Vestitus.* *Rex.*

firmissimísque præsidiis atque singulari vigilantia defensam. Tellus abundat fructibus,& oleribus,& frugibus,pecorum & armentorum gregibus, & aquis dulcibus. Vtitur præterea mira cæli temperie. Homines viuunt admodum laute,domus more nostro ædificant,tectoriáque variis coloribus depicta parietibus inducunt. Mercaturæ valde sunt dediti,mulieres sericis vestibus atque auro sese ornant. Rex eius quum elato atque inflato animo regi Portugalliæ nollet parere ciuitatem amisit,quæ à Portugallensibus vi capta fuit, ipse occisus, magna pars hominum in seruitutem redacta,terra vastata,opima auri,argenti, æris,marmoris,vestium sericarũ, atque auro intertextarũ, pretiosissimarũ denique mercium præda ablata. Abest hæc insula Mombaza à Zinzibaro insula ad Occidentem solis octoginta passuum millia. Inter ipsam insulam & continentem,fretum interiectum est adeò angustum, vt nauium nulla eò transire possit,quæ non simul & ab insula,& à continente facillimè cernatur. Hæc Odoardus Barbosa,Osor. Lusitanus lib. 1. & 3.

Quiloæ descriptio. *Plantæ.* *Pecora.* *Fruges.* *Vrbs Quiloa.* *Ædes.* *Naues.* *Regni ambitus.* *Religio.* *Lingua.* *Commercia.* *Vestitus.*

Quiloa insula abest à Mozambiquensi circiter quadringẽta passuum millia, angusto mari à continenti diuiditur. Insula consita est plantis & arboribus: fontes habet gelidos atque perennes:armentis & pecorum gregibus abundat, animantia multa in syluis,atque nemoribus nutrit ex iis quæ venatorum opera capiuntur. Tellus est fertilis,& adhibita mediocri hominum cultura varias fruges effundit. Mare continet pisces varios,& optimos. Vrbs est magna,habitatorúmque multitudine referta. Ædes sunt amplæ,& extructæ magnificè:cœnaculis & laquearibus,& tectoriis pulcherrimè ædificatæ:& ornatæ multa,& varia supellectile. Naues non sunt absimiles Mozambiquensium, thure tamen noto propter penuriam picis oblinuntur. Quiloa regnum supra nongenta millia passuum olim in longitudinem patebat. Rex & omnes Quiloenses Mahumetis placitis addicti sunt. Homines partim sunt nigri,partim colorati, Arabicè loquuntur,& multas præterea linguas norunt propter multarum nationũ, quæ ad illas oras veniunt,cõmercium. Arabũ aut Turcarũ more vestiuntur, viuunt admodum lauté. Rex illius insulæ quum obedientiam regi Portugalliæ denegaret,regno exutus fuit,ac multis captis & occisis, insula in regis Portugalliæ potestatem fuit redacta,ędificata in ea arce munitissima. Testis Odoardus Barbosa,Osorius lib. 2. 3,&c.

Mozambique.

Mozambique Ptolemæo Prasum,de quo suprá.

Angos.

Angos vrbs regem habet, qui Angoterax dictus est, cuius incolæ Sarraceni homines sunt nigri,corpore pusillo,vmbilico tenus nudi,inferiorem corporis partem vestibus gossipinis atque sericis tectam habent. Mercaturæ valde sunt addicti,lingua Arabica vtuntur,abundant pecoribus,millio,oryza, & regi Portugalliæ parent,sępenumero tamen ab illo defectionẽ moliuntur. Hæc Odoardus Barbosa. Vide plura apud Franciscum Aluarezam,Thomam Lopezum. Zuama siue Cuama fl. ingens: Astapi fl. brachium, de quo suprà: eundem pluribus describit Odoardus Barbosa.

Thomas Lopezus *Cuama fl.*

Zimbaos.

Zimbaos vrbs magna,cuius ædes ex lignis atque paleis sunt constructæ,vbi rex Benamataxa,siue Benomatapa sæpe commoratur. Vide Odoardum Barbosam.

Benamataxa.

Benamataxa ab vrbe Zimbaos sex diebus disiuncta metropolis regni Benamataxæ,de quo vide Odoard. Barbosam.

Zefala.

Zefala siue Zofala pars Ægesimbæ auro opulentissima, quam nonnulli Ophir,cuius in sacris Literis fit mentio,vnde aurum Obrizum esse existimant. Eam quomodo Frãciscus Gama imperio Emanuelis regis Portugalliæ subiecerit,arce ibi incredibili celeritate extructa. vide Osor. lib. 4. Odoardũ Barbos.

Vtique paruæ,& quæ sequuntur,magnæ, insulæ sunt à Sarracenis habitatæ, ambracæ atque vnionum plenissimæ. Odoard. Barbosa.

S. Sebastiani promontorium.

Promontorium S. Sebastiani in quo multi montes,agri,valles amœnissimæ, conspi-

conſpiciuntur,in quibus magna eſt copia vaccarum, veruecum, animalium ſylueſtrium. Eius incolę nigro ſunt colore,nudi plerunque incedunt,pellibus tantùm ceruinis,aliarúmque ferarum amicti. Barboſa. Promontorium Currentium,quod altera quædam Scylla atque Charybdis dici poteſt. Hinc ſequuntur promontorium S.Spiritus, Alagoa, Linfante, Eumos fluuius, Agullas promontorium. Sancti Blaſij aquatio,ſinus ad Orientem ſpectans, qui 220. paſſuum millia ab vltimo promontorij Bonæ ſpei flexu abeſt, teſte Oſorio libro 1. *Currentium promontorium.*

Bonæ ſpei promontorium, in quo(id quod Ioannis primi Portugallenſium regis temporibus accidit)flectendo,quum Portugallenſes tempeſtatibus(quibus eſt obnoxium)iactati ita & afflictati eſſent, vt ſæpenumero omnem ſpem ſalutis abiicerent,illud Tormentoſum appellarunt. Tormenta enim apud illos idem ſunt,quod tempeſtas aduerſa. Flexu promontorij huius explorato reuerſi ſunt. Quum autem Ioanni regi huius promontorij ſitum, & longitudinē demonſtrarent,tanta lætitia affectus eſt, vt exiſtimaret eſſe ſibi iam aditum in Indiam patefactum:& quaſi fœlicis euētus augurio commotus, promontorium illud,Bonæ ſpei nominari iuſſit. Hæc Oſorius Luſitanus libro 1. Idem promontorium poſtea anno ſalutis 1499. Vaſcus Gama à rege Emmanuele(qui Ioanni primo ſucceſſit)ad Indiam luſtrandam miſſus, maximis cum difficultatibus ac periculis ſuperauit vigeſimaquinta die Nouembris quum in eius latitudine ſuperanda quinque dies poſuiſſet,teſte Oſorio libro 1. Terra illa(vt idem teſtatur)ſyluas habet ingentes,& denſa nemora, pecudum, & armentorum greges innumerabiles. Eius incolæ colore, & ſpecie ſimillimi illis, qui in ſinu S.Helenæ habitant. Quum loquuntur,ſingultire videntur,nudi ambulāt, pudenda ligneis vaginis includunt,fiſtulis vtuntur. Tuguria ſibi ex lateribus Sole aduſtis,aut è terra faciunt,quę culmis deinde,atque congeſtis glebis con tegunt. Inter hoc verò promontorium,& Olyſipponenem hæc ferè loca, Portugallenſium nauigationibus trita, interpoſita ſunt:inſula S.Iacobi, quæ reſpi cit Æthiopiam,inſula S.Helenæ parua in medio mari ſita, fluuios habens gelidos,atque perennes,nemora dēſiſsima, cælum ſaluberrimum,multis porcorum,& pecudum gregibus,variiſque fructibus,& oleribus abundans. Oſorius libro 2. *Bonæ ſpei promont.* *Cur Bonæ ſpei dictum.* *Regionis circa Bonæ ſpei promont. cuiuſmodi.*

A dextris Bernices.) Adhuc dextrā maris Rubri partem à Berenice perſequutus eſt, nunc ſiniſtram eiuſdē partem percurrit,& hinc incipit ſecunda pars peripli, Arabiæ præſertim fœlicis loca maritima continens. *Peripli pars 2.*

Vicus Albus. Ptolemæus de ſitu Marmarycæ,Libyæ, & totius Ægypti in interiore ſinu Arabiæ, meminit portus Albi inter Axyam, & Acaben montes,quem Niger ex montium circunſtantium candore ſic vult fuiſſe appellatum. Hunc vicum Album Strabo maximum olim Nabatæorum emporiū fuiſſe teſtatur. *Vicus Albus.*

Per quem in Petram.) Sic Strabo libro 16. Ex Albo vico, inquit, in ipſam Petram,ex Petra Rhinocolura,quæ in ipſa Phœnicia eſt iuxta Ægyptum,mer ces comportantur,atque hinc alia in loca,nunc pars maxima per Nilum Alexandriam vehitur. Idem ſcribit Ælium Gallum ab Auguſto Cæſare in Arabiam miſſum, Sylęi Nabatæorum legati fraudibus ex Petra in Album vicum, mari per loca auia, importuoſa, occultis cautibus infeſta,per longos anfractus, cum ſummis difficultatibus,magna militum atque nauium iactura deductum,ſeu potius ſeductum fuiſſe. Negabat enim Sylæus terreſtri itinere in Album vicum exercitum duci poſſe, quum in eum, atque etiam vlterius mercatores tanta camelorum, ac hominum multitudine tutum ac plenum iter ex Petra in alteram Petram faciant,vt nihil ab exercitu differant. Petra Nabatæorum quondam(teſte Strabone)metropolis in loco æquo,plano,& amœno poſita eſt, cincta rupibus ac præcipitiis, introrſus fontes & ad hortos irri- *Petra.* *Ælius Gallus.* *Petra Nabatæorum.*

gandum,& ad aquationem vberrimos habet. Extra illius ambitum regio est magna ex parte deserta,præsertim Iudæam versus. Hinc Hierichuntem breuissimum iter trium dierum,aut ad summum quatuor, in Palmetū verò quinque.Plinius libro 6.cap.28.etiam sitam esse dicit in conualle(quam Niger hodie quoque Arnonas dicit appellari) paulò minus vndecim mill. passuum amplitudinis,circundatam montibus inaccessis, amne interfluēte.Is,teste Nigro,est Arnon.Niger eam Ar,siue Arachen quondam dictam fuisse vult à nomine eius conditoris,qui vnus ex quinque Madianitarum regibus fuit,in diuinis verò literis & Nabath, & Arnon, & Iectabel, & Petra deserti appellatur. Abest à Gaza(quæ hodie Gazera dicitur)teste Plin.D.C.millia à sinu Persico CXXII.millia.Huc cōuenit vtrunque biuium eorum qui Syriæ Palmyram petiere,& eorum qui à Gaza venerunt. Ptolemęus eam inter Gorassam,& Characombam ponit. Ab hac vrbe appellata est Arabia Petræa, tanquam eius metropoli,& eius incolæ Petrodes. Nonnulli volunt esse hodie dictam Arach, alij(vt Bellonius,& Belleforestus)Meccam vrbē, cùm Mahumetis sepulchro, atque fano(quod singulis annis maxima virorum mulierúmque turba superstitionis ergò visitur,atque frequentatur)tum verò mercatu maximo celeberrimam,à qua Inda,quæ & ipsa vrbs est celebris, itinere diei vnius abest, teste Osorio lib.11. Alij tamen,inter quos Niger,Mochuram vrbem olim dictam volunt esse eam,quæ hodie Mecca appellatur.

Conuallis Arnonas. Arnon fl. Petra olim Ar, siue Arachen dicta. Petra deserti. Gaza hodie Gazera. Arabia Petræa. Petrodes. Petra alijs hodie Arach dicta. Alij Mecca. Inda vrbs. Mecca alijs videtur olim Mochura.

Nabathæorum regem.) Ναβαθαία *Nabathæa,* Dionysio, Ναβατηνὴ Stephano,regio Arabiæ,Syriæ contermina,populosa in primis,& pascuis abundans. Hinc & Nabathæos Dionysius ἀφνειοὺς appellat:de quorum moribus,regionis situ,ac bonitate,vide plura apud Strab.lib.15,sub finem.

Nabathæa regio

Malichan regem Nabath.) Nomen Malicha Hebraicè siue Chaldaicè Regem significat. Hirtius initio libri De bello Alexandrino, meminit regis Nabathæorum,Malco nomine,à quo Cæsar equites ad bellum euocauit. Videtur ergo nomen hoc fuisse Gentile, ac proprium Regum Nabathæorum. Verisimile est quoque hoc nomen tractum fuisse à fictitio illo deo Milchon, siue Melcham,cuius mentio fit 4.Regum cap.13.& 1.Sophoniæ. Soliti enim sunt Ethnici falsorum deorum,quos colebant,nomina sibi imponere. Augusti Cæsaris temporibus rex fuit Obodas nomine,ante Christi aduentum,teste Iosepho, Aretas nomine, Rex potentissimus iis imperauit. Is forsan est ipsius, quem Strabo Obodæ regi affinitate coniunctum fuisse testatur. De regū Nabathæorum conuiuiis, conditione atque statu ferè populari, sepultura in sterquiliniis,vide Strab.lib.15.sub finem.

Malicha rex. Malco rex Nabathæorum. Nabathæorū reges antiqui. Obodas. Aretas.

Custodiæ ergo.) Hinc duces Limenarchæ, milites Limenophylaces dicebantur.

Arabica regio extensa ad mare Rubrum.) Plinius libro sexto cap.28. Arabia peninsula inter duo maria, Rubrum Persicúmque percurrens quodam naturæ artificio ad similitudinem, atque magnitudinem Italiæ mari circunfusa,in eandem etiam cæli partē nulla differentia spectat. Arabia triplex. Arabia Græcè Εὐδαίμων, Latinè Fœlix, siue Beata cognominanda, quæ hodie Aiman Castales & aliis dicitur,corrupto vocabulo forsan Græco, Arabia Petrea à Petra oppido dicta, & Arabia deserta,hodie Barraab appellata.

Gentes Arabiæ.) De his vide Plin.lib.6.Strab.libro 16.

Linguis discrepantes.) Communis Arabica lingua Hebraicę atque Chaldaicæ est propago.

Nomadias.) Hinc Arabes Nomades dicti atque Scenitæ, quos Saracenos inquit Amm.Marcellinus libro 23.posteritas appellauit Nomades,inquit Plin. lib.6.cap.29.infestatorésque Chaldæorum,Scenitæ claudunt,& ipsi vagi,sed à tabernaculis cognominati,quæ ciliciis metantur.

Arabes Scenitæ.

Diripiuntur.) Arabes vt olim, ita hodie quoque maximi sunt prædones, atque

Arabes prædones & latrones.

atque latrones. Plin. lib. 6. cap. 28. Arabes mitrati degunt, aut intonſo crine: barba abraditur, præter quam in ſuperiore labro. Aliis & hæc intonſa: mirúmque dictu ex innumeris populis, pars æqua in commerciis aut latrociniis degit. De Arabum autem, qui hodie ſunt prædandi, latrocinandíque ſtudio immani vide Andream Teuetum cap. 43. Coſmographiæ.

Canraitæ.) Arabia innumerabilium gentium eſt alumna, de quibus Strabo lib. 15. Plin lib. 6. Canraitę (quo nomine nullos Arabiæ populos inuenire in veterum ſcriptis potui) forſan ſunt Caſſanitæ quorum Ptol. meminit de ſitu Arabiæ fœlicis, in quorum regione ad mare fuit Badeo oppidum (Vadei populi Plinio) & Amba ciuitas, & Mamala vicus, & Adedipagus, nunc, inquit, Niger, Addem inclyto impoſitus portui. Cæterùm Caſſianitę, inquit Niger, homines mitis ingenii ſunt, terram temperatam habentes, quibus aquæ, & imbres affatim ſuppeditāt, apud quos glebulæ quædam auri effodiuntur. Horum Steph. quoque meminit, quos dicit in littore maris Rubri habitare. Bellforeſtus regionem Caſſianitarum vult eſſe regnum hodie Aden dictum, ab Aden vrbe metropoli olim Adedun dicta. *Canraitæ.* *Canraitæ forſan Caſſanitæ.* *Caßianitæ.* *Aden.*

Eſt hæc nauigatio.) Idem de hac nauigationis difficultate ſcribit Strabo libro 16. Deinceps eſt litus lapidoſum, poſtea eſt ora aſpera, & nauigatu difficilis, mille ferè ſtadiorum, portuum, & iaciendarum anchorarum inops. Nam mons quidam altus, & aſper exporrigitur, ac montium ima ſpeluncis plena vſque ad mare, quæ præſertim Pteſiis, & pluuiis ineuitabile periculum creant. Huic ſuffragatur Agatarchides, qui præter nauigationem regionis Arabum Θαμουδηνῶν ad millia ferè ſtad. difficillimam eſſe dicit, & addit eleganter ſanè, οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἐστὶν οὐ λιμὴν εὔορμος, οὐ σάλος ὑπ' ἀγκύρας, οὐ κόλπος ἐπὶ σκέπης, οὐ χηλῆς ἐντύπωμα, ἀναγκαῖα καταφυγή. Idē teſtatur Diodor. Siculus lib. 4. Ac omnino mare Erythræum maxima ex parte ob ſcopulos, atque petras latentes difficillimū eſſe nauigatu, omnes ferè teſtantur. A Medina quidem Talnabi non procul à Zidem vſque ad inſulam Camaran verſus Bebel mandel aperta eſt, faciliſque nauigatio: at verò à Zidem ad Tor verſus deſerta Sues ob cautes latentes periculoſiſſima eſt nauigatio, vt multi oculati teſtes ſcriptis ſuis teſtantur. Atque hanc quidem ob cauſam Turcæ non potuerunt adhuc pro ſua voluntate Calecutium proficiſci, Portugallenſibus bellum inferre, totámque Arabiam ſuæ Tyrannidi ſubiicere. Mari enim ſcopuli atque cautes, terra verò immenſa, dira, atque funeſta deſerta illis ſunt impedimento. *Nauigatio difficilis.* *Erythræum mare nauigatu difficile.*

Ῥαχίαις.) Ῥαχίαι Thucydidi, & Atticis omnino litus ſign. Ionibus verò ἄμπωτιν, hoc eſt, gurgitem ſiue maris reciprocationē, vt apud Herod. Hinc prouerbium ῥαχίας λαλίστερος. *Rachiæ.*

Inſulam combuſtam.) Ptol. de ſitu Arabię fœlicis, inter inſulas adiacentes ſinui Arabico hanc quoque enumerat, eámque collocat inter Aram, & Maliachi duas inſulas. Niger eam dicit combuſtam dici ob magnam vim æſtus. *Inſula cōbuſta.*

Camelorum.) Sic Strabo lib. 16. Sinus, & regio Nomadum, victum ex camelis ducentium. Nam & ex iis pugnant, & iter faciunt, & nutriūtur lacte, & carnibus vtuntur. Flumen per eos labitur, quod auri ſtrigilem defert, quanquam id operari neſciunt. Hi Debæ vocantur, quorum alij paſtores ſunt, alii agricolæ. Idem Agatarchides teſtatur, ſed Δεδέβας *Dedebas*, vt Strabo, Δέβας *Debas* illos appellat, & vt Arrianus illos hic ſuppreſſo proprio nomine ἡμέρους. i. manſuetos, ita Agatarchides φιλοξένους. i. hoſpitales eſſe dicit. De iiſdem vide eadem apud Diodor. Siculum lib. 4. Camelus autem eſt animal famis, ſitis, laborum atque onerum vel ad admirationem vſque, patientiſſimum ad equitandum, arandum, onera portandum, præliandum, ſaltandum quoque aptiſſimū. Bactriani in primis atque Arabici in Oriente antecellunt. Vide Plin. lib. 8. cap. 18. Scaligerum Exercitat. contra Cardan. 209. *Camelis vectitantes. Camelophagi.* *Dedebæ.* *Camelus.*

Muza emporium.) Plin. lib. 6. cap. 23. Eſt & tertius portus, qui Muza vo- *Muza empor.*

catur, quem Indica nauigatio non petit, nec nisi thuris odorúmque Arabicorum mercatores. Ptol. de situ Arabiæ fœl. Muzam ponit in regione Elisarorum inter Sacatiam ciuitatem, & Sosippi portum. Rhamnusio in itinerario aromatum portus iste Muza situs in mari Rubro videtur non procul abesse à portu quodam, qui est in illa Arabiæ parte, quę Hali hodie nuncupatur. Sic Odoard. Barbosa. extra Zidem portum maris Rubri tria loca commemorat nimirum Iazan, Hali, Alohir.

Muzā nō est procul ab Hali hodie dicto.

Synonyma Græca mercaturam significantia.

Συῤῥέουσι τῇ ἐργασίᾳ.) Ἐργασία idem quod ἐμπορεία, σύγκρισις, mercaturæ contractus, χρῆσθαι, συγχρῆσθαι, ἐργάζεσθαι, vocibus Arrianus noster crebrò vtitur, quæ negotiationem, siue mercaturam facere, atque cōtrahere cum aliquo significant. *Vvarben handlen*, Germanicè.

Saua vrbs.

Saua σαυή.) Plin. lib. 6. cap. 23. Post Muzam intus, inquit, oppida, regia eius appellatur Saphar, aliúdq; Sabe. Ptol. σαβὴ *Saba* inter Marimatha & Thauba, quam sequitur Sabatha metropolis item σαύη regia inter Sachlam, & Deuam, vrbes sunt mediterraneæ. Steph. σαβαί *Sabæ*, vrbs magna, atque castrum propè Rubrum mare.

Maphartis regio.

Maphartis regio.) Sic (vt est verisimile) dicta ab Aphar ciuitate regia, de qua mox. μαφοείτας, *Maphoritas*, Ptol. supra Sapharitas, & Rhatinos collocauit.

Aphar vrbs. Saphar.

Aphar vrbs.) Ptol. σαπφάρα *Sapphara* appellat metropolim inter Saracā & Aram iacentem. Plin. similiter, vt paulò ante dictum, eam Sapphar nuncupat. Sic forsan dicta à pulchritudine, & elegantia, vt Micheæ שפיר *Sapphir*, nomen est cuiusdam vrbis pulcherrimæ Iudęæ cui tristia sua fata vates obnuntiat. Ibidem etiam vrbis עפרה *Aphra* fit mētio sitæ in tribu Beniameni, quam (pulcherrimè alludens ad illius nomen) puluere (qui עפר Hebr. dicitur) opplendam, atque polluendam esse dicit. A Sapphar porro dicti Sappharitæ quos Homeritis Ptol. vicinos facit.

Homeritæ.

Homeritæ populi.) Stephanus Æthiopum populos appellat. Horum meminit Plin. lib. 5. c. 28, illos numerosissimos appellans, quorū oppidum sit Messala. Ptol. inter Arabiæ fœlicis populos Homeritas numerat, Μέγα ἔθνος magnam gentem appellans, in quorū regione ponit Arabiam, Canam, Trullā, Moscha, Syagron emporia atque portus, quorum Arrianus quoque noster meminit, vt mox dicetur. Niger Homeritas à debili, & imbecillo visu vult esse dictos (ὅμηρος enim Græcè cæcus est) eósque regionem amplissimam, totam nimirum Australem Arabiæ oram possidere, in qua fertiles sunt agri, palmarum copia ingens, ac multi pecorum greges. Nicephorus Callistus libro 8. cap. 35. Indi, inquit, (Indorum nomen latè vsurpatur etiam pro Æthiopibus, & Arabibus) Sabæi primùm, deinde etiam Homeritæ sunt appellati. Nationem eam ex Abraham, & Cetura prognatam, regionem eam, quam Græci Magnam, & Fœlicem Arabiam nominant esse, extremúmque Oceanum fines eius attingere dicunt, cuius metropolis est Saba, vnde ad Salomonem fertur venisse regina illa Austri. Gens ipsa circunciditur, ac Soli, Lunæ, aliísque eius regionis incolis dęmonibus sacrificat. Admixta quoque iis est non exigua Iudæorum multitudo. Hæc ille, ibidem etiam docet quomodo Fulgentij cuiusdam opera ad veram religionem traducti fuerint. Idem lib. 17. cap. 32. describit bellum quod Iustiniani Imper. temporibus Auxumitæ Indi Grecorum sacrorum sectatores cum Homeritis Iudaicam religionem colentibus gesserunt: in quo victoria potiti, Homeritarum rege, Damno nomine, capto, secundum votum quod Rex illorum in prælio nuncuparat, Christianam religionem amplexi sunt. Idem lib. 9. cap. 18. Theophilum Indum cognomine à Constantio Imperatore ad Orientales populos Christianæ religionis propagandæ gratia missum ait apud Homeritas quoque templa consecrasse, ac inde ad Auxumitas Æthiopas progressum idem fecisse. Homeritarum præterea luculentam mentionem facit Procopius libro 1. de bello Persico. Homeritas enim regione vicina mari scribit habitare,

Homeritæ à debili visu dicti.

Homeritarum religio.

Homeritæ quomodo ad religionem Christianā conuersi.

habitare, ſupra quos ſint plures gentes vſque ad Anthropophagos Saracenos. Idem Homeritas etiam Auzomitas dicit fuiſſe cognominatos, à ciuitate regia Auzomis dicta. Portum etiam quendam Homeritarum nominat, vnde ad Æthiopas nauigatur. Denique Hellisthæum Æthiopum Regem Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimum ſcribit Homeritis (qui partim Iudæi, partim Gentiles erant) bello deuictis Chriſtianum regem dediſſe Elimiphæum nomine, imperato tributo quotannis perſoluēdo. Belleforeſtus Homeritarum regionem dicit hodie maximam eſſe partem regionis Aden abundantem dactylis, palmis, atque pecoribus. Horum infrà Arrianus noſter iuxta Perſicum mare habitantium mentionem videtur facere, quos ſuppreſſo proprio eorum nomine, homines improbos, & interdiu parùm videntes eſſe dicit: hinc enim Homeritas eſſe dictos nonnulli volunt, licet Belleforeſtus nullam hodie in illis populis viſus imbecillitatem inſignem animaduerti poſſe teſtetur. Quid ſi verò, quoniã (vti ſupra dictum) partim Iudaicarum partim Ethnicarum ſuperſtitionum, Solis, Lunæque, Syderum, cultores extiterunt Homeritę, dicti ſint quaſi Chomarim, qui fuerunt inſignes idolorum cultores, quorum in Sacris literis fit mētio.

Homeritarũ regio hodie maxima pars Aden regionis.

Homeritæ hodie non laborant viſus imbecillitate.

Chomarim.

Sabaitæ.) Hi videntur eſſe Sabæi Arabes qui ad vtraq; maria, Arabicum nimirum, & Perſicum, vt Plin. lib. 6. c. 28. teſtatur porrectis gentibus habitant. Hi partim à סבא, *Seba* filio Chus, nepote Cham, partim à שבא *Scheba*, ſiue *Schaba* filio Regma, nepote Chus. pronepote Cham, ſiue etiam à nepote Abrahæ & Sara, filio Iectam nomen originémque ſuam traxerunt. Vtrumque nomen (quod Pſal. 72. 10. coniungitur) progenitorum gentis Hebreæ multi, Ioſephi authoritatem ſecuti, ita diſtinguunt, vt per Scheba, ſiue Schaba cum Scin Æthiopiam intelligant, in qua regia ciuitas Saba, poſtea Meroe à Cambyſe ſororis nomine appellata, vnde Ioſephus vult illam reginam Saba ad Salomonem profectam: per Seba autem, ſiue Saba per Samech, Sabæam regionem intelligunt. Beroaldus contrà in ſuo Chronico vtrunque nomē ita diſtinguit, vt per Saba cum Samech, cuius mētio Pſal. 43. v. 3. Sabæos Arabici ſinus accolas, per Schaba verò cuius mentio fit Iob cap. 1. v. 15, & Eſa. 60. v. 60. Sabæos alteri ſinui, Perſico nimirum, vicinos intelligat, quos Schabæos differentiæ gratia appellandos putat. Hanc ſuam diſtinctionem Sacræ ſcripturæ teſtimoniis cõfirmat. Reginam autem illam non ex Æthiopia, ſed potius Arabia fœlici, auri atque aromatum abundantiſſima veniſſe Beroaldus, nec non Petrus Martyr 1. Reg. 11, & alii ſentiunt, quia regina Auſtri à Chriſto fuit appellata. Arabia autem fœlix Iudeæ regionis reſpectu ad Auſtrum ſpectat, & ab illa longiſſimo locorum interuallo eſt diſiuncta, vnde etiam à finibus terræ veniſſe dicitur. Præter hos autem propriè dictos Sabæos vtriuſque nimirũ illius ſinus accolas, Æthiopes, quoque & Indi Sabæi à ſcriptoribus commemorantur, qui forſan illorum Arabicorum, atque Perſicorum fuerunt coloni, de quibus vide plura apud Beroaldum. vbi etiam præter duos illos præcipuos Sabææ gentis fundatores, de quibus dictum eſt, tres alios addit, à quibus ſimiliter omnes illi vniuerſæ Orientalis regionis Sabæi videntur profluxiſſe. Verùm vt ad Sabæos propriè dictos reuertamur. Duo illis potiſſimum in Sacris pariter atque prophanis literis tribuuntur. Primum eſt magna opum atque diuitiarum, aromatum, atque thymiamatum affluentia, vnde gentem illam Agatarchides, ἔθνος μέγιστον τῶν κατὰ τὴν Ἀραβίαν, καὶ παντοίας κύριον εὐδαιμονίας appellat, id eſt, gentem Arabiæ maximam omníſque fœlicitatis compotem. Dionyſius Alexandrinus, eoſdem ἀφνειούς, hoc eſt, diuites appellat. Idem Strabo 16. Theophraſtus lib. 9. de hiſtoria plant. cap. 4. Herod. lib. 3. Diuitiæ autem illorum fuerunt aurum (vnde aurifera regio dicta cuius mentio fit Pſal. 72,) ebur, gemmæ, ex quibus ſuppellectilem, vt vaſa, lectos, tripodas, crateras cum operculis, ipſáſque domos, portas, parietes, tecta conficere atque exornare conſueuerunt, vt paulò ante commemorati authores teſtantur. His adde thus (vnde thurifera regio dicta, vt

Sabæorum progenitura.

Regina Sabà.

Sabæi etiã Æthiopes, & Indi.

Sabæorum opes.

Aurum.
Ebur.
Gemma.

Thus.
Aromata.

Virg. molles ſua thura Sabæi. Item ſolis eſt thurea virga Sabæis) prǽterea myrrham, cinnamomum, caſſiam, balſamum, infinitam denique vim odoratarum plantarum. Alterum quod illis ſacri & prophani ſcriptores tribuunt, eſt mollities, ſuperbia, voluptatum atque diuitiarum ſoboles, latrocinandi prædãdíque ſtudium, quod quum ex Iobi hiſtoria cap. 1. v. 15, tum ex Plin. lib. 6. cap. 28. poteſt colligi. Rectè ergo Sabæi dici à סבא: quod epulari, inebriari, voluptuari, & à שׂבע, quod ſatietatem & fœlicitatem ſiue perfectionẽ: & à שׁבה quod quietem ſignificat, quæ quidem vocabula omnia vicina ſibi inuicem atque affinia populi huiuſce & conditionem, & naturã, moréſq; egregios depingunt. Sed hæc (de quibus adhuc dictum) ſunt hiſtorica, myſtica ſunt illa, quæ ſequũtur, quæ paucis perſtringam. Plin. lib. 12. cap. 14. Sabæorum, inquit, regio thurifera Saba appellatur, quod ſignificare Græci myſterium dicunt, ſpectans ortus Solis æſtiui, vndiq; rupibus inuia, & à dextris maris ſcopulis inacceſſa. Hoc ille. Sabam itaque Græci ἀπὸ τοῦ σέβειν dictam putarunt, quod mitteret thus, quo in ſacrificiis vtuntur, vnde & ipſum thus ἀπὸ τοῦ θύειν. i. ſacrificando nuncupatum eſſe exiſtimarũt. Et forſan hinc Sabin Arabum Deus habitus eſt, teſte Plin. libro 12, & vt idem teſtatur Iouem quoque Aſſabinum Arabes appellarunt. Verùm cõtra mihi potius vocabulum σέβειν, quod propriè Deum colere ſignificat, vel à Saba Hebr. videtur eſſe deductum, eò quod Sabæi θεοσεβέστατοι exiſtimarentur, ob thuris nimirum copiam, cuius in ſacrificando tam apud Iudæos in vera religione, quàm apud reliquas nationes in ſuperſtitionibus, potiſſimus olim, creberrimúſque vſus fuit. Vel etiam forſan à זבח *Sæbah*, hoc eſt, ſacrificio, quòd ſacrificia olim præcipua cæremonialis cultus pietatiſq; pars extiterũt. Præterea in ſacris literis ſæpe Sabæorum nomine intelliguntur ſpirituales Dei cultores, quando nimirum de gentium ad pietatem religionémque vocatione loquuntur. exemplum vnum atque alterum afferam, vt Pſal. 72. v. 10. Reges, inquit, Schaba & Saba donum adducent, &c. Iſa. 60. v. 60. Omnes, inquit, de Saba venient: aurum, & argentum, & thus portabunt, & laudes Domini annuntiabunt. Hoc & hiſtoricè, & myſticè fuit impletũ. Nam vt olim regina Saba ad Salomonem venit ex Arabia fœlice, cum muneribus auri, argenti, aromatum, quæ ad cultum Dei faciebant, ſic & tres illi magi cum thure, myrrha, aloe, & plurimi Gentiles, non tam pedibus quàm affectu, ſpiritu & animo ſuo ad verũ Salomonem, in quo theſauri omnes ſapientiæ diuinæ ſunt reconditi, hoc eſt, Chriſtum, [redacted] eleemoſynis, operibus bonis colendum atque venerandum certatim ex omnibus orbis terrarum partibus acceſſerunt. Vt autẽ Sabæi, ſic omnes illi Gentiles ſuapte natura mollitie, delitiis atque voluptatibus diffluxerunt, atque perdita vitæ morúmque improbitate præditi fuerunt. Vt Sabæi illi aromatum copia ſtuporem quendam contraxerunt, cui bituminis ſuffitu, atque hirci barba medebantur: ſic omnes Gentiles ob delitiarum & voluptatum quaſi nidore mentis ſtupore immani exitialíque correpti Euangelij ſiue hirci illius, hoc eſt, Chriſti odore ſanati ſumus, qui improbis odor eſt mortis, piis odor vitæ. Vt Sabæorum arbores thuriferæ ſerpentibus pernicioſiſſimis fuerunt infeſtæ, ita vt thuris collectio eſſet periculoſa, ita ſpiritualis illa atque tartarea ſerpentum, hoc eſt, diabolorum cohors, veris arboribus thuriferis, hoc eſt, Chiſticolis quaſcunque poteſt inſidias, atque pericula machinatur, ita vt vera religio, pietas innumeris periculis atque inſidiis implicata teneatur.

Sabæorum mores atque ſtudia. — *Saba regio Myſterium.* — *Sabam Græci ἀπὸ τοῦ σέβειν.* — *Sabin Arabum Deus.* — *Iuppiter Aſſabinus.* — *σέβειν potius à Saba.* — *Sabæi ſpirituales.* — *Sabæorum corporalium, & ſpiritualium collatio.*

Purpura.

Purpura.) Purpura, & piſcis ex concharum genere, cuius ſanguis tingendis veſtibus expetitur, & veſtis genus, inſigne Rom. magiſtratuum, vnde pro magiſtratu metonymicῶς ſæpè vſurpatur. Vide Bayf.

Chiridotos.

χειριδωτός.) Idem quod χειρωτός. Veſtis manicata, Ciceroni. Manulenta, Plauto: χειρίδες enim ſunt manicæ. Vide Pollucem, Bayf.

Scotulatos veſtis.

Σκοτουλᾶτος.) Scotulata veſtis, ea eſt, quæ quibuſdam orbibus, ſiue circulis,

lis,quasi scutulis est distincta ad aranearum similitudinem accedentibus. Hoc texturæ genere olim præcipuè commendabatur Lusitania.Id autem erat ferè eiusmodi quale cernimus in aranearum telis,quarum retia quoque scutulata dicuntur à Plinio lib.11.cap.23.

Cyperus.) De cypero arbore & frutice, quæ Græcè κύπειρος,Latinè cyperus, Arabicè *Saberade*,Germanicè *Neildergarpan,* Gallicè *Souchet* dicitur.vide Dioscoridem libro 1.cap,4.Plinium lib.17.cap.13. Galenum lib.7.simpl.medicamentorum. Aliud, inquit Dioscorides, cyperi genus tradunt in India nasci,zingiberis effigie,quod manducatum croci vim reddit, gustu amaro sentitur,& illitum præsentem psilothri vim exhibet. Hoc cyperi genus Indici,inquit Mathiolus, eam esse radicem peritiores medici putant, quam officinæ Munilunos sequutæ,Curcumam vocant. Scaliger Exercit.144. In Cananor, inquit,oritur,vt zedoar,& zeromban,quod suspicor esse zurumbet. Commodius igitur zurumbet diceretur Indica cyperus, quum id quod describit Dioscorides,densum quiddam & quod mãsum,edat croceum succum. Hoc enim est quod cucurmam vocant pharmacarij,fortassis olim crocoma à colore. Pictoribus Gallis dicitur terrumerita,&c. *Cyperus.* *Cyperum Indicũ* *Curcuma esse putant.* *Cucurma forsan olim crocoma.*

Λώδικας.) Lodices linteoli sunt quibus in lecto vtimur, & frequenter eos lauamus,vnde à polluendo nonnulli dictos putant.

Ζῶναι.) Zonæ erant virorum,& mulierũ,in quibus solebant deferre nummos. Hinc Dominus apud Matthæum prohibet discipulis suis,ne aurum atque argentum possideant,& æs in zonis suis portent. Vide Baysium. Arrianus duo zonarum genera in hoc periplo commemorat , nimirũ σκιωτάς, id est, vmbratiles,siue obscuras,& πολυμίτας πηχυαίας,hoc est,cubitales, ex multis filis contextas. *Lodices.* *Zonæ.*

Equi.) Æthiopiæ Abissinæ (quæ olim Troglodytica fuit nuncupata) innumeri sunt equi,sed non admodum probi,teste Francisco Aluarezo. At verò Persia, & Arabia, præsertim ea quæ Felix appellatur, optimorum, celerrimorúmque equorum mater est , atque procreatrix , quemadmodum omnes Orientalium historiarũ authores testantur. Hinc Scaliger Exercitat.99.Pluris, inquit,fecerim Persam,Arabicúmve equum,quàm Indiæ prouentus. Idem Exercitat.206. Dulcindem Persiæ prouinciam litoralem,equos suos piscibus siccatis,ait pascere.Ex Arabia verò,atque Persia,ac in primis ex Armuzio,maxima equorũ copia in Indiã,præsertim in Goã,regnũ Bisnagar, Narsinga, Decan vehuntur,vbi incredibili ferè pretio,præsertim in regno Narsingæ,nimirum 400,600,900,1000,atque etiam 2000,ducatis vnus vendi solet,vti rerũ Orientalium scriptores vnanimi consensu testantur. *Equi vbi multi, & boni.* *Æthiopiæ equi.* *Persiæ & Arabiæ equi optimi.* *Equorum in India pretium.*

Myrrha.) Vocabulum deriuatum ab Hebræo מור *Mor*,sic dicta ab amaritudine, quæ tanta est (teste Galeno, libro 8.De facult.simplicium) vt fœtum & lumbricos enecet. Lachryma est ex arbore incisa defluens, suauissimi odoris,res quasuis à putredine seruans,vnde olim cum aloe in vngendis corporibus adhibebatur,vt ex historia passionis Christi apparet. *Myrrha.*

Electa.) Electam,inquit Mathiolus, myrrhã ad nos aduehi scimus, quæ & legitima & probatissima esse censetur. Verùm ea hactenus tam rara est,vt non nisi ad ostentationem adseruetur,& ad aliarum dignoscendarum regulã. Langio Epist.63.myrrha electa videtur esse belzo in officinarum, ab aliis ben-Iudæum dicta,ex Troglodyte aduectam. Ac omnino apud Plinium,Theophrastum,Dioscoridem,quatuor myrrhæ species inuenio secundum loca in quibus prouenit. Prima est Troglodytica,quam Hispani hodie Belzuinum amygdalinum appellant,splendens ac subnitidis,ac mordax, cui primas Dioscorides tribuit.Plin. libro 12.cap.15.Conuehitur inquit,& ex syluis laudata, petúntq; eam etiam à Troglodytis Sabæi transitu maris. Idem libro 12.cap.16. Probatur *Myrrha Electa.* *Belzon.* *Myrrha Troglodytica.*

Troglodytica pinguedine,& quod aſpectu aridior eſt, ſordidáque atque barbara,ſed acrior cæteris.Sic Arrianus noſter,& ex Aualite ſinu, & Malao,atque Moſſylo emporio(quæ loca ſunt Troglodytidis) magnã vim myrrhæ ſuis temporibus exportari fuiſſe ſolitam ſcribit.Hodie quoque teſtis eſt Garzias ex terra Abexim ſiue Abiſſina (ea eſt Troglodytis) plurimam myrrhã in Luſitaniã adferri.Idem teſtatur Comitus Venetus in itinerario ad Dium ciuitatẽ. Item Thomas Lopezus ex Zofala plurimam & optimam myrrham adferri ſcribit,quam etiam Erythręam vocant.

Myrrha ex Abiſſina. *Myrrha ex Zofala.*

Myrrha Arabica. Secunda ſpecies eſt Arabica.Plinius multis in locis Arabiæ eam gigni dicit. Sic Theophilus libro 11.cap.4.Gignitur thus,& myrrha regione Arabum media circa Saba(cuius Arrianus noſter meminit)& Adramytta,(Ptolem.Mario-natha)& Citibæna,& Mamali. Hæc igitur ipſa eſt multiplex, nimirũ Minæa, ſiue Aminæa,Atramitica,Gabanitica, Auſaritis in Gebanitarum regno,Sembratena à ciuitate regni Sabæorum mari proxima,ex locis variis Arabiæ Fœlicis,in quibus naſcitur appellata. Vide apud Theoph.deſcriptionem montis Sabæorum,qui partim eſt thuriferus,partim Smyrnophorus.

Myrrha Indica. Tertia eſt Indica,quæ in India naſcitur,quam Plinius quadam è ſpina dicit colligi,quæ facilè adulteratur,lib.12.cap.16.

Myrrha Bœotica Quarta Bœotica,quæ in Boeotiæ locis,teſte Dioſcoride, hanc Mathiolus hodie incognitam eſſe dicit.

Stacte. *Stacte Abirminæa.)* Στάκτη εἶδος Σμύρνης τὸ λεπτότατον. Dioſcorides libro 1.cap.62.Pinguedo eſt recentis myrrhæ,cum exigua aqua tuſæ,ac poſtea pręlo expreſſæ,quæ hodie omnium ſententia,Serapionem imitantium eſt,Storax liquida vulgò dicta qua odoratiſſima, pretioſiſſimáque ad paranda poma odorifera,& ſuffitus,paſſim vnguentarij vtuntur.Sic Plinius libro 2.cap.15.Sudant (ſcilicet myrrhæ arbores)ſpõte prius quàm incidantur, ſtactem dictam, cui nulla præfertur. Hanc nonnulli volunt eſſe צרי *Zori.* Pſalmo 40.Ita enim Septuaginta verterunt, quum tamen Rabbini Hebræorum, teſte Rabbi Dauid Kimchi in libro Radicum,affirment illo vocabulo intelligi debere reſinã, ſiue liquorem ex arboribus balſami inciſis,aut vulneratis effluentem.

Abirminæa. Ἀβειρμιναῖα.) Quid ſi legendum σμυρναῖα,quia(vti dictũ eſt)ſtacte eſt myrrhæ liquor,ſiue pinguedo. Vel forſan Amenæa, ſiue Menæa legendum,quæ ſpecies eſt,vt paulò antè attigi,myrrhæ Arabicæ,quæ corrupto ſcilicet vocabulo hodie amimum,ſiue Minæũ gummi dicitur,teſte Amato Luſitano. Hinc Plin.lib.12.c.6.vbi enumerat myrrhę ſpecies minæã quoque nominat,in qua ſtacten comprehendit. Sunt autem Minæi, teſte Strabone libro 16.populi Arabiæ Fœlicis verſus mare Rubrum,quorum maxima ciuitas Carna,ſiue Carana,Chatra-malitica myrrham gignit,Cathabania thus. Hæc verò Minęa regio,inquit Amatus,an ſit hodie Mina dicta,Luſitaniæ regi ſubiecta,coſmographis diiudicandum relinquo.

Minæi. *Carna.* *Minæa.*

Lygdus. Λύγδος.) Calculus litoralis,glarea,alij marmoris genus eſſe volunt.Rhamnuſius genus candidi lapidis eſſe dicit,ex quo odorum capſulæ olim confectæ ſint.

Fretum. *Fretum.)* Strabo libro 16. A Ptolemaide vſque ad anguſtias circiter quatuor millia,& quingenta magis ad Orientem. Anguſtię Æthiopiam verſus à promontorio fiunt, quod Dira nominatur, & oppidum eodem nomine, quæ loca ab Ichthyophagis habitantur.Dicunt hoc in loco Seſoſtris Ægyptij columnam eſſe,quæ ſacris literis tranſitum eis ſignificet. Is enim primus videtur Æthiopiam, Troglodyticámque ſubegiſſe, poſtea in Arabiam tranſgreſſus, inde Aſiam omnẽ peragrauit.Quare multis in locis Seſoſtris vallũ appellatur, & Ægyptiorum deorum templa inueniuntur ab eo conſtructa.Anguſtiæ ipſi Diræ proximæ in ſexaginta ſtadia(totidem Arrianus noſter facit) contrahuntur.Nunc verò non hę Anguſtię dicuntur,ſed vlterius nauiganti occurrit,vbi

Dira. *Seſoſtris colũna.*

traiectus

traiectus inter continentem 200.ferè ſtadiorũ.Sed de hoc freto,& inſula Diodori infrà dictum.

Fretum.) Græci αὐλῶνας,ἰσθμοὺς, βοσπόρους,στενὰ,στένοπα,αὐχένας,λαιμοὺς,πορθμοὺς, ἐκβολὰς,& εἰσβολὰς,Latini colla,fauces,freta,oſtia,anguſtias, canales, euripos, ianuas,clauſtra,& aliis nominibus huiuſmodi tranſitus anguſtos appellant. *Fretum Græcis & Latinis quot modis dicatur.*

Montibus adiacentibus.) Poſt hoc fretum vrbem Sauinam,& montem altiſſimum Cabubathra nomine conſpici teſtatur Niger. *Mons Cabubathra.*

Iuxta hoc fretum eſt Ocelis.) Ptolemęus de ſitu Arabiæ Fœlicis eius meminit in regione Elezarôn,necnon Pſeudocelis,quod ei præponit, ſic dicti (interprete Nigro) quia Oceli ſimilis.Strabo lib.16.Acilam vocat,eique ex Artemidori relatione Dirę promontorium Arabicum dicit eſſe oppoſitum.Plin.quoque libro 6.cap.23. Indos petentibus vtiliſſimum eſſe ſcribit, ab Acila egredi, indéque vento Hypalo diebus quadraginta nauigari ad primũ Indiæ promontorium Muzirum.Idem libro 6.cap.28.Sabæorum emporium Acila diſtans triginta dierum nauigatione à Bernice Troglodytarum vrbe.Ex eo in Indiã nauigatur.Idem paulò pòſt,Ocelim Arabiæ appellat. Niger libro 4.Delati tandem,inquit,in Caſſanitarum portũ,qui Ocelis vocatur,in Arabia Fœlici,iuxta fauces Rubri maris nauigationem perficiunt,ex quo etiam loco Arabes cinnamomum petunt.Plinius libro 12.cap.19. Ocilam Gabanitarum portum appellat,quod cinnamomum ſcribit referri.Sunt autem Gabanitæ,eodem teſte, libro 6.cap.28.Arabes quorũ plures vrbes,ſed maximæ,Nagia & Tamna, quæ eſt templorum ſexaginta quinque. Garzias eum portum eſſe Chingalarum, ſiue Zeilan.Sed hîc quiſquis ſit,alius eſt quàm Ocelis ſiue Acila,de quo nunc verba fiunt.Niger qui libro 4.Ocelim dicit eſſe iuxta fauces maris Rubri,lib. 6.Ocelim quidem dicit eſſe portum hodie dictum Zidem. Acilam autem eſſe promontorium quod Ptolemæus Palindromon.i.recurſum appellat, oppoſitum Diræ Æthiopicæ promontorio,vbi mare anguſtiſſimum, à quo non procul abſit aliud promontorium Poſidium nomine,mari Rubro ſtatim poſt fretum illud imminens.Niger ergo & diuerſum videtur Ocelim portum ab Acila ſtatuere, & à ſeipſo diſcrepare, qui Ocelim modò iuxta maris Rubri fauces ponit,modò longè admodum ab iis remouet,dum Ocelim dicit eſſe vrbẽ hodie dictam Zidem,quam conſtat quatuor dierum ſpatio ſupra fretũ illud eſſe poſitam. Zidem autem,quam nonnulli volunt eſſe Ocelim olim dictam, vrbs eſt non admodum magna, in ora media Arabiæ interioris poſt ſinus aditum ſita,cuius ſolum eſt macrum & aridum: ciues non cibariis tantùm, ſed aquis etiam aliunde importatis vtuntur.Locus propter religionem frequentatur.Inde nanque vrbs Mecca,vbi Mahumetis ſepulchrum viſitur,itinere diei vnius abeſt. Affirmant quoque Saraceni ibi ſepultam Euam primam omnium mortalium matrem.Præterea locus,eo quòd in oræ medio ſitus ſit, eſt idoneus ad aromata,& reliquas Indiæ merces exponendas, quæ inde camelis in Ægyptũ deportari ſolebant.Portus eſt propter breuia,& ſcopulos admodum frequenter infeſtus.Domus vrbis ſunt ſublatæ cœnaculis,& non minimis ſumptibus ędificatæ. De hac vide plura apud Andream Corſalium,Ludouicum Bartemam,Contium Venetum, Barboſam, Oſorium libro 11. qui eam Iudam appellant,quam Lupus Suarius oppugnare conatus eſt,ſed mox à cœpto ſuo deſtitit. Quum ergo Ocelis,teſte Arriano noſtro ſit prope oſtium ſinus Arabici, Zidem autem quatuor ferè dierum interuallo abſit,inde efficitur Ocelim,ſiue Acilam non eſſe vrbem hodie dictam Zidem,ſiue Iudam. Rhamnuſius in itinerario aromatum dicit Ocelim ſibi videri promontoriũ eſſe hodie Celi nuncupatum, quod quidem ſitum ſit in ipſis maris Rubri anguſtiis. Belleforeſto Ocelis videtur eſſe vrbs hodie dicta Zibit,ſiue Zibid vicina huic oſtio quæ quidem vrbs eſt maxima iuxta mare Rubrum vnius diei interuallo,inter montes ſita,mœnibus carens,zucchari,frugum fructuúmque feraciſſima. Mercatus ibi

Ocelis. *Ocelis Acila Plinio.* *Acila Sabæorũ emporium.* *Gabanitæ.* *Ocelis Garziæ hodie Zidem.* *Ocelim non eſſe Zidem.* *Zidem vrbis deſcriptio.* *Mecca.* *Euæ ſepulchrum.* *Rhamnuſio Oceli videtur eũ Celi promõt.hodie dictum.* *Ocelis Belleforeſto Zibid.*

odorum atque aromatum celeberrimus, cuius portus rectà vrbi Zidem est oppositus. Ita Ludouicus Bartema, Comes Venetus, Leo Africanus libro 7. Beniaminus Tudelẽsis ex regione Sin quindecim diebus in Gingalam peruenisse dicit, inde septem dierũ nauigatione est Cholam (forsan est Accla) inde duodecim diebus in Zebid.

Arabia Fœlix emporium.

Arabia Fœlix.) Ptolemæus Arabiam emporium collocat in regione Homeritarum, inter promontoriũ Ammonium & Agmanispham vicum. Niger, Arabia, inquit emporium, cui duæ sunt insulæ Agathoclei nomine, hoc est, præstantis gloriæ, inter quas & Dioscoridẽ: tres aliæ angusto discretæ freto, quæ Coccanari appellantur. Mela quoque vrbis Arabiæ meminit in Arabia. Item Æthicus Eudæmona commemorat inter famosa Orientalis Oceani oppida. Hanc Rhamnusius, Belleforestus, & alij coniectantur esse vrbẽ illam celeberrimam, Adem, siue Aden hodie dictam: forsan ob amœnitatem, quasi Eden, quæ vox paradysum, siue hortum amœnum significat. Hæc verò vrbs ab ostio Arabici sinus (cuius latitudo 12. & semis gradibus) quadraginta leucis, siue centum & viginti millibus passuum distat, à Fartacho promõtorio (de quo postea) centũ leucis: ab vrbe Esrier, quadraginta milliaribus: à Socotora insula 120. leucis. Sita est in radicibus montis æditi, qui in mare lingula procurrit, & vtrinque fluctibus in sinus reductis alluitur, ita vt peninsula fiat. Mons est adeò sterilis, vt nec arbores vllas, neque plantas efferat, nempe qui sit saxosus, & præruptis rupibus in altum promineat. Aquis caret, raro admodum pluuiis irrigatur. Ex longinquo pago aqua per aquæductum in locũ, qui ab vrbe quatuor millibus passuum distat, deriuatur. Ea vrbs aquatio est, vnde Arrianus noster dulciores in ea aquationes esse dicit quàm in Ocele. Annona, & cibariis importatis vtitur, quorum tamen est incredibilis copia. Est cincta muris, munita turribus, exculta mœnibus, & ad aspectum pulcherrima. In illam mercatores è Perside, & India, & Æthiopia, & ex multis Arabiæ regionibus sæpe cõmeant. Incolæ Mahumetem colunt, colore candido, & specie liberali sunt. Homines nobiles armis exercentur, & militaris gloriæ decus ardenter expetunt. Rex alias ciuitates in mediterranea regione possidet, & milites non paucos suis stipendiis alit, & è suis tantùm subditis in prælium, quũ opus est, duo millia equitũ educit. Vrbi verò illi moderatorem, cuius virtuti multum confidit, præponere solet. Hanc & Albuquercius Lusitanus anno 1513. quum eam regeret Æthiops quidam, vir maximi animi, Miramirianus nomine, & Soleimanus à Sultano ad Lusitanos India pellendos missus anno 1517. acerrimè oppugnassent, re tandem infecta vterque discedere coactus est. Quæ quum statim post Soleimani oppugnationem Lupo Suario Lusitano aduentante, supplex sese cum clauibus oblatis dedere vellet, Suarius pulcherrima occasione repudiata, eam in deditionem accipere noluit. Testis est Osorius libro 11. hoc Suarij factum vehementer reprehendens. Sed de hac vide plura apud Andream Corsalium, Barbosam, M. Paulum Venetum libro 3. cap. 46. Osorium libro 9.

Arabia hodie Aden vrbs: Aden vrbis descriptio. Situs. Mons. Aquarũ inopia. Annona. Vrbis forma & figura. Aduenæ mercatores. Incolarum forma. Studia rei militaris. Rex. Oppugnatio ab Albuquercio & Soleimano. Deditionẽ spontaneam fecit Lupo Suario.

Fœlix cur cognominata.

Fœlix cognominata.) Fœlicem dicit cognominatam, ob magnam commoditatem merces ex Ægypto pariter, atque India venientes recipiendi. De qua sic scribit M. Paulus Venetus, Portum habet optimum, ad quem ex India plurimæ naues appellunt aromatibus onustæ. Et quidem negotiatores Alexandrini illic ementes aromata, ea septem diebus per fluuium quendam vehunt, ac deinde camelis imposita triginta dierum itinere terra vsque ad fluuium Ægypti deportari curant, rursúsque in naues exonerantes vsque ad Alexandriam perducunt. Nec sanè compendiosior via haberi potest ab Orientis partibus Alexandriam vsque. Hæc ille de vrbe Adem, quæ quum planè congruant cũ iis quæ hîc de Arabia vrbe, siue vico, Arrianus tradit, hinc quoque apparet probabilem esse eorum coniecturam, qui vnam eandémque esse vrbem Adenam,

nam hodie olim Arabiam dictam arbitrantur. His adde, quæ illos potissimùm ratio ad sic sentiendum impellit, pares vtriusque gradus nimirum 11.

Vt Alexandria.) De vrbis huius (quam nonnulli eandem esse volunt, quæ No Ammon à Nahumo propheta dicitur) præstãtia, singularíque (quam hic Arrianus perstringit.) quasuis Æthiopicas, Arabicas, Indicas, Ægyptiacas merces recipiendi & huc atque illuc in omnes orbis partes transmittendi opportunitate vide Strabonem libro decimoseptimo. De eadem sic Beniaminus ille Tudelensis testis αὐτόπτης, qui ante annos ferè quadringentos maximam orbis partem peragrauit, peragratámque descripsit: cuius itinerarium Hebraicum Arias Montanus Latinum fecit, & ante annum in lucem ædidit. Est autẽ Alexandria, inquit, commerciis omnium populorum frequentissima atque celeberrima omnibus regnis Edom, regionibus Valentię, Hetruriæ (quæ Toscana nunc dicitur) Longobardiæ, Apuliæ, & Malci, & Siciliæ, Rakophiæ, Kartouiæ, Hispaniæ, Russiæ, Germaniæ, Susenaah, Dannemarkæ, & Gelats, & Palnederis, & Hhitar, & Larmandiæ, & Phraniæ, & Piieto, & Ango, & Bogoniæ, & Medianæ, & Prouinciæ, & Genuæ, & Pisarum, & Gasconet, & Aragoniæ, & Nauarrę. Ex plaga verò Occidua Ismaelitis, Andalúzis vocatis, & Algadue, & Africæ, & regionibus Arabum. Ex latere autẽ Indici maris, & ex Hhauila Hhabassinorum regionibus, & Lubiæ, & Ierman, & Senaar, & Seam. præterea Iauan Græcis vocatis, & Turcis. Deferuntur verò in hanc vrbem ex India omnia aromatum genera, quæ à mercatoribus Edom emuntur. Est autem magna mercaturæ & negotiationis frequentia in vrbe ipsa, quæ singularum gentium negotiationis domos atque apothecas & fora distincta habet. Hodie Cairo cedit, vide Andræam Theuetum.

Cæsar eam diruit.) Plin. lib. 12. cap. 14. de thure, & regione thurifera. Res, inquit, in Arabia gessimus, & Romana arma in magnam partem eius penetrauere. C. etiã Cæsar Augusti filius inde gloriã petiit, & paulò post. Iuba Rex iis voluminibus, quæ scripsit ad C. Cæsarem Augusti filium ardentem fama Arabiæ. Iubæ porrò voluminum de Arabica expeditione ad C. Cæsarem meminit idem lib. 6. cap. 27. Idem lib. 6. cap. 28. Romana arma solus in eam terram (Arabiam) adhuc intulit Ælius Gallus ex equestri ordine. Nam C. Cæsar Augusti filius prospexit tantùm Arabiam. Gallus oppida diruit non nominata ab auctoribus, qui ante scripserunt, Egram, Annestum, &c.

Cæsar Augusti filius.

Cæsar ex Arabia gloriam petijt.

AElius Gallus Arabiam bello vexauit.

Arabiæ oppida à Gallo diruta.

Post Arabiam litus oblongum.) Ptol. quoque in hac eadem regione meminit & litoris magni, & postea litoris parui. Idem tamen inter Arabiam emporium, & litus magnum, ponit Atmanisphem vicum, Melan montem, Adramitorum regionem, in qua Ebisma vicus.

Litus magnum.

Cana emporium.) Eiusdem Ptol. meminit in Homeritarum regione, emporium, & promõtorium appellans. Item Plin. lib. 6. cap. 23. Veniúntque circiter tricesimo die Acilam Arabiæ, aut Canã thuriferæ regionis. Rhamnusius in itinerario aromatum putat esse locum hodie Canacam dictum, qui est extra fretum maris Rubri in litore Arabiæ. Ioan. Barrosus. Canacam ponit inter ostium maris Rubri, & Adem, Arabiæ fœlicis Metropolim, de qua paulò antea. Est etiã Cana hodie dicta vrbs Ægypti, quæ videtur olim dicta Coptus, de qua suprá. Fuerunt plures eiusdem nominis vrbes, de quibus, vide Stephanum.

Cana empor.

Cana hodie Canacam.

Regni Eleazi.) Ptol. in Arabiæ fœl. situ meminit regionis ἐλισάρων Elisarôn, in qua collocatur Muza, Ocelis, Pseudocelis, &c. Verisimile est regionem ab illo Eleazo, siue Elesaro rege quodam fuisse denominatã. Arrianus noster non in Elesarôn, sed Homeritarum regione Canan collocat. Λίβανος ab Hebr. לבונה *Lebonah* quia candidum: Vnde Lebanon Libanus mons ab arboribus thuriferis dictus. Latinè thus alij à tundendo, quia glebæ tũduntur, cum quibus dicitur fluens de arboribus concrescere, dictum volunt, & idcirco sine aspiratione scribendum. Alii verò ἀπὸ τοῦ θύειν, hoc est, sacrificando dictum putãt

Elesaron regio.

Libanus.

Thus vnde dictum.

Thuris vsus in sacrificijs. *Fabula de Libano puero.* *Alexander M. thuris in sacrificijs prodigus.* *Arnobius negat thuris vsum vetustum.* *Superstitio circa thus.*

quod mihi videtur verisimilius. Thuris enim olim quum apud Iudæos ex Dei præscripto, tum apud Ethnicos Κακοζηλίᾳ quadã maximus in sacris vsus fuit. Hinc nata fabula illa de Libano puero, qui sacrificiis mirum in modum deditus in plantam ei cognominem deorum commiseratione mutatus fuit. Huc facit quod Plin. scribit lib. 12. cap. 14. de Alexandro Magno. Is enim quum magnam thuris vim sine parsimonia aris inferret, Leonides pædagogus ei dixit, vt deuictis gentibus thuriferis hoc modo diis supplicaret. At ille Arabia potitus thure onustam nauem ei misit, simul illum cohortatus, vt largè deos adoraret. Arnobius tamen negat thuris in sacris vsum esse vetustum sed recẽtem. Hetruriæ primò inuentum. De thuris præterea aruspicina in eius crepitu, motu, fumi agitatione, & flexu, vide Lactant. 4. Thebaid. Hæc quum ita se habeant non mirum est, quum & in ipsis arboribus thuriferis serendis atque incidendis, & in ipso thure colligendo, vehendo, custodiendo tantam religionem adhibitam fuisse, quantam multa literarum monumenta testantur.

Thurifera regio.

Thuriferæ regionis.) Thura, inquit Plin. lib. 12. cap. 14. præter Arabiam nullis, ac ne Arabiæ quidẽ vniuersæ. Idẽ cap. præcedente. Principalia in Arabia fœlice, & beata sunt thus, & myrrha. Sabæi, inquit, idem lib. 12. cap. 17. cibos thuris ligno coquunt. Hinc factum vt metonymicôs Arabiæ vocabulũ sæpe apud auctores pro odoribus siue thymiamatis vsurpetur. Sic Arabicè dare, pro eo quod odoribus dare veteres dicebant. Sic Tertullianus de corona militis, Arabiæ aliquid accendunt. i. thuris.

Aues mirabiles. *Sotilicarij aues.*

Insula auium.) Sic proculdubio dicta ab auium multitudine, & varietate. Nam plærunque insulæ aues habent plurimas, & admirabiles, cuiusmodi alibi non reperiuntur. Eius rei exemplum est insula Menuthia, siue S. Laurentii, quæ vt olim, ita hodie quoque, teste M. Paulo Veneto, varia atque multiformi singularum quarundã auium copia scatet. Sic in insulis Canariis, teste Antonio Pigafetta aues sunt aliarũ auium stercore victitãtes, & idcirco Cacaucelli appellatæ. In insula Zubut aues sunt maximæ, quæ à balænis absorptæ, earũ cor edunt atque corrodunt, ita vt in iis mortuis, & in litus eiectis, atque dissectis viuæ adhuc reperiantur. Denique in insula Catighan, Iana maiore, & minore, in Bresilia admirabiles quasdam, & monstrosas aues reperiri idem Pigafetta testatur, quarum descriptionem apud illum videre poteris. Osor. lib. 1. in sinu intimo, quem S. Blasii aquationem Lusitani appellant paruam quandam insulam esse dicit, in qua sint aues quas incolæ appellant Sotilicarios, pares anseribus magnitudine: plumis minimè vestiuntur, alas habẽt similes alis vespertilionum: volare nequeunt, sed explicatis alarum membranis, cursum celeritate summa conficiunt.

Sabbatha metropolis. *Sabota.* *Meriaba Sabæorum metropolis.*

Sabbatha metropolis.) Ptol. inter Arabiæ fœl. vrbes mediterraneas enumerat σαβὴν Sabam, σαύβαθα Saubatham metropolim, σαυὴν Sauam regiam. Sabbatham porrò (sic enim in aliis exemplaribus Græcis reperitur) ponit inter Thappam, & Madasaram. Plin. lib. 12. cap. 14. In medio eius (scil. Arabiæ) sunt ferè Atramitæ pago Sabæorum capite regni Sabota in monte excelso, à quo octo mansionibus distat regio eorum thurifera. Saba appellatur, quòd significare Græci mysterium dicunt, spectans ortus Solis æstiui, vndique rupibus inuia, & à dextera maris scopulis inaccessa. Plin. Sabatram quoque vrbem Sabæorum esse dicit in litore rubro. lib. 6. cap. 28. Strabo Sabæorum metropolim Merrabam appellat, quam sitam esse dicit in monte arboribus plenissimo.

In eam omne thus vehitur.) Idem Plinius libro 12. cap. 14. Thus, inquit, collectum Sabotam camelis conuehitur, porta ad id vna patente. Digredi via capitale leges fecêre.

Corallium.

Ἀσαβινὸς καὶ.) καὶ redundat.

Κοράλιον.) Infrà per duplex λ scribitur. Est autem Κοράλλιον, siue vt Theophrastus vocat, κουράλλιον, siue κοράλλος. i. Corallus (alii λιθόδενδρον, alij δενδρῖ-

τες

της appellāt) frutex maximus,qui alto extractus statim in aere duratur, vt scitè Ouidius his versibus declarauit,

Sic & Coralium,quo primum contigit auras
Tempore durescit,mollis fuit herba sub vndis.

Quantum apud nos,teste Plin.lib.32.cap.2. Indicis margaritis pretium, tātum apud Indos Corallio. Gignitur & in Rubro mari,sed nigrius,etiam in Persico vocatur Iace.vide Dioscor.lib.5.

Styrax.) Lachryma est arboris malo cotoneę similis, communiter in officinis Storax calamita dicitur. Olim in Pamphilia,in Phœnicia,circa Gabala (vnde Gabalites Dioscoridi) necnon in Pisidia,Sidone,Cilicia, Cypro natus est:nostris temporibus syncerus, & purus ex Zana Indiæ insula, teste Amato, necnon ex Cambaia,teste Andrea Corsalio,affertur. Garzias tamen nullo alio in loco ait nasci prȩterquam in Æthiopia, quòd miror. Apud Sabæos autem,vt testis est Plin.lib.12.cap.17.olim ex styrace suffimenta fieri sunt solita ad myrrhę atque thuris fumum atque nidorem sanè molestissimum sanādum. *Styrax.* *Styracis suffimenta.*

Sachalites sinus.) Ptol. de situ Arabiæ fœl. post Homeritarum regionem ponit regionem Sachalitarum sinúmque Sachalitem, in quo dicit esse πινικίου κολυμβεσιν:ibidem vrbes,viros,loca denique eius enumerat.Niger Post Syagrū montem,inquit, contra Orientem Solem spatiosus aperitur sinus Sachalites nomine,in quo Sachalita Colymbeses cognomine,hoc est,natatores super vtribus nauigant pyraticam exercentes. Malè hic meo iudicio Niger Ptolemæum interprȩtatur,nam Colymbesis pinicij,vnionum piscationē significat quæ vrinando fiebat,de quo infrá. *Sachalites.*

Regio thurifera.) Videtur sinus Sachalites,atque regio thurifera omnino esse regnum Fartas hodie dictum in quo est Fartas promontorium oppositum promontorio Guardafuni siue Aromatum. In eodem est Zacobora insula, atque aliæ duæ (de quibus mox) necnon Diufar siue Dualfar, atque Pescher ciuitates,portus,atque emporia celeberrima, in quibus hodie maxima thuris optimi copia nascitur,atque inde in omnes orbis terrarum partes exportatur. Regnum hoc subiectum est Regi Aden,teste Odoardo Barbosa. Fartach verò promontorium,Ioan.Barrosus ait esse quatuordecim & semis grad. à quo ceu metropoli ipsum regnum Fartach appellatum est, & eius incolæ Fartachini. Inter Aden porrò metropolim regni Aden olim Arabiam dictam & Fartach metropolim regni Fartach,hæ ciuitates,vti hodie nominantur,sunt interpositæ. Abiam (forsan est Abisama Ptolemæo) Ar, Canacam (olim dicta Cana) Brum,Argel,Xael metropolis regni Herit, Cayem, quæ septem diebus à promontorio Fartach abest,ita Barrosus. Belleforestus verò in sua Cosmographia Fartach quidem directò oppositam Zacotorę insulæ,vult esse sinum Aschamitarum,nonaginta quatuor mill.pass.ambitu,odoriferum,refertum insulis, cuius metropolis Sandata vel Saborta. Sachalitem autē sinum esse Curiam Muriam hodie dictam,ob insulam quæ in eo est. Hunc præterea sinum magnum esse,& amplum, in cuius principio sit Materqua(olim Metacum dicta Ptolemæo)portus,vbi Prin fluu.(olim Hormanus dictus) in mare intrat. Postea cerni montes Didymos olim nominatos, inter quos sit promontorium hodie appellatum Duorum capitum.Totum porrò hoc latus esse desertum,ita vt à Materqua siue Metaco (quod est initium sinus Sachalitici) vsq; ad Couā,vbi eiusdem sinus finis est, ad promontorium vsq; Cordamum olim (hodie Resalgad nuncupatum) sexaginta ferè leucarum spatio,nulla ciuitas reperiatur. Hęc ille de hoc sinu Sachalite. *Sachalites sinus Fartas regnum.* *Thus in Dualfar, & Pescher.* *Fartach promōt.* *Fartachini.* *Abiam.* *Canacam.* *Sachalites Belleforesto Curia Muria.* *Materqua olim Metacum.* *Didymi montes.*

Montana.) Descriptio regionis thuriferæ,de qua similia scribit Plin.lib. 12. cap.14. Tractus is spectat ad Orientem vndique rupibus inuius, & à dextra maris scopulis inaccessus. Syluarum, quæ thus proferunt, longitudo est centū millia passuum,latitudo autem dimidium eius. Attolluntur colles alti, decur- *Thurifera regio montosa.* *Sylua thuriferæ.*

rúntque & in plana arbores sponte natæ. Terram argillosam esse conuenit, raris fontibus, ac nitrosis. Syluas illas & Minæi attingunt, alium pagum colentes, per quos thus euehitur vno tramite angusto, à quibus etiam thus Minæum dictum est.

Minæi.

Arbores thuriferæ.

Arbores thuriferæ.) Plinius testatur suis temporibus arboris thuriferæ (quæ etiam δενδρολίβανος Græcè dicitur) faciem non planè fuisse notam, nec ab vllo Latino fuisse traditam. Græcorum exempla variare, denique varias esse de illis opiniones. Garzias thuris arborem humilem esse, & folia lentisco similia habere dicit.

In cortice.) Plin. Cortice lauri esse constat.

Concrescit.) Sic idem. Prior, inquit, atque naturalis vindemia circa Canis ortum flagrantissimo æstu, incidentibus, quà maximè videatur esse prægnans, tenuissimúsq; tendi cortex. Laxatur hic plaga, nõ adimitur. Inde prosilit spuma pinguis. Hæc concreta densatur. De modo, atque tempore metendi, legendíque thura vide plura apud eundem lib. 12. cap. 14.

Minæi olim soli thus tractabant.

Tractatur à ministris regijs.) Olim, teste Plinio, à Minæorum c c c. familiis solis meti, incîdi, colligíque fas erat, qui idcirco sacri vocati, quia nullo congressu fœminarum, cùm eas arbores inciderent, aut meterent, polluebantur. Cæteris omnibus arbores thuriferas vel intueri tantùm erat interdictum.

Thuriferas arbores alijs intueri nefas.

Aer pinguis & crassus.) Nimirum ob odorum atque aromatum fragrantissimorum copiam.

Thurifera regio morbida.
Sabæorũ stupor voluptati fastidium finitimum.
Serpentes in syluis odoriferis.
Cur aer ille morbidus.
Odores capitis grauedinem pariunt.
Alij negãt aerem illũ esse morbidum.

Loca morbida.) Hinc Strabo ab odoribus stupore Sabæos dicit corripi, quem styracis, bitami atque barbæ hircinæ suffitu tollunt. Idem testatur Plin. lib. 12. cap. 17, & addit, Adeò nulla est voluptas, quę non assiduitate sui fastidiũ pariat. Iisdem porrò odoribus fœtidis, ac malcolentibus olim vsi sunt ad serpentes quoque fugandos in odoriferis illis syluis frequentissimos. Aerem ergò illum atque loca, quum ob odorum illorum fragrantissimorum, καρηβαρίαν, teste Hippocrate in Aphoris. hoc est capitis grauedinem generantium acrimoniam, tum ob æstum flagrantissimum, tum denique serpentum venenatissimorum copiam morbida atque pestifera olim fuisse, sicuti Arrianus noster scribit, minimè profectò est mirum. Contrà autem Arrianus noster Belleforesto nugari, atque somniare hac in re videtur, quippe quum & nulli alij veterum id affirment, & nulli eorum qui hodie loca illa frequentant, præsertim regnum Fartach, in quo plurimæ sunt insulæ odoriferæ, vel morbis tenteantur, vel etiã moriantur.

Syagrus promõt.

Syagrus.) Hoc promontorium Ptolem. vltimum ponit in Homeritarum regione. Plin. lib. 6. cap. 23. de nauigatione Alexandri verba faciens. Postea, inquit, à Syagro Arabiæ promontorio Patalem Fauonio, quem Hypalum ibi vocant, peti certissimum videbatur XIII. XXXII. Mill. pass. æstimatione. Rhamnusius in itinerario aromatum putat Syagrum esse promontorium hodie Sfacalat, siue Fachalhat dictum, septemdecim grad. à quo teste Odoardo Barbosa incipit regnum Armuzii: éstque in illo promontorio arx Hor nomine regis Armuziensis. Sic Arrianus quoque olim propugnaculum in eo testatur fuisse. Idem Rhamnusius docet quàm egregiè illa Plinii verba de nauigatione à Syagro promontorio ad Patalem Fauonio vento, illo citato passuum spatio, cum hodiernis Portugallensiũ nauigationibus, conueniant. Hæ enim nauigationes à Promontorio Sfacalath, hoc est, Syagro Indiam versus vento Occidentali ad regnum Cambaiæ (quæ sita est vbi olim Patala) si rectà nauigetur, 900. milliarium spatio conficiuntur.

Syagros hodie Sfacalat.

Hor arx in Sfacalat, vt olim quoque.

Nauigatio à Sfacalat. i. Syagro ad Patalam, hoc est, Cambaiæ regnum.

Syagri situs.

Spectans ortum.) Marinus, cui Arrianus noster, vt & in aliis quibusdã suffragatur, sinum Sachalitem voluit Occidentalem esse Syagro promontorio. Contrà Ptolem. omnes eos, qui illa loca nauigãdo perlustrarunt, affirmare dicit ab Orientali parte Syagri Sachalitem Arabiæ regionem, atque sinum ei cogno-

cognominem situm esse. Rhamnusio videtur Arrianus Marinum sequutus esse,& maiorem Ptolemæo regionum Indicarum notitiam habuisse,vt cùm ex aliis,tum ex Barygazeni sinus,atque ex Probanæ insulæ descriptione apparet, quæ Portugallensium descriptionibus magis conuenit,quàm ea quæ à Ptolemæo traduntur. *Marinus nonnullis videtur peritior fuisse Ptolemæo rerum Indicarum.*

Dioscoridis insula.)Plinius libro 6.cap.28.Insula clara in Azanio mari Dioscuriada,distans à Syagro extimo promontorio CCLXXX.millia passuum.Eiusdem Ptolemæus meminit de situ Arabiæ Fœlicis,inter maris Rubri insulas. Item Stephanus,qui duas præterea alias eiusdem nominis insignes, ac celebres commemorat:vnam,quæ est inter insulas candidas Lybiæ. Alteram in Ponto, quæ Sebastopolis dicitur,ac prius Æa fuit appellata.Videtur autem sic nominata,vel à Dioscoride illo legato,de quo suprà, vel potius quia Dioscuris fuit consecrata:nam plerasque insulas diis quibusdam fictitiis legimus fuisse dedicatas.Hanc verò insulam spectantem ad promontorium Prassum plerique suspicantur esse insulam hodie Zacotoram, siue Socotoram, siue Sicuterã dictã, insignem in primis ac nobilem. Operæpretium itaque facturi videmur si descriptionem Arriani Dioscoridis insulæ admodum accuratam,cum Zacotoræ insulæ descriptionibus cõferamus.Ac primùm quoad sitũ,Arrian.noster Dioscoridẽ sitã esse dicit inter duo promontoria celeberrima, Aromatũ nimirũ siue Guardafuni,& Syagri,siue Sfatalath:ita tamen vt vicinior sit Syagro à qua Plinius illam dicit 280.millia passuũ distare. Ptolemæus nouem gradus habet. Sic Zacotorã Odoard.Barbosa,cũ duabus aliis insulis inter Fartas,siue Sfacalath(quorum alterutrũ puto esse Syagrum promontorium)& inter Guardafuni,siue Aromatum promontorium,dicit esse interiectam. Andreas Corsalius illam tredecim facit grad. & ab Adem centum viginti leucis ait esse disiunctam. Garzias à freto maris Erythræi centum viginti octo leucis illam distare dicit, & altera quidem parte freti Arabia, altera verò Æthiopia terminari. Commentarius rerum Indicarum eam in faucibus Mecani freti duodecimo in Septentrionem gradu, & ab vrbe Goa in Occidentem leucas 360.(Andreas Corsalius viginti duos dies,hoc est,trecẽtas leucas facit)distare testatur. Eandem quoque ab Oriente & Meridie ipso mari,ab Occasu promontorio Guardafuni quod vult esse Zingis olim dictum,à Septentrione Fratachi promontorio vult terminari. *Dioscoridis insula.* *Amm.Marcellinus quoque Dioscuriada appellat.* *Dioscorides plures.* *Dioscoridis insula vnde dicta.* *Diosc.insula hodie Socotora.* *Dioscoridis & Socotoræ descriptionum collatio.* *Dioscoridis situs.* *Zacotoræ situs.*

Maxima.) Socotoram maximam esse insulam Oranes fatetur.Eius ambitum Andreas Corsalius quindecim leucarum: Nicolaus Contius Venetus,& Niger 600.milliarium:Commentarius rerum Indicarum 50. leucarum faciũt. Eius longitudo, teste Nigro,est 180.milliarium. *Socotoræ magnitudo.*

Deserta. Sic infrà quoque Arrianus paucos eius incolas esse testatur, Zacotoram similiter Commentarius rerum Indicarum hodie incolis non admodũ frequentem esse significat. *Vtriusque incolæ pauci.*

Aquis.& fluminibus plena.) Socotoram quoque Andreas Corsalius,& alij,& montibus multis stupendę altitudinis atque magnitudinis esse distinctã testantur,in quibus infinita sunt aquæ dulcis fluenta. *Socotoræ montes*

Crocodilos.) Arrianus in Dioscoride crocodilos, viperas, lacertos,testudines ingentes esse scribit. Horũ animalium in Socotora insula nullam apud authores mentionem inueni,sed pecoribus,atque vaccis,veruecibus inprimis eam testantur abundare.Chamelontem quoque in eadẽ insula Andreas Corsalius se vidisse scribit. *Crocodili Dioscoridis insulæ.* *Socoteræ animalia.*

Lacertorum carnes comedunt.) Sic Hygoana,siue(vt Indi appellant) Hyuana lacerti est Indici genus, qui pro delicatissimo cibo venalis est in mercatib[9], teste Scaligero Exerc.183. Sic prouinciæ Mangi incolas abũdare serpẽtibus,qui pedibus carẽt, hominis sunt magnitudine, longi sex cubitis, vesci, hósq; illis maximas esse delitias,Nicolaus Contius de Indis testatur. Plinius libro 7.c.2. *Lacertorũ esus.* *Hyuani lacerti genus.* *Serpentiuori in Mangi.*

Ophiophagi.

Æthiopas, necnon Seras, & qui montem Athon incolunt, ab Isogono μακρο-βίους, hoc est, longæ vitæ existimari eam ob causam, quòd viperinis carnibus alãtur: itaque nec capiti, nec vestibus eorum noxia corpori inesse animalia. Huiusmodi autem populi ophiophagi à Græcis, hoc est, serpentiuori appellãtur.

Candei Troglodytæ Ophiophagi.

Sic Plinius libro 6. cap. 29. Troglodyticæ populos quosdam Candeos dicit ophiophagos vocari, quòd serpentibus vesci fuerint assueti. Dioscorides libro 2. cap. 16. Viperinas carnes, si coctæ edantur, claritatem oculis afferre, neruorũ vitiis auxiliari, increscentes strumas reprimere dicit. Aiunt iis qui viperas esitant, pediculos procreari, quòd clarè à veritate abhorret. Adiiciunt aliqui longam senectutem agere, qui eo cibo vescuntur. Sed ex iis ad eadem conficitur, sed inefficacior est. Hæc ille. De carnibus viperinis vide Galenum.

Socotoriensium victus.

Socotoriensium verò victus hodie carnibus, lacte, butyro, palmis, dactilis constat, teste Andrea Corsalio.

Vt Dioscoridis ita Socotora infrugifera.

Neque frumentum, neque vineta.) Sic Socotoram omnes Orientalium rerum scriptores insulam sterilem, atque infrugiferam esse testantur, palmarum & dactylorum abundantem. Osorius tamen eam variis fructibus, & oleribus refertam esse dicit.

Cinnaberi Indicum vulgò Sanguis draconis.

Infrà Arrianus noster scribit in insula Dioscoride nasci cinnaberi Indicum, quod sit gummi quoddam ex arboribus collectum, & lachryma. Hoc est quod hodie in officinis vulgò sanguinem draconis appellant, de quo sic Arriano conuenienter scribunt Amatus Lusitanus, Aloysius Mustus Venetus in suis in Africam nauigationibus. Arborem quandam esse dicunt,

Draco arbor. Draconis arboris gummi.

quam Lusitani draconem siue draconarium vocant. Ex illa lachryma quædã lucida, & rubricans colore, & substantia sanguini similis, inciso tamen ab incolis prius cortice, vt fusius inde effluat. Eam æneis cacabis excipiunt, & igne resinæ modo coquunt, donec consistat. Hanc verò lachrymam si fricueris, & ea lineas duxeris, colorem profundissimum, ac sanguinem oriri conspicies, qua de causa sanguis draconis appellatur. De hac lachryma vide Scaligerum, Mathiolum, & alios.

Draconis sanguis in Socotora. Aloe Socotorina nobilissima. Aloe.

Hanc autem nasci in Socotoræ insulæ montibus, testis est Andreas Corsalius, qui eandem arborem, atque hoc illius gummi describit. Notandum etiam hîc est aloen in Scotora insula optimam & præstantissimam nasci, quæ idcirco aloe Socotorina dicitur. De aloe Hebræo אהלים *Alohe*, vide Dioscoridem libro 3. cap. 23. qui in India, necnon Arabiæ quibusdam locis maritimis, atque insulis, vt in Andro (cui poteris addere hanc Dioscoridem; siue Zocotoram) optimam ait nasci. Vide Galenum libro 6. simpl. medicamentorum. Plinius libro 27. cap. 4.

Ambracan.

Garziam ambracan quoque in maritima Socotoræ parte prouenire & reperiri testantur.

Malè Corsalius sanguinẽ draconis, & aloe idẽ esse putauit.

Andreas Corsalius, qui errauit in eo quòd sanguinem draconis putauit esse idem, quod aloe licet vtrunque in ea nascatur.

Dioscoridis insulæ incolæ.

Qui verò eam incolunt.) Quoad Dioscoridis insulæ incolas Arrianus noster illos & paucos, & peregrinos ex Arabibus atque Indis conflatos esse scribit.

Socotoræ incolæ. Socotoriensium Religio.

Socotoræ similiter insulæ inhabitatores, & paucos, & partim Saracenos, partim Christianos, ac Semijudæos esse historici testantur. De illorum porrò moribus, religione, lingua, habitu, cultúque corporis sic apud Orientalium rerum historicos scriptum inuenimus. Homines sunt partim Saraceni, partim

D. Thoma. Ceremoniæ. Templa. Cruces. Ieiunia.

Christiani, qui à D. Thoma cognominantur, propterea quòd Euangelium primò fertur in ea loca inuexisse. Cõplures Iudaicos ritus ac ceremonias retinent. Templa cum altaribus ædificant. Cruces tantùm habent in ipsis altaribus statutas: imaginibus non vtuntur. Dies ieiuniis dicatos singulari ciborum abstinentia obseruant.

Sacerdotes.

Neque enim illis quum ieiunant, pisces edere licet, præterea carne quidem populus, sacerdotes verò etiam lacte, & butyro, quo maximè cibi genere vescitur vulgus, & palmarum succo duntaxat de pomis eo tempore victitant. Gallinam aut quamlibet auem manu contingere, nedum gustare omnibus est religio. Vnam tantùm vxorem ducunt.

Festi dies.

Eosdẽ festos dies, quos Catho-

Catholici, agunt, ac iisdem etiam temporibus celebrant, & diuorũ etiam memoriam colunt. Decimas frugum, & fructuum sacerdotibus integrè persoluunt: nauibus carẽt. Sunt disciplinarũ prorsus ignari, vsque adeò, vt quũ Christianũ nomẽ obtineãt, Christianæ religionis, doctrinæ atque Baptismi expertes sint, ignauia & otio torpent, animo demisso & abiecto sunt, vsque adeò, vt sine vlla recusatione paucis Saracenis obtemperent, & quum impotenti ab illis tyrannide vexentur, nullam tamen pro libertate dimicationem subeundã existiment. Lingua cognitu difficillima, nec quicquã habet cum Arabica, Æthiopicáve commune. Nudi incedunt, partes obscœnas pannis gossipinis atq; pellibus tegunt. Ita de se magnificè sentiunt, vt nullam, aut terram, aut vitæ rationem, sua vel meliorem, vel beatiorem existiment. Hæc de illis incolis Nicolaus Contius, Andreas Corsalius, Osorius, Commentarius rerum Indicarum, Odoardus Barbosa.

Decimæ. *Disciplinarum rudes.* *Mores ignaui & effœminati.* *Lingua.* *Habitus.*

Paret Regi thuriferæ regionis.) Socotora paucis Soracenis obtemperat. Aliquando à Fartachensibus occupata fuit. Rex Caxemi (ea autem est regio Arabiæ Fœlicis, quã Oceanus definit) eandem durissimo dominatu oppressam tenuit, & vt illis spem recuperandæ libertatis redimeret, arcem non procul à litore extruxit, multísque presidiis, & bellicis instrumentis muniuit, filiúmque suum iuuenem, Abrahemum nomine, eidem præfecit. Hanc Cugna Lusitanus anno 1507. (interemptis omnibus Arabiæ Fœlicis Saracenis, qui in illa fuerãt) expugnauit, ac multorum operis multo melius munitam, Alphonso Norogne, vt ab Emmanuele rege iussus fuerat, commisit. Hæc Osorius. Sed postea quum à Portugallensibus veluti regio sterilis, & infœcũda neglecta, ac pro derelicto habita fuisset, Saraceni rursus eam primò versus mare, ac deinceps ipsos quoque Christianos per commerciorum contractus, paulatim sub dominium ac potestatem suam subiunxerunt. Testis est Andreas Corsalius.

Socotora quibus subiecta. *Cugna Lusitanus arcem Socotorensem expugnauit.*

Atque hęc de insula Zacotora olim Dioscoride dicta. Non desunt etiam qui affirment (inter quos est Rhamnusius) Dioscoridem esse insulas hodie dictas Curia, Muria, quæ teste Osorio libro 3. paruo interuallo dissident à promontorio Guardafuni, neque procul ab aditu sinus Arabici distant. Hæ videntur duæ illæ paruæ esse insulæ, quas Odoardus Barbosa inter Fartas & Guardafuni vnà cum maxima illa insula Socotora interiectas esse dicit, cuius incolæ Saraceni colorati & nigri sine lege ac disciplina vlla viuunt. Distãt à se inuicem 30 milliarium interuallo, quarum vnam viri, alteram mulieres incolũt, ac vicissitudine quadam, nunc viri ad mulieres, nunc mulieres ad viros commeant. Coguntur vtrique necessariò ante exactum trimestre spatium ad insulam suam redire, quòd si diutius manserint, cæli certa quædam dispositio illis interitum comminatur. Insulæ sunt non admodum bene cultæ, atque steriles, abundantes ambracan, sanguine draconis, aloe, pecoribus, lapidibus qui niccoli appellantur, quíque in Mecca maximo sunt in pretio. Hæc de insulis illis ex Odoardo Barbosa, Nicolao Contio, Nigro, Osorio.

Dioscoridem alij volunt esse insulas Curia Muria. *Curia Muria insula.* *Curiæ Muriæ incolæ.* *Harum insularũ vnã viri, alterã mulieres incolũt.* *Quæ in illis nascantur.* *Niccoli lapides.*

Ἄμπελον) Forsan ἀμπέλου legendum.

Ἀπαρκίαν.) Ἀπαρκτίαν.

Γρύτην.) Χρῆσιν lege.

Omana.) Ptolemæus Omanitas inter Arabiæ Fœlicis populos recenset, & Omanium emporium. Omana Stephanus vrbs Arabiæ Fœlicis testem citat Glaucum libro 2. Arabicæ historiæ, vnde Ὀμανεύς, Omanæus: vt Tyanæus, Comanæus. Plinius lib. 6. cap. 28. A Petra, inquit, incoluerũt Omani ad Characẽ, oppidis quondã claris à Semiramide conditis & paulò pòst, Vltrà nauigationẽ incompertam ab eo latere propter scopulos tradit Iuba, prætermissa mentione oppidi Omanorum, Batrasæ, Anasæ, & Omanæ, quòd priores celebrẽ portum Carmaniæ fecere. Item Omanæ, & Athanæ, quæ nũc oppida maximè celebrari à Persico mari nostri negotiatores dicunt. Arrianus infrà Omana

Omanitæ. *Omanum emp.* *Omanorum oppida.*

dicit Persidis esse emporium.

Montes. *Epimaranitæ.*

Post eum montes alti.) Sic Plin. A flumine Canis, vt Iuba tradit, mons adusto similis. Gentes Epimaranitæ, mox Ichthyophagi insula deserta. Hi scilicet sunt homines in speluncis habitantes, iuxta Arrianum nostrum.

Moscha.

Moscha portus. Ptol. Moscham ponit inter Thialemath oppidũ, & Syagrum promontorium. Quid si sit oppidum hodie dictum Maschate.

Thus sine Regis permissu auehere non licet.

Sine Regis venia.) Sic hodie quoque, teste Garzia, thuris arbores illius prouinciæ Regi cedunt, nec cuiquam thus colligere licitum est, nisi Regis permissu. Confluere eò negotiatores ex Aden, Xael, & aliis Arabiæ locis, & cũ Rege de thuris quantitate, quam aduecturi sunt, & de pretio conuenire solent, modò laudatum sit & legitimum, quod nos masculum vocamus, ipsi Melato appellant. Sic Plinius olim thus ex Sabota nõ nisi per Gebanitas euehi potuisse testatur, nec nisi eorum Regi vectigale persoluto.

Thus masculum Melato dictum.

Syluæ thuriferæ custodiæ expertes

Sine custodia.) Sic Plin. tradit lib. 12. c. 14. Syluã thuriferã olim diuisam portionibus mutua innocentia fuisse tutam, neque vllũ saucias arbores custodiuisse, neminem enim alteri quicquam ex iis furatum fuisse, quum contrà Alexandriæ in officinis thus interpoletur atque corrumpatur, licet pœna proposita. Contrà Theophrastus libro 9. cap. 4. myrrham, thúsque omne collectum, & ad Solis delubrum, quod Sabęi in sua regione sanctissimum habet, conuectũ summa Arabum custodia asseruatum olim fuisse testatur.

Thus in Sabæorũ templũ conuecta

Zenobÿ insulæ

Zenobÿ septem insulas.) Ptolemæus de situ Arabiæ Fœlicis, iuxta sinum Sachalitem septem Zenobij insulas enumerat, quarum media habet sexdecim grad. Niger, Montes Didymi (hi videntur esse montes, quibus Osorius Mascaten, quam puto esse Moscham Arriano, cinctam esse dicit) contra quos in mari septem insulæ sunt, Zenobij nomine, penè contiguæ, ita appellatæ, quòd earum incolæ in cõmune viuunt. Hîc in postremis videtur Niger errare, legendo pro ζηνοβίου, κοινοβίου.

Didymi montes.

Sarapidis insula. *Serapidis deæ fanum.* *Sarapidis insula Turgana Marcellino.*

Sarapides.) Ptolemæus Σαραπίδος Sarapidis, in qua est fanum Serapidis deæ Ægyptiorum, quæ proculdubio in insula illa fuit culta. Marcellinus, Insignior tamen aliis, Turgana est, in qua Serapidis maximum dicitur templum. Quam ergo Ptolemæus & Arrianus Serapidis, hîc Turgana insulam vocat de Rubri maris insulis verba faciens libro 23. Quidam etiam Serapionis appellãt. Σαραπίς, inquit Stephanus, insula est in sinu Indico, vnde Sarapites. De Sarapidis porro deæ templo magnificentissimo in Canopo, vide Strab. lib. 16. Macira hodie dicta Rhamnusio videtur esse alterutra, nimirum vel Sarapidis, vel Zenobij insula. Est autem Macira insula vicina promontorio Rozalgati, hodie sterilis & inculta.

Sarapis. *Macira vel Sarapidis, vel Zenobÿ insula.*

Ichthyophagi. *Vlcinde regni descriptio.* *Situs.* *Incolæ.*

Ichthyaphagorum.) Ptol. de situ Arabiæ Fœlicis, Ichthyophagorũ, inquit, sinus maximè extensi sunt in mari Persico. Hęc est nimirum regio, regnúmque Vlcinde hodie dictum, interiectum inter Persidem & Indiam, quod versus Ortum regno Cambaię terminatur, versus Occasum continens cum Persia: paret Siech Ismaeli. Eius incolæ propriam licet habeant linguã, tamen Persicè quoque & Arabicè loquuntur. Hæc Odoard. Barbosa, qui Ichthyophagorũ victũ, cultúmque pluribus describit. De his vide suprá.

Lingua Arabica.) Sic incolas hodie regni Vlcinde, & Persicè, & Arabicè loqui testis est Barbosa

Habitatur. Ichthyophagorum illorum casas deformes & viles esse, Niger testatur.

Folia Cucina. *Cyna arbores Arabiæ ex quibus vestes.*

Φύλλων Κουκίνων.) Gesnero videtur legendum *κοϊκίνων*, vt sit foliis è coue, quæ illi palmæ videtur esse species. Plinius lib. 12. cap. 11. Iubam dicit affirmare Arabiæ arbores ex quibus vestes faciant, cynas vocari, folio palmæ simili. Folia ergo illarum arborum hîc videntur intelligenda. Coccus palmæ genus est ita ab Hispanis appellatum: ab indigenis tenga nominatur. Scaliger Exercitat. 154.

Osorius

Oſorius lib.1.Palmas (ex quarum foliis funes ad nauium cõpages obthurandũ conficiuntur)arbores ſcribit eſſe altiſſimas,foliis lõgiſſimis,& acutiſſimis, hirſutas patulis frondibus circumquaque diffuſis gratiſſimam vmbram efficientes. Harum nuces ingentis magnitudinis Cocos à Luſitanis appellari. Nota obiter ſacerdotes Ichthiophagorum certo quodam cinguli genere vſos fuiſſe.Vt enim olim Helias,Ioãnes Baptiſta, aliiq; Prophetæ,& cingulis, & in vniuerſum certo quodam veſtitus genere vſi ſunt: ſic Ethnicorum quoque ſacerdotes certo quodam extraordinario & inuſitato veſtitu authoritatem ſibi conciliare ſtuduerunt.Heſych. λέντιον, ἱερατικὸν περίζωμα appellat.

Habitus ſuperſtitioſus.

Calæi inſulæ ad introitum maris Perſici.) Belleforeſtus & alii, poſt inſulam Muciram ſiue Serapidis, ponunt promontorium Rezalgat ſiue Rozalgaten, quod veteres Corodamum appellarunt,in quod Albuquertius ad Armuzienſe regnum,ſub Emmanuelis regis Luſitaniæ imperium ſubiungendum miſſus, eſt è Zacotora profectus,vigeſima die Auguſti,anno à Chriſto nato 1507. teſtis Oſorius lib.5.Hoc promontorium gradus viginti duo & ſemis, principium regni Armuzienſis.

Pars tertia peripli de Perſico tractu.
Rezalgat promont. olim Corodamum.

Perſicum mare,ſiue ſinus.) Hunc paulò pòſt maximum & latiſſimum eſſe dicit.Suprà dictum de maris Rubri diuiſione in ſinum Arabicum (de quo adhuc dictum) & Perſicum. Perſæ, inquit, Plin.lib.6.cap.26, Rubrum mare ſemper accoluere,propter quod is ſinus Perſicus appellatur. Is autem, vt idem teſtatur,eſt ab Oriente XXV. mill.paſſ. circuitu ſecundum Eratoſthenem, ex aduerſo Arabiæ ſitus, longitudine XII. mill.paſſ. De quo ſic eleganter ſcribit Ammianus Marcellinus. Hæ regiones in amplitudines diffuſæ longæ & latæ,ex omni latere inſuloſum,& celebre Perſicum ambiunt mare. Cuius oſtia adeò perhibentur eſſe anguſta, vt ex Harmozonta Carmaniæ promontorio contra oppoſitum aliud promontorium, quod appellant incolæ Maces, ſine impedimento cernatur. Quibus anguſtiis permeatis, quum latitudo (vnde maximum,& latiſſimum Arrianus appellat) patuerit nimis extenſa nauigatio ad vſque vrbem Teredona (videtur eſſe quam Terabdon Arrianus nominat) porrigitur, vbi poſt iacturas multiplices pelago miſcetur Euphrates. Omníſque ſinus dimenſione litorea in numerum viginti millium ſtadiorum velut ſpatio detornato finitur: cuius per oras omnes oppidorum eſt denſitas, & vicorum, nauiúmque crebri diſcurſus. Hæc ille. Eadem ex Eratoſthene ſcribit Strabo.Mare Perſicum hodie mare Elcatif appellãt, ſiue Meſſendin N.Niccolaio, & Ger.Mercatori.

Perſicus ſinus à Perſis accolis.
Perſici ſinus magnitudo.
Perſicum mare inſuloſum.
Oſtia Perſici maris anguſtiſſima.
Harmozon promont.Carmaniæ.
Maces promont.
Teredon.
Euphratis oſtia.
Perſicum mare hodie Elcatif,ſiue Meſſendin.

Inſulæ Calæi.) Paulò poſt meminit inſularum Papii. Mare Perſicum plurimis inſulis abundat,vnde à Marcellino inſuloſum dicitur.Idem teſtatur Odoardus Barboſa qui earũ nomina ponit. Verùm ex omnibus tres ſunt maximè inſignes, atque celebres in oſtio maris Perſici ſitæ. Prima & quidem ampliſſima eſt Ormuz,ſiue Armuxium à Ptol. Ἄπφανα *Apphana* dicta, vt nonnulli volunt,nam vt Ptol.Apphana vigintiocto, ita Armuzium vigintiſeptẽ grad. eſſe affirmant.Ea ſita eſt intra oſtium ſinus Perſici, non ita lato mari à Carmania diſiuncta. Nomen autem duxiſſe videtur ab Armuza antiqua Carmaniæ ciuitate, cuius hodie nomen obliteratum cum memoria antiqui ſplendoris euanuit, cui, teſte Ptol.promontorium eodem nomine propinquum eſt ad Meridiem.Et fortaſſe hæc inſula fuit Armuzæ antiquæ colonia, & idcirco inde nomen obtinuit.Hinc Niger,E regione,inquit, Armuzæ ciuitatis,& promontorii inſula parua eſt,à continente duodecim millibus paſſuum diſtans, quam Vorochtham antiquitas appellauit,quæ nunc ab iis incolitur,qui olim ex Armuza in continente ab hoſtibus capta fugati ſunt, vocatúrq; amiſſæ vrbis nomine Hormuz.Barbaris piſcatione margaritarum inclyta.Hæc ille. Eſt autem quinque leucarum ambitu, oſtio ſinus propinqua, à Carmania verò duodecim mill.paſſ. diſtat, ab Arabiæ autem ea parte, quæ Carmaniam reſpicit qua-

Calæi inſulæ.
Mare Perſicum inſula refertum.
Maris Perſici tres inſulæ celeberrimæ.
Armuxium olim Apphana.
Armuxij ſitus.
Armuxium forſan ab Armuxa dictum.

Armuzÿ sterilitas. draginta mill. pass. à Persia duabus leucis. Insula est nimis arida, & sterilis, & solum adeò macrum, vt nihil omnino, quod ad vitę vsum valeat, vel natura, vel hominum cultu proferat. *Aquarum inopia.* Perennibus aquis omnino caret: tres tantum putei in insula procul à ciuitate sunt, *Putei, cisternæ.* homines cisternis vtuntur, & quum reliqua omnia ex vicinis insulis, & ex Carmania, & Arabia ad victum idonea importentur, aqua etiam ex iisdem locis in eam afferri solet. *Collis partim sulphur partim sal habens.* In ea modicus collis assurgit, qui sulphuris magnam vim in vno latere, in altero autem salis multitudinē in lapides densatam gremio continet. *Portus.* Duos portus habet tutissimos, vnus ad Occidentem Solem alter ad Oriētem pertinet. Hi duo portus lingula, quę in mare longius excurrit, diuiduntur. Horum portuum commoditatem sequuti mercatores ex India, Perside, & Arabia, & è quamplurimis aliis regionibus eā insulam frequentare cœperunt. *Armuziū vrbs.* Ea tandem frequentia, & celebritate factum est, vt ciuitas ædificaretur in planitie sita, quæ progressu temporis ad summam amplitudinem peruenit. Verùm de Armuzio & insula, & vrbe, & regno vide plura apud Odoard. Barbos. Osor. lib. 5.

Queixume insula. Om fluu. Secunda est Queixume nō procul ab Armuzio distans, iuxta quam fluuius Om in mare intrat, ad regnum illud pertinens, in quam Albuquercius Lusitanus (de quò paulò antea) anno 1507. delatus, oppida Arbez, & Homeal cepit, atque diripuit, testis Osor. lib. 6.

Baharem insula. Bacharam alij Icharan esse volunt. Tertia est Baharem. Hanc alii, vt Osorius, suspicantur esse insulam Icharan à Ptol. appellatam quam idem vigintitriū grad. facit, cuius Plin. quoque meminit libro 6. cap. 28. *Baharem alij volunt olim Tylon dictam.* Alii verò, inter quos est Belleforestus, volunt esse insulam olim Tylon dictam, vel etiam Tyrum à Tyriis aduenis ex Syria, qui eam incoluerunt, *Tylos, siue Tyrus. Tyros margaritis abundans.* plurimis margaritis, teste Plin. lib. 6. cap. 28, celeberrimam, necnon, vt idem testatur lib. 12. cap. 10, & 11, syluis, quà spectat Orientem, quáque & ipsa maris æstu perfunditur lanigeris arboribus, palmis, oleis, vitibus referta, *Baharem situs.* Baharem autem insula intra sinum Persicum Arabiæ adiacet, angusto freto ab Arabia disiuncta, & à faucibus Euphratis fluminis iam cum Tigri coniuncti circiter quadringentis millibus passuum distat. Nauigatio ab Armuzio, quinque ad summum sex dierum itinere. Baharem versus, propter vada, & certos scopulos periculosa, & cœlum propter humores palustres corporibus humanis vehementer infestum. In hanc itaque quum Petrus Albuquercius Lusitanus ex Armuzio contenderet, nec procul ab illa abesset, tempestate iactatus in aduersam regionem, quæ Persidis imperio continetur, abreptus in Raxelis portu constitit: testis Osor. lib. 12. In hac insula sita est ciuitas, quæ insulæ nomen obtinet. *Baharem vrbs.* Vrbs est ampla satis, & magnificentia ædificiorum, & hominum frequentia celebris. Eò mercatores vndique propter opportunitatem cōmercii libentissimè commeant. *Catifam vrbs insulæ Baharem.* Est etiam alia eiusdem insulæ vrbs, Catifam nomine. *Insulæ Persici maris Ptol.* Ptolemæus in Persico sinu quinque insularum meminit, quarum nomina hæc sunt. *Apphana. Ichara. Thylus.* Apphana (quam volunt esse Armuzium.) Icharā (forsan hodie dicta Baharem) Tharo, Thylus (quam nonnulli volunt esse Baharem.) Aradus. Insularum autem Calæi, atque Papii nomina (quæ hîc Arrianus ponit) nusquam alibi reperire potui.

Interdiu non multū videntur.) Forsan hi sunt Homeritæ, de quibus suprá.

Πλεόμβραι.) Quid si legendum πλείονες.

Mons pulcher. Rosalgate. Καλὸν ὄρος. Mons pulcher. Quid si sit Corodamum promōtorium, hodie Rosalgate, quod est iuxta ostium sinus Persici, de quo suprá?

Ostium maris Persici. *Ostium maris Persici.)* Eratosthenes, teste Strabone, os Persici maris adeò angustum esse affirmauit, vt ex Armozo Carmaniæ (hodie Chirman dictæ) promontorio Arabiæ pars conspiciatur, quæ est Maris proxima.

Colymbeses. *Plurimæ Colymbeses.)* Hoc est piscationes margaritarum (siue vnionum, qui inclusi sunt conchis) quæ fiunt vrinando.

Conchæ margaritiferæ. Πινικίου κόγχου.) Plærunque vno verbo πινικὸν Pinicum appellat, πίνα, siue

πίννα,

πίννα, idem quod πινικὸν. i. ὄστρεον. Plin. origo, inquit, atque genitura conchæ (in qua sunt margaritæ) haud multum est ostrearum conchis differens. Has vbi genitalis anni stimulauerit hora pandentes sese quadam oscitatione impleri roscido conceptu tradunt, grauidas postea eniti, partúmque concharum esse margaritas pro qualitate roris accepti. Hæc ille, & multa alia de margaritis, lib.9.cap.25. Sic Ammianus Marcellinus lib.23. sub finem. Apud Indos, & Persas margaritæ reperiuntur, in testis marinis robustis, & candidis, permeatione roris anni tempore præstituto conceptæ. Cupientes enim velut coitum quendam humoris, ex lunari aspergine capiunt densius oscitando. Indéque grauidæ edunt minutas binas, aut ternas, vel vniones sic appellatas, quod eius terræ conchulæ singulas aliquoties pariunt, sed maiores. Hinc eleganter Tertullianus lib. de habitu muliebri, Sed si quid, inquit, de mari Britannico, aut Indico ambitio piscatur, conchæ genus est, non dico cōchylio, aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim conchas nouerim maris poma. Quod si concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium eius magis debet esse, quàm gloria. Et licet margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quàm conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca. Hæc ille in contemptum margaritarum, quas idcirco pustulas, siue verrucas, ceu excrementa concharum appellat, quemadmodum Q. Curtius lib.8. gemmas margaritásque quas, vt ille inquit, mare litoribus infundit, purgamenta maris æstuantis appellat, eásque dicit æstimari pretio quod hominum libido constituit. Etsi autem & in Indico mari, præcipue in insula Taprobana hodie Sumatra dicta, insula Toide, in Perimula (hodie Patane Caxaldo) Indiæ promontoriæ, necnon in Britannico mari, in Bosphoro Thracio multæ & præstantes margaritæ nascantur, tamen Persico mari, quoad margaritarum copiam, ac nobilitatem cùm ab historicis tum ab ipsa experientia quotidiana palma defertur. Hinc Plin. præcipuè laudātur margaritæ circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. Etsi autem passim in vniuerso illo mari Persico nascuntur, duæ tamen hodie sunt insulæ illarum fertilissimæ nimirum Gulfal, siue Iulfal in medio Persico mari, & Baharem in eiusdem ostio sita (de qua suprà) vt testes sunt omnes ferè Orientalium rerum historici. Harum alterutram ergò Strabo intellexit, quum lib.16. Eratosthenes scribit, affirmare, in Persicæ præternauigationis initio insulam esse, in qua multæ, ac pretiosæ margaritæ gignantur. Baharem forsan intelligenda ad ostium maris Persici sita, in qua vniones magnitudine, candore, orbe, leuore, pondere (quibus sanè qualitatibus illæ æstimantur) omnium nobilissimi gignuntur. Ab Armuziæ quoque insula quinq; dierum interuallo nasci margaritas, Andreas Corsalius testatur.

Margaritæ partus concharum. *Vniones vnde dicti.* *Conchæ maris poma.* *Margarita est conchæ verruca.* *Margaritæ vbi plurimæ, & præstantissimæ.* *Margaritæ, Persici sinus omnium nobilissimæ.* *Gulfal insula margaritifera. Baharem.*

Αἱ κολυμβήσεις.) Sic appellat piscationes, siue capturas Concharum, quæ vrinatione fieri consueuerunt, quam sic describit Ludouicus Vartomanus lib. 3.cap.2. Vecti, inquit, cymbis in mare demittunt prægrande saxum cum magno fune ad vtranque cymbæ partem alligato, vt vtrinque iactis in profundū lapidibus nauis in æquilibrio, non secus ac si in anchoris esset, firma stabilísq; consistere queat, firmata ita suo pondere cymba, alius quidem, cui id muneris obtigit, in æquor iacit funem saxo dependente. Alius verò in naui media, mantica duplici in pectus tergúmque dependēte, alligato pedibus lapide se vibrat in pelagus, sub térque aquas vrinantium more natat, actúsque in profundum ad passus quindenos, tantisper vrinat donec legerit conchas, in quibus vniones delitescunt, collectas manticæ imponit, lapidémque protenus, quo pedes grauabantur, abiicit. funíque innixus in superiora euadit. Eandémq; Andreas Corsalius describit. Verum de margaritarum genitura, piscatione, vi, atque natura vide plura apud Garziam, Amatum Lusitanum, Martyrem de Occidentali insula. Has autem capturas difficiles, & periculosas esse (vnde pretij amplitudo) testis est Ammianus Marcellinus ídque propterea quòd frequentari

Margaritarum piscatio cuiusmodi. *Margaritarum piscatio cur periculosa.*

consueta litora, propter piscãtium insidias declinantes (vt quidam coniiciũt) circa scopulos, & marinorum cauûm receptacula delitescunt. Vnde apparet cur infrà Arrianus in regione inter Comari & Colchos sita huiusmodi margaritarum capturam nõnisi à capite damnatis exerceri solitam fuisse testatur.

Sabo. *Asaborum montes.* *Asaborum promontorium.* *Asabon hodie Mocandam.*

Sabo.) Hi nimirum sunt μέλανα (hoc est nigri) montes ἀσαβῶν, Asaborum dicti à Ptolemæo, ab Asaboris incolis quorum medium est promontorium, Asaborum similiter dictum in mare procurrens. Hoc Ioan. Barrosus, & alij volunt esse celeberrimum illud promontorium hodie Mocandam dictum, quod, eodem teste, est viginti sex gradu. licet(vt idem inquit) Asaborum promontorium à Ptolem. viginti triũ & semis statuatur. Pro σαβῶ itaque legendum ἀσαβῶν. Stephanus tamen σάβω *Sabo* vrbem maximam vltra mare Rubrum sitam appellat.

A dextris.) De hac ora sic Strabo secundum Eratosthenem. Ab ore autem maris Persici regio quæ à dextris est, cùm curua sit, à principio quidem à Carmania paululum Oriẽtem versus, postea ad Arctum vergit, postea ad Occidentem vsque ad Euphratis ostia, & Teredonem. Complectitur quidem, & Carmanorum oram, & Persarum, & Susianorum, & Babyloniorum partẽ, &c.

Semiramidis mons.

E regione est mons rotundus Semiramidis.) Sic Ptolem. de situ Carmaniæ montes iuxta Godrosiam, & desertum, siue Carmaniam desertam (hodie Rasigut appellatam) sunt montes Semiramidis (mons Semiramidis, qui etiam à figura στρόγγυλος. i. rotundus appellatur. Niger.) quos longè in Septentrionẽ ad Meridiem dicit procurrere, ex quibus Daran, Corium auri strigilem deferentem, Achindanan, Andanin, Saganin fluuios (quorum Ptol. meminit) ait in mare decurrere. Huic subiungit deinceps aliud promontorium Capellam nomine, cuius Ptol. quoque meminit.

Semiramis mons dictus à Semiramide. *Semiramidis multa monumenta.*

Semiramidis.) Mons hic rotundus procul dubio sic dictus quia Semiramis virago illa, atque clarissima Assyriorum regina Indiam petens, montem illum transiuit, ac monumentorum forsitan quorundam vestigiis insigniuit. Multa enim passim in Oriente (teste Strab. lib. 16. initio) in omnibus regionibus, quas peruagata est, illius monumenta, ædificia, templa, aggeres, aquæductus, fossæ, lacus, viæ, pontes, extant, quæ illius nomine fuerunt insignita.

Mons Semiramidis forsan Iacquete, vel Capella hodie.

E regione.) Scilicet montium Asabῶn, siue promontorii Asabon hodie Mocandam dicti. Ioann. Barrosus ait, freti Persici ostium effici promontoriis Mocandam, & Iacquete sibi inuicem oppositis. Itaque cùm Mocãdam, eodẽ teste, sit promontorium Asaborum, contrà Iacquete erit mons Semiramidis olim dictus, vel etiam forsan Capella promontorium quod Semiramidis mõti est vicinum.

Persici maris magnitudo.

Maximus & latissimus.) Hinc & Marcellinus permeatis angustiis latitudinem eius nimis extensam esse dicit, & Strabo illud mari Euxino vult magnitudine non esse inferius.

Apologi emporium. *Balseram.* *Frataha fluu. Euphrates.* *Apologi emporium forsan Balsera.*

In extremis sinus Persici partibus emporium Apologi.) Nullum hoc nomine emporium apud antiquos scriptores reperire potui. Odoardus Barbosa ad finẽ sinus, siue maris Persici ait situm esse castrum Balsera nomine, quod Saraceni incolunt, subditi regis Siech Ismaelis, quem Sophum appellant. Ibidem affirmat ex continente ad mare decurrere flumen quoddam maximum, pulcherrimum aquæ dulcis, quem incolæ Frataha appellant, quémque affirmant vnum esse ex quatuor fluuiis illis è paradiso terrestri promanantibus, nempe Euphratem. addit etiam fabulosam quandam Saracenorum de illo fluuio opinionem. Quæ quum ita sint, hoc Apologi emporium forsan in illo ipso loco fuit, in quo Balsera castrum, quippe quum vtrunque & in extremitate maris Persici, & iuxta Euphratem, quem Barbari Frataha appellant, sit positum.

Catapasini regio.

Catapasini regio iuxta Euphratem.) Ludouicus Vartomannus ex insula atque ciuitate Armuzio dicit se in Persidem transiisse, & duodecim dierum confecto

fecto itinere peruenisse in vrbem Eri, sitam in regione dictã Corasque, pecoribus, serico, reubarbaro abundantissimam. Inde se peruenisse ad ingens flumen Eufra ab incolis appellatum, quod quidem ei visum sit esse Euphrates, propter ostij magnitudinẽ, & latitudinẽ. Quid si igitur hæc Pasmi regio sit eadem, quæ hodie Corasam dicitur, per quam Euphrates fluit, Eufra ab incolis nuncupatus?

Eufra fl.

Pasmi regio forsan Corasam hodie.

Euphrates.) Hinc Strabo libro 16. Euphratis, inquit, effusiones, quæ Arabiam versus lacus & paludes efficiunt, mari Persico proximæ sunt. Euphrates fluuius celeberrimus, Hebraicè פרת *Perat.* Genes. 2. hoc est, frugifer, siue crescens dictus est à פרה, quod crescere, fructũ ędere, atque augere significat: sicut ab eadẽ radice, & nomẽ Ephraim filij Iosephi atq; tribus, & Ephrata priscũ nomen Bethlehem deductum est. Sic autem dictus est, & quia Mesopotamiam, vt inquit Cicero libro 2 De natura deorum, fertilem efficit, in quam quotannis quasi nouos agros inuehit, & quia magna aquarũ vi abũdat, vnde etiã Auxius, teste Æthico à nonnullis dictus fuit. Eundem Plinius libro 5. cap. 24. ab initio ortus sui Pyxiratam, & in illa parte, vbi in Taurum irrumpit, postquam perfregit, Euphratem appellari dicit. Falsò quidem illum ἀπὸ τοῦ εὐφραίνειν. i. delectãdo dictum putarunt. Omitto fabulas Plutarchi in libello De fluminibus. Hodie & Aphorat vulgò, teste N. Nicolaio, & quibusdam in locis, vt iuxta Balsera, Frataha, & in regione Corasan Euphra dicitur. Is secundum sacras Literas cũ Tigri, ex illo Eden, hoc est, paradiso terrestri oritur. Secundum prophanos verò scriptores in Armeniis ex Tauri latere boreali ortus, primò per Armeniã maiorem Occasum versus, vt Tigris ad Ortum, fluit in Armeniam maiorem, quam à dextris habet, à sinistris Lisænam. Deinde ad Austrũ flexus, inter Cappadocas, quos à dextris relinquit, & Commagenos (vnde illorum regio Euphratisia dicitur) ad sinistram. Rursúsque à Sicinsina, iterum Sophena minoris Armeniæ ad sinistram relicta, Taurum rescindens progreditur ad Syriam, indéque ad hyemales ortus reuertitur vsque ad Babylonios, & ad Tigrim vnà cũ illo Mesopotamiam (inde Syria Naharim in Sacris, hodie Diarbech dictam) efficit, inde vnà cum Tigri ad Teredona vrbem, hodie Balseram, in Persicum sinum delabitur. Testis Strabo lib. 2. & 11. & Mela, Plin. lib. 18. c. 18. & 16. & libro 5. c. 24. Philostratus, Procop. lib. 1. De bello Persico, Ammianus Marcellinus.

Euphrates vnde dictum.

Euphratis vis fœcundãdi agros

Auxius dictus

Pyxiratas ab initio ortus.

Euphrates quomodo hodie appelletur.

Ortus.

Progressus.

Ostia.

Ommana emporium.) Sic infrá. Omanitica regio de hoc suprà dictum, hinc Omanitæ populi.

Ommana emporium.

Σαγάλινο.) Quid sit fateor me ignorare.

Sagalino.

Phalanges Sesaminæ & ebeninæ.) Partes trunci & ramorum maiorum oblongę, teretes, vnde nobis affertur Guaiacum. Plinius libro 2. capite 4. ex Herodoto probat Æthiopas tributi vice regibus Persidis, è materie ebeni centenas phalangas, tertio quoque anno pensitasse cum auro, & ebore prodẽdo. Ebenũ Virgil. & Theophr. in India tantùm nasci crediderunt, quũ eam etiam in Arabia, Æthiopia, & aliis locis variis nasci, ex Dioscoride, Plinio, Mela cõstet. Ebeni species lignum Guaiacum, quod incolę Huiacum appellant, quódque in tribus potissimum insulis, nimirum S. Crucis, S. Ioannis, S. Dominici nasci tradunt. De ebeni truncis magnis (quos phalangas Arr. vt Plin. appellat) vide Mathiolum, & Amatum in Dioscoride.

Phalanges.

Phalanges Ebeninæ tributum.

Ebenus an in India tantùm nascatur.

Guaiacum lignũ ebeni species.

Palma.) De palma, eius vario, multiplici ac penè infinito vsu apud Orientales, vide Strabonem lib. 16. Scalig. Exercit. 158.

Palma.

Sinus Terabdon.) Forsan legendum Teredon, quam Stephanus appellat ciuitatem maris Rubri, à qua sinus videtur esse nuncupatus. Plinius libro 6. capite 28. E Parthico regno, inquit, nauigantibus vicus Teredon infra confluentem Euphratis, atque Tigris: læua fluminis Chaldæi obtinent, dextra Nomades Scenitæ.

Terabdon sinus forsan Teredon.

Fluuius.) Istius nomen omissum, quòd si nomine Terabdon legendũ Te-

Euphrates. redon, forsan est Euphrates iuxta Teredona in mare sese exonerans, qui in sacris Literis sæpenumero κατ' ἐξοχὴν, fluuius appellatus, sed hæsito.

Horæa emporiũ. *Horæa emporium.)* De his quoque nihil inuenire potui apud authores.

Ciuitas Mediterranea.) Huius quoq; nomẽ ab Arriano suppressum, quænam sit me ignorare fateor.

Bdelliũ gummi. *Bdellium.)* Bdella, hirudo, sanguisuga, sed videtur hîc intelligendũ Bdelliũ quod est gummi, siue lachryma Saracenica arboris, de quo Dioscorides libro 1. cap. 63. in quo illud ait afferri ex Petra oppido. Bdellium aliud Bactrianum, aliud Indicum. Plinius libro 12. cap. 11. Nascitur, eodem teste, in Arabia, India, Media, Babylone. Vide Galenum libro 7. simpl. medicamentorum. Est etiam teste Garzia, Scythicum, & Iudaicum: vel etiã forsan Bdellæ nomine, quo Arrianus noster ter ferè in hoc periplo in fœminino genere vtitur, intelligitur gemmæ cuiusdam, siue etiam margaritæ genus. Videtur enim omnino deriuari ab Hebræo בדלח *Bedolah*, cuius mentio fit Genes. 2. in descriptione paradysi. *Bdellium à Bedolah Heb.* Latinus interpres vertit Bdellium. Septuaginta interpretes ἄνθρακα, hoc est, *Bedolah.* Carbunculum. Rabbi Kimchi in suo Michlol parte 2. ait esse lapidem pretiosum, & quosdam affirmare esse Iaspidem. Alios dicere esse lapidem album rotundum, quem perforare soleant, indéque monilia, seu torques conficere. Hęc ille. Non desunt qui arborem aromaticam esse affirmant, de qua paulò antè. R. Aben Ezra, Excellẽs, inquit. R. Sahadiah Bedolah vult esse lapillos paruulos, rotundos, qui in aquis nascuntur, mannæ similes. Descriptio est vnionũ. Hanc sententiam venerandus meus præceptor D. Mercerus piæ memorię sequutus est, vt ante aliquot annos ex illo Lutetiæ audiui, quum Genesim interpretaretur. Et certè hoc patet ex historia mãnæ, quæ Exodi 16.14. dicitur fuisse quiddam minutum, rotundum, minutum, inquam, pruinæ instar, & Nume. 11. Oculus mannæ. i. color qui oculis distinguitur, similis dicitur esse oculo, siue colori Bedolah. Siue igitur nomine Hauilah Indiam, siue, vt alij contendunt, Nabatæam regionem intelligamus, constat bdellium arborem, & non procul à sinu Persico, & in India nasci, teste Plinio. Vnionum similiter, & in Persia, & in India maximam esse copiam satis supérque constat. Scribit enim Plinius bdelliũ esse arborem, quæ crescit non procul à sinu Persico in finibus Mesopotamiæ. Vnde nonnulli colligunt, partem Mesopotamiæ esse paradysum, vel saltẽ paradysum esse in Mesopotamia. Non est silentio prætermittendum quod Beniaminus Tudelensis in suo itinerario de bdellio lapide tradit. In his locis (subintellige Cheuazthaan & Kathiphan, quæ sunt Persidis loca) bdellius, inquit, lapis inuenitur miro opere naturæ confectus. Quippe vigesima quarta mensis Nisan ros in aquas quidam decidit, quem collectum incolæ inuoluunt, & conclusum in mare coniiciunt sua sponte demergendum ad fundũ vsque maris. medio autem mense Tisri duo homines funibus in mare ad fundum vsque demissi, reptilia quædam collecta in auras deferunt, è quibus fissis & ruptis lapides illi proferuntur.

Peripli 4. pars. *Post hanc regionem.)* Hinc incipit quarta & vltima pas huius peripli, nimirum India, siue Indica regio: de cuius terminis, atque diuisione, paucis quędam dicam, quæ ad eorum quæ in Arriano sequuntur, faciliorem intelligentiam facient. *India dicta ab Indo fl.* India igitur terrarum maxima, & ceberrima ab Indo flumine nũcupata, est omnis regio, quæ ab Occasu Paropamissidarum, & Arachosiæ, & *Indiæ termini.* Gedrosiæ (hodie Guzzerath dictæ) finibus terminatur, ab Ortu verò cum Sinarum extremis limitibus coniungitur: à Septentrione autem Imao mõte (qui *Caucasus.* est Caucasi pars, ab incolis, teste Barroso Dalanguer, & Nangraior hodie dictus) definitur: ab Austro Oceano Indico alluitur. *India duplex. Cis Gangem.* Ea tamen in duas partes diuiditur. Vna est intra, siue cis Gangem, quæ iisdem Occasu finibus, qui dicti sunt, incipiens, ad Gangẽ vsque protenditur. Hæc nostri respectu Orientalis, ab incolis Hynd. i. India appellatur, quam nonnulli volunt in sacris Literis, Seriam dici.

dici. Altera eſt, quæ vltra Gangem ad Sinarum fines excurrit. Hæc noſtri reſpe- ctu Orientalis (in ſacris Literis, vt quidam exiſtimant) Heuilah. Geneſ. 2. ab incolis Macyn, ſiue Magin appellatur, éſtque regio Cin Mangi, vbi Malacca, & Sumatra, de quibus ſuo loco. Illi qui in Indiam ex Ægypto nauigant, illam in tres partes diuidunt, hoc eſt, in inferiorem, in mediam, & ſuperiorem. India inferior quæ etiam prima dicitur, eſt regio Caiſerat, ſiue Guzzarat olim dicta Gedroſia, à fluuio Indo vſque ad Barum amnem, nomen adhuc retinentem. Media eſt regio Narſingæ, omníſque regio à Gange vſque ad Indum, quæ cõplectitur regnum Cambaiæ, Malabar, Calecut. Superior (quæ etiã Cane à fluuio Gange ita hodie appellato dicitur) continet omnem regionem Cin, & quę ſunt vltra fluuium Chaberim, Cin à Bengala ſeparantem, cuiuſmodi ſunt Varma, Cina, Brema, Aua, Pegu, Malacca, inſulæ vicinæ. Noſtri tamen anguſtius interdum Indię nomen vſurpant. Appellant enim Indiam omnem regionem, quæ duobus maximis fluuiis, Indo atque Gange continetur. Hæc autem vniuerſa regio Indoſtam ab accolis appellatur, quæ eleganter à nonnullis Meſopotamia dicitur magna. reſpectu nimirum Meſopotamiæ Aſſyriacæ, quæ & ipſa inter duos maximos fluuios, Euphratem & Tigrim interiecta, hoc nomen ſortita, vnde etiam in Sacris Syria Naharaim, id eſt, duorum fluuminum nominatur. Ac Indus quidem ab Occaſu, Ganges ab ortu fluit: vterque pari propemodum à Septentrione interuallo ab Indo oritur. Inde autem præcipites magno impetu feruntur, variíſque flexibus multas regiones interfluũt, multíſque fluminibus vndique in illos influentibus augentur, vſque adeò, vt quum propè Oceanũ ſunt, naues valde magnas aluei profunditate ſuſtineant. Vterq; autẽ quũ influit in Oceanum, ingentem ſinum efficit. Inde terra in Auſtrum magna ſpatij longinquitate percurrit, ita tamen vt aliquando finibus arctius anguſtetur, aliquando rurſus laxata liberius dilatetur. In promoniorium tandem, quem Indi appellant Comorim, definit: in cuius fine angulus acutus efficitur. Patet autem hæc regio ab oſtio Indi fluminis vſque ad dicti promontorij finẽ in longitudinem circiter DCCCC. paſſuum millia. Latitudo inter oſtia horũ duorum fluminum eſt circiter DCC. millia paſſuum, quæ deinde paulatim anguſtatur. Promontorij angulus extremus, qui, vt dictum eſt, ad Auſtrum ſpectat, ex Septentrionali parte, ab æquinoctiali regione circiter ſeptem diſtat: quod ſpatium quadraginta, & nonaginta millia paſſuum conficit: oras autem maritimas huius regionis, ſiue quæ ad Occaſum, ſiue quæ ad Ortum pertinent, quas Oceanus alluit, multæ & variæ nationes incolunt. Atque hæc de Indię terminis atque partitionibus generatim ex Nigro, Ioanne Barroſo, Oſorio dicta ſunt. Nicolaus Contius Indiam in tres partes diuidit. Primam, quæ eſt à Perſide vſque ad Indum: ſecundam, quæ eſt ab Indo vſque ad Gangem (quæ hodie à nonnullis Geographis propriè India eſſe dicitur) tertiam, quæ eſt vltra Gangem, omnium optimam, ditiſſimam, & ampliſſimam.

Vltra Gangem. — *India inferior ſiue prima.* — *India media.* — *India ſuperior.* — *Indiæ nomen aliquando anguſtius, pro regione inter Indum & Gangem interiecta.* — *Indoſtam.* — *Indię Meſopotamia magna.* — *Indi & Gangis breuis deſcriptio.* — *Indiæ figura & ſitus.* — *Comorim Indiæ promont.* — *Interuallum inter fl. Indi oſtia. & Comorim promont.* — *Alia Indiæ diuiſio.*

Hæc portò pars quarta huius peripli de India cõmodè rurſus in duas partes principes poteſt diuidi. quarũ prior eſt de India citeriore, poſterior de India vlteriore. Ac prior illa rurſus bipartita eſt, prima ab Indi fluuij oſtiis vſq; ad ſinũ Colchicũ ſiue Agaricũ extẽditur, poſterior à ſinu Colchico ſiue Gargarico, vſq; ad Gãgeticũ. Regiones verò inter Cãticolpũ, ſiue Indi oſtia, & ſinũ Gãgeticũ, ſiue Gangis oſtia interpoſita ſecundum Ptolemæũ & Arrianum noſtrum hæ ſunt: Syraſtrena regio, Larica, ſinus Barygazenus, Ariace, Sadanorum, Pyratarũ regio, Limyrica, Aiorum regio, ſinus Colchicus, in quo regio Careorum, ſinus Argoricus, in quo Pandionis regio, Batorum regio, Paralia, Aruanorum regio, Mæſolia, Salacena, &c. Secundum recentes autem rerum Indicarum ſcriptores, hæ ſunt, quæ hodie nominantur inter vtrunque ſinum, Canticolpum, atque Gangeticum interpoſitæ regiones, atque regna. Verſus continentẽ ſunt, Ioge, ſiue Ioghe, Delii, Mandao, Oryza, ab Oryza metropoli, quæ eſt Palua,

Indiæ citerioris duæ partes. — *Regiones inter Canticolpum & Gangeticum ſinum interpoſitæ.* — *Regiones mediterraneæ inter Canticolpum & Gangeticum ſinum interiectæ.*

F.j.

Regiones maritimæ interutrũque ſinum. Cambaia. ſiue Malapura olim dicta. Verſus mare autem quæ ſequuntur, regio regnúmque Cambaia Syraſtrena propriè dicta, ſic appellatum à principe illius vrbe Cambaia, quæ propriè eſt ſita in antiqua regione Patalena, olim Aſtagrapha, Ptolemęo dicta, ait Belleforeſtus, vt alij volunt. In hoc regno eſt exigua quidẽ, *Diu.* ſed celeberrima illa inſula Diu à Saracenis, à Malabaribus Diuxa hodie nũcupata, olim, vt nonnulli volunt, Barace dicta, teſte Alphonſ. Adriano. Tametſi Gera. Mercator Baracem vult eſſe illam quæ hodie Bacaim, ſiue Bazaim dici- *Decan regnum.* tur. Campanellum quoque celebris eſt eiuſdem regni vrbs. Sequitur regio, regnúmque Decan, ſiue Dacam, quod Daquem nonnulli corruptè vocant, quod & ipſum pars eſt Syraſtrenæ regionis, ſic nuncupatum à Decam metropoli maritima, quam Belleforeſtus & alij volunt eſſe Syraſtram vrbem olim di- *Tanamaymbu.* ctam. Regnum hoc à regno Cambaienſi arce Portugallenſium Tanamaymbu *Goæ regnum.* nomine diſcriminatur. Sequitur regio, regnúmque Goa, hodie, regi Narſin- *Naguma fluuius hodie Mandona dictus.* gæ ſubiectum, quod à Decam ſeparatur fluuio olim Naguma, hodie Mandona (in quo ſunt crocodili) ſiue Mandoua dicto. Goam inſulam duo pulcherrimi fluuij oſtia efficiunt, quæ tygribus abundat.

Cochinum. Regnum Cochinũ à Cochino vrbe Regia, olim Colchi dicta, de qua infrà.

Batticala. Mangalor. Regnum Batticala, regnum Mangalor.

Cananor. Regnum Cananor, à Cananor metropoli olim Muziris, ſiue Mediris dicta.

Biſnagar. Regnum Biſnagar, à Biſnagar eius metropoli, olim Modura dicta Ptolemæo.

Crangalor. Regnum Crangalor à Crangalor metropoli.

Caulamum. Regnum Caulamum à Caulamo vrbe principe olim Curula dicta: eiuſdem regni duæ præterea ſunt vrbes principes, Caincaulamum, & Cail, quam volũt olim Centacoſſylam fuiſſe dictam.

Trauancor. Regnum Trauancor nuncupatum à Trauancor vrbe pulcherrima, inter Caulamum, & Comorinum promontorium ſita, optimo portu prædita.

Chormandel. Regnum Chormandel, de quo ſuprà.

Tarnaſſeri. Regnum Tarnaſſeri ab vrbe Tarnaſſari, olim Coſſamba dicta, appellatum.

Vindius mons olim hodie Gaté. Hæ porrò regiones omnes maxima ex parte exiguis quibuſdam fluuiis à ſe inuicem ſeparantur, qui ex monte Vindio olim, hodie Gaté nuncupato promanant.

Verùm duæ ſunt principes regiones atque regna, ceu genera (vt ita loquar) generaliſſima, ſub quibus pleraque antè commemorata regna atque regiones continentur, Malabarenſis nimirũ, atque Narſingenſis. Vtriuſque deſcriptionem Oſorij ſanè per quàm elegantem ſubiiciam, quæ ad vniuerſæ Indicæ regionis atque gentis (qui hodie eſt) ſtatum, conditionem, naturam, mores ſumma cum voluptate vna quaſi Synopſi contemplandum, cognoſcendúmque faciam. Ac primùm quidem quoad Malabarenſem atque Calecutienſem, quæ in illa cõtinetur, regionem illam ſic deſcribit, initio libri ſecundi: Oras autem maritimas huius regionis, ſiue quæ ad Occaſum, ſiue quæ ad Ortũ pertinent, quas Oceanus alluit, multę & variæ nationes incolunt: illam tamen regionẽ, quæ ad Occaſum Solis ſpectat, eo tẽpore, quo noſtri in illas oras appulſi ſunt, *Calecutienſis regni deſcriptio.* maxima ex parte gẽs, quam Mallabares appellant, occupabat. Eã verò multi *Regis Calecutiẽſis opes.* Reguli poſſidebãt, quibus tamen omnibus fermè Calecutij rex imperitabat, & tributa ab omnibus exigebat. Neque tamen tantùm regionis amplitudine, *Calecutiũ hodie emporium celeberrimum.* quantum portoriis opes ſuas auxerat. Erat enim tunc illud emporium Indiæ *Merces.* celeberrimum, ad quod mercatores vndique confluebant. Abundabat regio multis mercibus, partim natiuis, partim ex variis regionibus importatis. Gens *Incolarum ſuperſtitio.* eſt falſorum deorum ſuperſtitione miſerrimè conflictata. Templa habent *Sacerdotes Brachmanes.* quãplurima. Maximo in honore habent ſacerdotes, quos appellant Brachmanas, penes quos arbitrantur eſſe rerum diuinarum & humanarum ſcientiam. Reges nulli fiunt, qui non ſint prius eorum diſciplinis imbuti. Tempore belli

ſecurè

secure possunt Brachmanæ vltrò citróque cõmeare. Inexpiabile namque scelus existimatur, illos secùs, quàm postulat opinio sanctitatis, attingere. Terna fila ab humero dextero in latus sinistrum gerunt, vt designent trinam in natura diuina rationem. Credunt Deum in specie humana latentem terras lustrauisse, vt humanum genus à peste sempiterna redimeret. Hæc quidem vt verisimile est, à Christianis antiquissimis acceperunt. Artes Mathematicas, & Philosophiam colunt. Religionem singulari artificio simulant, & in specie fictæ pietatis fraudes insignes in omni vita suscipiunt. Reliqui Malabares, eorum doctrinis instituti, portenta venerantur. Vndecimo Kalend. Septembris sacrũ solenne fit, in quo pueri arcubus armati, in sodales per ludum sagittas leuissimas emittunt. Deinde ii, qui ætate magis prouecti sunt, similiter tela coniiciunt, quibus multi grauissimè sauciati moriuntur. Cum iis, qui ad hucmodũ è vita discedunt, præclarè actum putant. Hos enim censent in cælum, vt cum diis æuum exigant, immigrare. Multa sunt apud illos anniuersaria sacra, in quibus quidam variis sibi modis in maximo hominum conuentu, & celebritate vitam exhauriunt. Annum à Septembri mense inchoant, sed diem certum, vnde mensem incipiant non habent. Astrologos, & augures primùm consulunt, & ab hora, quam illi faustam atque fœlicem fore prænunciant, anni principium auspicantur. Qui iam decimum quintum annum excessere, faciem eo die inuoluunt, & oculos obtegunt, ne quidquam aspiciant. Deinde à pueris in fana deducuntur in quibus varia deorum signa sunt. Ibi detractis oculorum inuolucris, aspectum in res oppositas repente cõiiciunt. Quod si simulachrum Dei illius, quem præcipuè colunt, ante res alias contuentur, illum annum sibi faustum fore confidunt. Nobilibus sunt interdicta matrimonia, ne quidquam sit illis impedimento, quò minus perpetuò se in armis exerceant. Habet autem quilibet eorum amicas ordinis eiusdem cõplures. Nefas enim est illis mulieri, quæ nõ fuerit nobilis, commisceri. Similiter & illæ tot amatores habent, quot habere volũt, dũmodo nobiles sint. Nulla est inter illos æmulatio: sed alii aliis per vices sine vllo dissidio, aut obtrectatione succedũt. Si verò aliquis mulieri cõiungitur, quę nobilis non sit, aliorum nobilium gladiis conciditur. Similiter & mulieres, quæ eam legem transiliunt, idem supplicium subeunt. Testamento filios hæredes non instituunt, eò, quòd ignorent, an sint ab illis progeniti. Eorum autem loco sororum filios sibi hæredes asciscunt. Regum stipendio nutriuntur, & pro eorum statu intrepidè sese in quoduis vitæ discrimen iniiciunt. Vmbilico tenus nudi ambulant. Inde vsque ad tibias demissis vestibus integuntur. Armis in bello vti non possunt ante quam Reges, apud quos sacramento dicunt, eos militaribus ornamentis afficiant. A pueris arma tractare condiscunt: magistros, à quibus militarem disciplinam accepêre, summa obseruantia colunt atque venerantur. Sunt in armis strenui, plurimúmque celeritate valent. Si vir ignobilis eos attingit, nobilitatem contaminari, genúsque pollui censent, & tàm insignem iniuriam illata cęde miseris hominibus, qui in eos inciderunt, vlciscuntur. Idcirco qui nobiles non sunt, quoties iter faciunt, voces edere coguntur. Nobiles verò, cùm eos aduentare ex vocibus illorum præsentiunt, eos deflectere de via iubent: & sic fit, vt ignobiles mortis, nobiles maculæ sempiternæ periculum depellant. Illic neque nobilitatem obscurari flagitiis, neque generis obscuritatem illustrari, virtutibus concessum est: sed omnibus est illa conditio necessariò subeunda, in qua maiores illorum versati sunt. Artificum genera ita sunt distincta, vt non sit inter dissimiles vllum connubii ius. Nec enim licet sartoris filiis sutoris filias ducere, neque aliam artem, nisi eam qua pater illius victum cõparauit, addiscere: & sic in reliquis artibus summo studio retinendis, eadem à maioribus tradita disciplina, conseruatur. Est genus deuotionis, quo inter se alii aliis interdum fœdere coniunguntur, quo se execratione deuinciunt, si vno per iniuriam occiso, reliqui omnes in illo vin-

Brachmanes sacrosancti.
Brachmanorum habitus.
Brachmanorum opinio.
Philosophiæ studium.
Dies festus seu potius funestus Calecutiensium.
Anni initium.
Auguria.
Nobilibus matrimonij interdictio.
Promiscua Venus inter nobiles.
Testamẽto filios non hæredes faciunt.
Nobilium vestitus.
Nobiles rei militaris studiosi.
Nobiles attrectare nefas.
Artificum genera distincta.
Genus deuotionis.

dicando mortẽ non oppetierint. Hac ratione fit, vt non modò quum reges interimuntur, sed cùm socii vita priuantur, ij, qui superstites sunt, humanitatis obliti, in gladios irruant, per omnes flãmas currant, nullísque armatorum præsidiis exterreri possint, quo minus necem iis, qui socios interfecerunt, afferre conentur, vsque eò dùm ipsi variis cædibus absumantur. In scribendo neque charta vtũtur neque papyro, sed stylo in foliis arborum syluestrium quas propter nonnullam similitudinem palmas appellant, literas exarant. Multorum verò seculorum memoriam libris ad hunc modum factis diutissimè conseruãt. multa eiusmodi folia ita præcîdunt, vt omnia longitudine paria sint: in quibus annales, & res historia dignas literis mandant. Foliorum verò extremitates perforant: iis autem compingendis duo ligna complanata, & ad eum modum perforata coniungunt. Tum foliis ordine compositis, & lignis intrinsecus adiectis, vtrinque per foramina funiculos immittunt, & omnia complicãt & arctè deuinciunt: & quod, post ita compactum volumen, funiculorum vtrinque superfluit, circa illud inuoluunt & illud nodis astringunt. Quoties autem legere volunt nodos laxant, & folia rursus explicant. Multa dici possunt præterea, de eorum moribus, quæ tamen, ad alia necessariò properantibus, omittenda sunt. Calecutium est in medio fermè illius oræ, quam paulò antè descripsimus, non procul à mari situm. Portus, vbi naues tutò possint consistere, non est vrbi coniunctus. vrbs ipsa ingens est. Ædes non sunt continuæ, sed discretæ, magnísque hortis & viridariis latissimum spatium occupant. Ædes regiæ solùm ex lapide structæ sunt: reliquis per leges minimè licet ædificare magnificè, quanuis ditissimi sint. Tellus est fertilis, & abundans rebus omnibus, quæ ad victum requiruntur. Rex eo tempore omnibus illius regionis regibus, & potentia, & opibus antecellebat. Hæc ille. Iam sequitur (eiusdem Osorii) Narsingensis regni regionísque descriptio, quæ quarto libro continetur, quæ sic se habet: Regnum hoc est in ea parte Indiæ citra Gangem, quæ spectat ad Orientem Solem. Pertinet etiam ad Occidentem, & est à parte mediterranea cum regionibus, quæ sunt Goæ coniunctæ finitimum. Cum hominibus autem, qui eas incolunt, cõtinenter bella gerit. Regio est latissima, multis vrbibus culta: multis fluminibus alluitur. Est valde fertilis & opima: piscatu, venatu, & aucupio, multísque pecorum & armentorum gregibus abundat. Homines superstitione dirissima conflictantur: vnum tamen summum Deum esse cõfitentur, penes quem aiũt esse summam rerum omninm potestatem. Templa profusis sumptibus ædificant, quæ tamen (vt alia Indiæ templa) monstrorum atque prodigiorum simulachra contegunt, quibus diuinos honores habent. Brachmanæ tam viri, quam mulieres sacris præsunt, & in summo apud illos honore sunt. Est aliud genus hominum, quod valde sanctum habetur. Hi Baneanes appellantur. Lapidem oui magnitudine pertusum, è cuius foramine tria fila prodeunt, è collo appensum gestant. Huius lapidis significatione summum eorum numen contineri prædicant, & ea de causa maximo honore ab omnibus afficiuntur. Lapis tanta religione cultus, Tambarane nominatur. A carnibus & piscibus abstinent. Semel in vita vxorem ducunt. Illis defunctis, vxores prope illorum cadauera viuæ sepeliuntur. Reliquę quæ aliis hominibus nubunt, post virorum mortem viuæ in rogum cum magno suorum comitatu, & multis cantibus atque laudibus inferuntur. Septimo quoque die ferias agitant. Hic dies est qui Veneris apud nos appellari solet. Præter hunc diem, multos anno vertente dies cantibus, & sacris, & statis cæremoniis, insita gentis religione celebrant. Credunt animam immortalem esse, & post hanc vitam præmia bonis, improbis autẽ supplicia esse iudicio diuino constituta. Sunt colorati, & eleganter exculti, & amoribus dediti, quorum gratia inter se digladiari solent. Qui alium ad singulare certamen vocat, à Rege campum, in quo cum aduersario congredi illi tutò liceat, exposcit. Si de illius virtute opinio habetur, Rex illum spectat.

Vindictæ cupiditas. *Scripturæ ratio.* *Voluminũ ratio.* *Calecutij descriptio.* *Ædificia.* *Ædes regiæ.* *Terræ fertilitas.* *Regis potentia.* *Narsingensis regni descriptio.* *Narsingensis regni situs.* *Regionis fertilitas.* *Incolarum superstitio.* *Templa.* *Simulachra.* *Brachmanæ.* *Baneanes.* *Tambarane lapis sacer.* *Abstinentia à carnibus & piscibus.* *Matrimonium.* *Feriæ.* *Opinio de animi immortalitate.* *Vestitus.* *Duellum propter amores.*

ſpectat. Victorem aurea catenula donat, quam is qui victoriam obtinuit, perpetuò tueri debet, aliter enim parti decoris nomen & gloriam amittet. Licet enim ei, qui velit, armis cum eo de catenulæ illius merito & dignitate certare. Catenula namque victorem ſequitur, & ei detrahitur qui ab alio ſuperatus extitit. Neque milites tantùm, verùm & artifices de artificii præſtantia armis inter ſe diſceptant. Maxima huius regni ciuitas Biſnaga nominatur. Ambitus illius ſupra quatuor millia paſſuum continet, multis muris cingitur, habet multas ædes amplas, & templa valdè magnifica, & eſt hominum ingenti multitudine referta. Mercibus quamplurimis ex omnibus partibus mirum in modum cumulata eſt. Mercatores, qui equos è Perſide aut Arabia, nauibus vehũt, portoria minimè ſoluunt. Reliqui portoria pendunt. Equos omnes Rex à mercatoribus emit: inde eos, quos vult, ſibi retinet, reliquos vel pretio, vel gratuitò diſtribuit. Regia eſt ampliſſima, maximíſque ſumptibus ædificata. Hortus habet amœniſſimos, & piſcinas in quibus ſunt piſces innumerabiles. Rex multorum militum præſidio circumſeptus incedit, & maxima veneratione atque adeò ſuperſtitione colitur à ſuis. Illius menſa conquiſitiſſimis cibis inſtruitur: corpus illius vnguentis niteſcit, & gemmis & auro fulgens perpetuò conſpicitur. Vnam præcipuè vxorem, quam præter cæteras eximiam habeat, minimè ducit. Maximum tamen concubinarum numerum habet, quę è Principum genere deliguntur. Quum Rex moritur, pyra è lignis odoratiſſimis incenditur, in quam Regium cadauer infertur. Ibi cõcubinæ omnes, & omnes illius familiares, & quicunque illi miniſtrauerant, aut magnum apud illum nomen obtinuerant, in rogum ſimiliter inferuntur. Tanto autem ſtudio ad rogum, vt crementur, accelerant, vt appareat eos in ea mortis, qua Regem proſequuntur, ſocietate ſummum decus arbitrari. Colitur à Narſinguæ regibus æquabile ius. Mercatores ab omni iniuria tutos & incolumes præſtant: ſunt plurimi ſub illo Dynaſtæ. In eos tamen, ſi maleficium inferunt alicui, vel cæde vel fuſtibus animaduertunt, ita vt nemo queat ſibi propter magnas opes impunitatẽ polliceri. Reges ipſi maximos theſauros coaceruant, & eos, qui à maioribus illis relicti ſunt, attingere niſi cùm extrema neceſſitas vrget, nefas exiſtimãt. Itaq; auri, argenti, gemmarum maximos aceruos poſſident. Ex illis præcipuè gemmis, quos Adamantes appellant, qui in ea regione excidi ſolent ingentis magnitudinis & ponderis in theſauros congerunt. Multos milites alunt, quibus equos attribuũt, ſingulis diebus è Regia cibi & illis & equis aſſignati ſunt. Eis, qui ſemel apud illum ſacramento dicunt, abſque Regis iuſſu nullo modo è regni finibus emigrare licet. Pedites habet innumerabiles. Multa alia de moribus Narſinguæ, de Regis opulentia, de luxu illius & magnificẽtia dici poſſunt, quæ, ne ſimus longiores, quam inſtituta ratio poſtulat, omittimus.

Biſnaga metropolis regni Narſingæ.

Regiæ deſcriptio.

Regis ſatellites.

Regis cultus ſuperſtitioſus.

Regis exequiæ.

Mercatores.

Regis theſauri.

Milites ſtipendiarij.

Maritimæ partes Scythiæ.) Infrà Scythiæ partes mediterraneas ait conterminas eſſe Iberiæ. Plin. lib. 6. cap. 17. Inde (ab Aquilone) Emodi montes aſſurgunt Indorúmque gens incipit, non eo tantùm mari adiacens, verùm & à Meridiano, quod Indicum appellamus. Dionyſ. Alexãdr. à Gedioſia ad ortum dicit eſſe Indum, prope quem Scythæ auſtrini habitant, Indoſcythæ dicti: non enim ſolum boreales Scythæ ſunt ſed etiam auſtrini. Scythia hic intelligenda Indoſcythia à Dionyſ. & Ptol. appellata, vbi montes Suodi, ex quibus Indus oritur ipſius Indiæ terminus ab Occidente, teſte Plin. lib. 6. cap. 17. In hac verò videntur habitare populi hodie Motages, atque Resbuti dicti, vt ex ſummario Orientali poteſt colligi.

Scythia.

Indoſcythia.

Sinthus fluuius.) Hic eſt Indus, qui teſte Plin. lib. 6. cap. 20. olim ab incolis Sandus fuit appellatus. Sinthum Ptol. inter ſeptem Indi oſtia numerat. Veriſimile eſt igitur oſtium illud ceu omnium maximum ſynecdochicôs pro toto fluuio fuiſſe vſurpatum. Hodie vulgò ab Indis, atque aliis populis Indu appellatur. Eundem Resbutos à Cambaienſibus diſterminãtem atque per mediam

Indus Sandus olim dictus.

Sinthus oſtium Indi pro Indo.

Indus hodie Indu, & mare Indicum Hodu dicitur.

Summarium Orientale, Crecedera vel Inder. Indus olim Mausolus dictus.

Cambaiam decurrentem incolæ eius regionis, teste Odoard. Barbosa, & Cerceten, & Indes appellāt. Sic enim fluminum nomina pro regionibus, per quas fluunt, crebrò mutantur, vt de Danubio dictum est. Hunc verò fluuium prius Mausolum dictum postea ab Indo quodam iuuene egregio, qui Damasulcida regi Oxyalci filia corrupta, ad mortem quæsitus in eum se præcipitarat, appellatum fuisse fabulatur ille author libelli de fluminibus, quem nonnulli volunt esse Plutarchum. Atque hæc de illius nomine,

Caucasus.

Ex quibus.) Scythiæ partibus Aquilonaribus, nimirum ex Caucaso, quem Scythæ, teste Plin. lib. 6. cap. 17. Caucasum, hoc est, niue candidum appellant. Quintus Curtius lib. 8. Indiæ partes, quæ Austrum accipiunt, in altius terræ fastigium excedunt, plana sunt cætera, multísque inclytis amnibus Caucaso ortis placidum per campos iter præbent. Quoad verò Indi fluu. ortum, Plin. in iugo montis Caucasi, quod Paropamissos vocatur, eum aduersus Solis ortum effundi, & vigintivnū amnes recipere testatur. Sic Arrianus lib. 3. historiæ Alexandri oritur ex monte Paropamisso, siue, vt Macedones aiunt, ex Caucaso. Philostratus lib. 2. de vita Appollinii, Indum fluu. tradunt ex Caucaso oriri, maiorémque statim ab ortus principio fluere, quàm eorum vllus sit, qui in Asia nascantur. Item Dionys. Alexand. Ptol. ab Imao eum dicit oriri qui Indiæ terminus est ad Septētrionem. Quod igitur alii à Caucaso, alii à Paropamisso, alii ab Imao, alii etiam ab Emois montibus, eum oriri dicunt, non est mirum quippe quum, vt inquit Plin. lib. 6. c. 17. Imaus, Emodus, Paropamissus sint Caucasi partes, qui ipse pars est Tauri. Emodorum montium idem Imaum dicit esse promontorium, incolarum lingua niuosum significante. Summarium Orientale Caucasum montem dicit per regionem Zely asperam & montuosam transire, in cuius latere sit Mendao regio antiqua Amazonum sedes, ac domicilium.

Indi fontes. Caucasi partes. Imaus Emodorū promontorium.

Indi magnitudo.

Maximus fluminum iuxta mare.) Cic. lib. 2. de nat. deorum, Indus, inquit, omnium fluminum maximus, non aqua solùm agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit. Magnam enim vim seminum secum frumenti, similiúmq; dicitur deportare. Arrianus lib. 6. Indum fluminum omnium Asiæ & Europæ præter Gangem maximum haberi scribit. Idem testatur Alexandrum Magn. nullo die minus quàm stadia sexcenta nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque nauigare, quem tamen minorem esse Gangem constat. Strab. lib. 15. Gangem omnium fluminum maximum, secūdum Indum, tertiū Istrum, quartum Nilum esse dicit. Strabo illum quindecim flumina in vniuersum mētione digna ait recipere, quibus omnibus auctus, vbi ad C. stad. vel (vt alii tradunt) ad L. peruenerit, tādem duobus ostiis in Australe mare exit. Plin. vigintivnū amnes scribit in illum influere quadam tamen modestia aquarum nusquam latiorem L. stad. aut altiorem quindecim p. esse, ac per XII. XL. mill. pass. paucissimis auctoribus nauigatum, ac quodā Solis comitatu in Occasum versum, Oceano infundi. Metasthenes, tentata India, commentatione, sexaginta amnes in Indum influere prodidit: teste Strab. lib. 11. Philostratus lib. 2. Indi latitudinem, quà quidem nauigabilis stadiis fermè quadraginta ait protendi. Idem testatur illum statim ab initio ortus sui maiorem fluere, quàm vllus sit, qui in Asia nascuntur, procedentem verò multos fluuios nauigabiles ex se producere. Diod. Siculus, lib. 5. Indum omnium post Nilum fluuium maximū esse scribit. At Strabo, Arrianus, & alii Gangem maiorem Indo esse, & ab vtroque Nilum, atque Danubium longè superari contendunt. Eustath. in Dionys. Alexand. scribit à veteribus traditum esse Indum (id quod ipsum quoque eius magnitudinis est indicium) aliquando relicto suo alueo, in campos quosdam exeuntem, plusquàm centum ciuitates, vnà cum pagis desertas reddidisse. Fluminum nomina, quæ Indus recipit, vide apud Arrianum lib. 6. Plin. lib. 6. cap. 20. Ptol. de India iuxta Gangem. Atque hæc de Indi magnitudine. His addam

Amnes in Indum influentes. Indi magnitudo.

quod

quod à Philostrato libro 2 & 6. Indus Nilo comparatur quatuor ferè ob causas. Primò quòd vt Nilus Ægyptiorum, ita Indus Indorum agros certo anni tempore irrigat, & ad semina accipienda paratos reddit. Secundò, quòd vterque crocodilos, & fluuiales equos producit. Tertiò, quòd similes in vtroque nasci flores dicuntur. Quartò mysteriorum rationes vtrisque pares. Multa enim Indorum ritu sacrificia in Nilo fiunt. Rex enim Indorum ad flumen Indũ accedere solet, quum dies augeri incipiunt, & illic equos, nigros tauros flumini tanquam Deo sacrificat, quo sacrificio peracto, in flumen demergit aureũ modium illi similem, quo ipsi frumenta metiũtur, boni ominis ergo, nimirum ob fructuum abundantiam, & aquarum moderationem, ne terris inundent. *Indus Nilo quatuor de causis comparatur.* *Sacrificia in Nilo & Inde fieri olim solita.*

(*Magnam vim aquarum in mare euomit.*) Sic Summarium Orientale Indum vbi in mare decurrit, maximum & copiosissimũ esse testatur. Quoad Indi ostia, Strabo libro 15. Arrianus libro 8. Dionys. Alexandrinus duo tantùm tradunt, quę, vt Arrianus inquit, non ita sibi inuicem sunt propinqua, vt quinque illa Danubij, sed vt illa Nili paulò remotiora, 1800. nimirum stadiorum interuallo, à quibus Delta Græcum non minus Ægyptiis, quod Nilus suo flexu facit, efficitur, quod Indorum lingua Patalena appellatur, à Patala vrbe, quæ ad eximia ostia Indi fuit posita, vbi Alexandri classem conuenisse, ac eius gubernatorem, atque ducem Nearchum, maritimæ rei peritissimum sepultũ fuisse tradunt. Authores veteres duo tantùm Indi ostia faciunt, quibus ad Meridiem in Oceanum exeat. At verò Arrianus noster 7. eius ostia esse dicit, cui astipulatur Ptolemæus, eorum simul nomina commemorans. Primum ceu Occidentalius est Σαγάπα, *Sagatia:* Secũdum, Σίνθον *Sinthum* (quo quidem nomine Arrianus noster totum fluuium insignit) Tertium, Χρυσοῦν, id est, aureum. Quartum Χαρίφου *Chariphi.* Quintum Σάπαρα *Sapara.* Sextum Σαβάλασσα *Sabalæssa.* Septimum, Λονίβαρε *Lonibare.* *Indus aquis copiosus.* *Indi ostia duo olim non procul à se inuicem distantia.* *Patalena insula Indi ostijs efficitur.* *Arrianus & Ptol. 7. ostia Indi faciunt.* *Ostiorum Indi 7. nomina.*

(*Tenuia, & palustria.*) Non mirum est ex duobus ostiis, quæ olim fuerũt, tãdem progressu temporis septem fuisse effecta. Nã (vt Rhamnusius monet) magni fluuij, cuiusmodi sunt Indus, Nilus, Padus, quum sint turbidi, cœnum lutúmque attrahentes, paulatim mare implent, atque continentem faciunt: vnde non est mirũ Indi plura ostia fuisse effecta. Hodie tamen, vt Portugallenses oculati testes significãt, duo tãtùm rursus sunt Indi ostia, quod & ipsum minimè profectò est mirum, quippe quum ipsum mare multis in locis, in quibus olim portuosum fuit, hodie portu careat. Denique quum ipsius Dei omnipotentis virtute maria & flumina in terras, & contrà, terræ in maria & flumina facillimè conuertantur, tum verò etiam hominum idem molientium opere, atque labore sæpe fit vt fluminum ostia, & numero, & locis creberrimè mutentur, cuius rei multa exempla ex historiis proferri possent. *Cur olim 2. postea 7. ostia Indi.* *Hodie rursus 2. Indi ostia.* *Ostia fluminum mutabilia.*

(*Aqua alba.*) Andreas Corsalius in vniuersum affirmat in sua nauigatione mare vicinum Indiæ lacteo colore sibi apparuisse, cuius rei causa videtur illi esse arena alba. Nã quum (vt idem ratiocinatur) in illa parte Indiæ, vbi mare est profundum, modò à cælo rubrum, modò à nubibus nigrum, modò quando non est omnino profundum, viridem colorem repræsentet: quid mirum si illud albæ arenæ reflexu quoque album appareat. De variis his maris coloribus, visu iucundissimis, eleganter sanè Cicero disserit libro 2. Academicarum quæst. Sed Arrianus noster hîc speciatim de Indi fluminis in mare irrumpentis, aquis albis loquitur, ita vt, quemadmodũ Danubius (sicuti in periplo ponti Euxini dictum est) rapidissimo, vberrimóque suo in pontum impetu atque influxu ipsius Ponti aquas dulces, ad aliquot milliaria, ita Indus albas, maríque dissimiles reddit. cuius tamen fluuij aquæ, teste Q. Curtio lib. 8. gelidiores quàm cæterorum Indiæ fluminum, à maris colore haud multum sunt abhorrentes. *Aqua alba.* *Indi in mare irrumpentis aquæ albæ.*

Serpentes.) Idem signum infrà quoque bis ponit, quod etiamnum hodie est in vsu. Thomas Lopezus in sua nauigatione testatur, antequam ad insulã *Serpentes signũ continentis.*

Amiadiuam,siue Anchediuam appulissent,serpentum occursu animaduertisse,se vicinos esse contineti,quippe quum non longius quàm triginta aut quadraginta leucarum spatio à terra in mare progrediantur. Eiusdem signi Andreas quoque Corsalius meminit,qui idem affirmat serpentes tempore verno pluuiis ex continente in flumina transportari.

Graæ. Γϱάαι.) Dubito an hoc quoque fuerit certum quoddam genus serpẽtum, an verò spumæ aquæ sic appellatæ à Græcis,ceu canæ vetulæ.γϱαῖς enim Græcis vetula. Cœl.lib.26.c.18.Nam & serpentes, & aquarum albedo signum appropinquationis ad terram.

In quo emporium maritimum βαϱβαϱικόν.) Paulò pòst idem βαϱβαϱικὴν appellat,Ptol. de situ Indoscythiæ in insulis ab Indo effectis, has duas vrbes ponit,Patalam,& Βάϱβαϱει *Barbari.*

Ei obiacet insula parua.) Hæc videtur esse insula Patalena, ab vrbe eiusdẽ insulæ Patala hoc nomen sortita.Indus enim(vt Plinius,Strabo,Arrianus & alij testantur)duobus suis ostiis seu brachiis duas insulas efficit, vnam amplissimam Prasianem nomine,alteram minorem, quę Patale,siue Patalena nominatur,triquetra forma.Niger,Contra Sagatam,inquit, Indi ostium haud procul in mari iacet insula,quæ Patalis similiter vocatur, quam Alexander condidit,locum nauibus recipiendis aptum celeberrimo portu.Post quam duæ aliæ angusto freto discretæ ad Orientem sub iisdem ostiis sunt. Quarum Occidentalior Chrysa,hoc est aurea,Orientalior Argyra,hoc est Argentea,à metallis,quorum sunt fertilissimæ,appellantur.Rhamnusius porrò in itinerario aromatum,necnon alij,affirmant in Patala olim dicta,hodie sitam esse partem regni regionisue Cambaiæ hodie dictæ,cui vicina vrbs Diu,de qua infrá.

Indus duas insulas efficit. Prasiana. Patalena,siue Patala. Patalena pars Cambaiæ.

Minnagar. *(Minnagar Scythiæ metropolis.)* Huius infrà quoque mentionem facit,eã appellàs Μιννανάϱαν.Ptol.Μιναγάϱαν per ν simplex,eam similiter in Indoscythia collocat inter Ozenam, & Triaguram.

Parthi. *(A Parthis.)* Plinius libro 6.cap.13.Persarum,inquit,regna,quæ nũc Parthorum intelligimus,inter duo maria Persicum & Hyrcanium Caucasijs iugis attolluntur.

Per fluuium.) Scilicet Indum.

Regi.) Parthorum.

Polymita. Πολύμιπα.) Πολύμιτα legendũ.Iuuenali multitia,hoc est,indumenta multis filis contexta,vt sunt sericæ vestes,& byssinæ.

Chrysolithus. *Chrysolithum.)* Arrianus ter huiusce gemmæ meminit, in hoc periplo,in neutro genere illius nomen vsurpans, quum aliàs communiter in fœminino genere Chrysolythus dicatur. Nonnulli volunt cum eo qui תרשיש *Tarschisch*, Hebraicè dicitur,à mari vnde prouenit(vti Fagio videtur)sic appellatus.Chrysolithos autem Franciscus Rueus lib. De gemmis. Arabicas, quod vario colore sint,ac turbulento,ignobiliores esse dicit,selectissimarum autem Indiã esse nutricem,quæ ferè sunt cæruleæ,marinæ,aquæ virorem ita præ se ferentes, vt aurum collatione quadam argenti instar cogant albicare.Hæc ille.Plinius lib. 37.cap.9. Hyacinthos, inquit, Æthiopia mittit, & Chrysolithos,aureo colore translucentes.Præferuntur iis Indicæ.Et si variæ non sint,Bactrianæ. Deterrimæ autem Arabicæ.Arrianus noster & in hoc emporio Barbarico,& in Barygazi,Muziti,atque Meclinda reperiri tradit.

Chrysolithi Arabicæ. Chrysolithi Æthiopicæ. Chrysolithi Indicæ.

Costus. *Costus.)* Græcè κόστος,& κοστάϱιον.Straboni Arabicè cost,siue cast. Radix,& folium,inquit Plinius libro 12.cap.12.Indis maximo est pretio. Radix costi gustu feruens,odore eximio,frutice aliâs inutili. Idem lib.22.c.24. Thure,inquit, sacrificamus,& costo.Eius tria genera,Arabicum,cui Dioscorides primas, Indicum,cui secundas:Syriacum,cui tertias tribuit.Plinius lib.1.cap.15.duas eius differentias secundum colorẽ facit,album,& nigrum.Arrianus noster ex Barbarico emporio,quod est iuxta Indi ostia costum exportari dicit. Sic Plinius libro

Costi vsus in sacrificando. Costi tres species. Costus circa Indi ostia.

libro 12.cap.12.Primo ſtatim introitu amnis Indi in Patale inſula duo eius genera eſſe tradit,nigrum,& quod melius cādicans:pretium in libras 16. Hodie enim,teſte Garzia,naſcitur circa Guzarate,inter Lyciū,Bengula,Dely & Cambaia in Mandou & Chitor.

Lycium.) Hoc aliqui pyxacantham vocant,arbor eſt ſpinoſa, ramis trium cubitorū aut longior,foliis buxi denſis,fructu piperis,nigro,læui, amaro,denſóque, cortice pallido, non diſſimili lycio madefacto, radicibus multis, obliquis,lignoſis.Naſcitur plurimum in Cappadocia & Lycia(vnde nomen ſuum *Lycium vbi proueniat.* ſortitum eſt)& pleriſque aliis locis,aſpera loca amat.Dioſcor.lib.1.c.114.Plin. lib.24.c.14.Gal.lib.7.ſimpl.medicam. *Lycium à Lycia.*

Indicum Lycium,inquit Amatus, ad omnia eſt valentius. Plurimum,teſte *Indicum Lycium* Garzia,naſcitur in Cambaia,prǽſertim in Bacaim,Manora,& Daman vrbibus Luſitaniæ regi ſubiectis,denique in continente Goæ.

Lapis Calleanus.) Hunc Rhamnuſius ait ſimilem fuiſſe Smaragdo,verùm *Calleanus lapis* aliquantò candidiorem. Forſan eſt qui Callais Plinio dicitur,viridis,pallens, *forſan Callais.* quem poſt auerſa Indiæ,apud incolas montis Caucaſi ait naſci,lib.37.cap.8.Vel *Vel Callimos.* eſt Callimus,de quo idem lib.36.c.21.

Saphirus.) Hebraicè ספיר *Saphir,* ſic ab elegantia, & pulchritudine di- *Saphirus.* ctus.In plurimis Indiæ locis naſcitur,vt in Calecut,Cananor,variis regni Biſnagar locis,præſtantiores ex Zeilan afferuntur, omnium verò laudatiſſimi ex Pegu:Garzias.

Ἐπιφορώτατος.) Ἐπιφορώτερος legendum.

Sinus Irinon dictus.) De hoc nihil potui inuenire apud veteres authores.

Βαράκης.) Βαράκη,Ptolem.inſula in Canticolpo ſita, Stephanus Baracani *Barace.* inſulam Gedroſiæ(quæ Guzzarat hodie dicitur)appellat.Adriano videtur eſſe inſula Diu.Caſtaldo Bazaim inſula.

Inſulas ſeptem.) Sic Ptolemæus poſt ſinum Colchicum meminit ἑπτὰ νησίας.

Serpentes ſignum.) De hoc ſuprà quoque ὄφεις. Græcè ſerpentes videntur *Serpentes.* dicti ἀπὸ τοῦ ὄπτειν,vt dracones,ἀπὸ τοῦ δέρκειν,videndo,quia animal eſt & viſu acer *Ὄφεις ἀπὸ τοῦ ὄπτειν.* rimo præditum,& prouidum,ſagax,ſolers,aſtutū.Geneſis 2. & Chriſtus,Eſtote,inquit,prudentes ſicut ſerpentes. Hinc σοφὸς(præpoſito σ) quaſi ὄφις vi- *Σοφὸς,quaſi ὄφις.* detur dictus.Hebraicè נחש dicitur,quod verbum experiri ſiue experiundo diſcere,argutari ſignificat.Sed hæc obiter.Arrianus noſter aliquoties in hoc pe- *Serpentum quatuor genera.* riplo ſerpentum mētionem facit,quorum ſpecies enumerat,vt ſunt ἐχίδναι viperæ,in inſula Dioſcoridis,σαῦραι,id eſt, lacerti.κροκότ), ſiue κροκοῖται, in Auſtrali regione Indiæ.δράκοντες dracones,ibid.γράαι Perſidis ſerpentes,ſiquidem ſunt ſerpentes,de quibus ſuprá. De ſerpentibus autem Indicis, præſertim *Serpentes Indici* Malabaricis atque Calecutiēſibus,& magnitudine, & figura, & actione atque virtute admirabilibus,ſeu potius monſtroſis,vide Scaligerum Exercit.183.184. De iiſdem plurima in veterum hiſtoricorum monumentis extant. Verùm in Calecutienſi regione monſtroſos imprimis ſerpentes naſci, minimè profectò *Serpentes Calecutienſes.* eſt mirum, quippe quum Tartareum illum ſerpentem ſiue Draconem, hoc eſt,Diabolum,apertè colere,atque venerari,haudquaquam reformident.

Ἀραβικῆς.) Forſan legendum ἀριακῆς Ariacæ. Ptol.poſt ſinum Barygazenū *Ariaca.* meminit ἀριακῆς Σαδανῶν.i.Ariacæ Sadanorum.

Mambari regnum.) Hoc videtur omnino eſſe regnum Cābaiæ hodie di- *Mambari regnū* ctum,de quo paulò póſt.

Mediterranea Scythiæ contermina Iberiæ.) Forſan pro Ἰβηρία legendum *Indoſcythiæ tres* Σαβειρία.Nam Ptolem.Indioſcythiæ, quæ iuxta Occidētalem Indi partem eſt, *partes.* quam Arrianus noſter ſimpliciter Scythiam appellat,tres partes,ſiue regiones *1.Patalena.* facit,nimirum Patalenam,quæ eſt circa diuiſionem oſtiorum Indi(de qua ſu-

Sabyria. prà.) Σαβειρίαν *Sabiriam*, quæ ſuprà Patalenam eſt ſita. Συραςτηνὴν *Syraſtenam*, quæ eſt circa oſtia Indi, & magnum illum ſinum Canticolpum dictum.

2.Syraſtena.

Syraſtrena regio. Canticolpus. Syraſtra vel Cābaia vel Decan, hodie dicta.

Συραςρήνη.) Infrà Syraſtrenam appellat. Ptolem. Syraſtre: nam regionem collocat in magno illo ſinu Canthicolpo dicto, in quo Indus in mare ſeſe exonerat, ſic proculdubio dictam à Syraſtra eiuſdem regionis vico, quem nonnulli Cambaiam, alij Decam, ciuitatem hodie dictam eſſe volunt. Niger, Poſt Gedroſiæ, inquit, vltimũ ab Oriente terminum, Syraſtrena prima Indiæ regiuncula in ſinu Canticolpo extenditur, vbi locus Nauſtathmus, hoc eſt, nauium ſtatio patet. Mox Indii fluuij oſtia in mare erumpunt. Eſt autem Syraſtena ex Belleforeſti & aliorum ſententia, regio propriè hodie dicta Cambaia, à Cambaia principe illius regionis ciuitate. Et certè Syraſtrenes regionis deſcriptio, qua hîc Arrianus noſter vtitur, propè admodum conuenit cum illis, quæ de Cambaia ab hiſtoricis traduntur. Cambaiæ enim regnum eſt prima Indiæ pars ad Solis occaſum, quæ Arachoſiæ terminis definitur, ad Meridiem mari, ad Occaſum Carmania, hodie Raſigut dicta, ad Ortum Paleacate, ad Septentrionem regno Sanmarcante (quæ fuit olim Parthorum regio) terminatur. Eã fluuius Indus, vnde India nomen duxit, interfluit. In eum ab Ortu & Occaſu fluuij complures illabuntur. Sinus ingens, in quem Indus influit, Canticolpus (forſan quaſi Sandicolpus) à ſcriptoribus antiquis appellatur. Regionẽ tanta fertilitate præditam eſſe perhibent, vt paucis iugeribus incredibilis hominũ multitudo ali atque ſuſtentari poſſit. Fruges varias, ſacchari quod Lagaram appellãt, magnam vim & fructus multiplices effundit, goſſipij atque ſerici multum in eo reperitur. Sic Arrianus noſter Syraſtrenam regionem frumenti, oryzæ, olei ſeſamini, butyri, carpaſi, &, quæ ex iis conficiuntur, othoniorum Indicorum πολύφορον. i. feraciſſimam appellat. Præterea Cambaia pecora & armenta innumerabilia nutrit. Sic in Syraſtrena regione Arrianus πλεῖςα βουκόλια eſſe dicit. Orã maritimã Cãbaię maxima ex parte Saraceni mediterraneam regionẽ homines dediti ſimulachris, colunt. Eſt gens quædam acris, quæ montes incolit, quæ poſtquam regis Mahumetis diſciplinis imbui cœperunt, ab illis deſciuit. Homines Reſbuti nominantur, & cum Regibus ſæpe bella gerunt. Mercatores ſunt ditiſſimi, vectigalia Regis ampliſſima, milites externi vberrimis à Rege congiariis alliciebantur, & ita fiebat, vt Cambaia patria quædam communis exiſtimaretur regni. Verùm de Cambaiæ regni regioníſque ſitu, & telluris fertilitate, & moribus gentis, qui plura cupit cognoſcere, legat Andream Corſalium, Ludouicum Vartomanum, Odoardum Barboſam, Summarium Orientale. Porrò principes eius regni vrbes ſunt Cambaia, non procul ab Indo ſita, quam nonnulli Syraſtram, alij Aſtragrapham olim dictam eſſe volunt. Item Diu ciuitas illius regni, in inſula quadam parua (quid ſi ſit illa, cuius paulò antea ab Arriano facta eſt mentio) exiguo ſanè freto à cõtinenti diſiuncta, quæ propter portus bonitatem, multos vndique mercatores ad commercium allicit, ita vt ſit emporium valde celebre, opibúſque multis opulentum. Curate ſiue Curati Mangalor cognomine, ſiue Surrate, ciuitas in portu ſita, quæ intimo ſinu, in quem Indus influit, definitur, quam nonnulli volunt eſſe Monogloſſum emporium Ptolemæi, iuxta Syraſtrum & Indi oſtia ſitũ. Chãpanellum, ciuitas regni illius ampla, & egregiè munita, quæ à Diu. 8, à Cambaia 2. à Curate quinque dierum itinere abeſt. Hanc Caſtaldus vult eſſe Aſtacapram olim dictam, de qua inferius. His adde Macauam mediterraneam, Bunbamum, Maimum, Dubezium, maritimas illius oræ ciuitates, de quibus vide paulò antè citatos authores.

Nauſtathmus. Syraſtrena hodie Cambaia. Cãbaiæ termini. Indus Cambaiã interfluit. Canticolpus. Cambaiæ fertilitas. Lagara ſacchari ſpecies. Syraſtrenæ fertilitas. Cambaiæ pecora. Cambaiæ incolæ. Reſbuti. Cambaia vel Syraſtra, vel Aſtragrapha. Diu ciuitas. Curate forſan Mongloſſum olim dictum. Champanellum forſan Aſtacapra. Cambaiæ ciuitates maritimæ.

Oryza.

Oryza.) Oryzæ magnam vim in Cambaienſi regione, quæ eadem eſt quæ Syraſtrena, hodie naſci Summarij Orientalis author, atque alij omnes teſtantur. Oryza Indorum cõmunis maximè, gratiſſimúſque cibus, plurima, optima, minu-

Oryza vbi plurima & optima.

minutissima candidissimáque hodie nascitur in Battecala regno. præsertim in Maganduo eius regni loco celebri. Ac quatuor quidem ibidem Oryzæ genera Indis celebrata in illo loco nascuntur, quorum primum & præstantissimum giracalli, secundum Iambucal, siue Chibu bacali, tertium Bachael, quartum Canacas appellant. Nascitur quoque ingens Oryzæ copia in Mangalor, & Cumbala, quæ sunt duo regni Narsingæ loca. Testis Odoardus Barbosa. Sūmarium Orientale. De Calecutiensium cum tripudiis, ac musicorum instrumentorum cantu adhibitis etiam cultu habitúque dæmonum denis hominibus, Oryzæ serendæ more ac consuetudine vide Ludouicum Vartomanum. *Oryzæ quatuor genera.* *Oryzæ serendæ mos monstrosus.*

Olei Sesamini.) Hoc etiamnum hodie Cambaiā abundare omnes testantur. Est autem oleum sesaminum, è sesamæ siue sesami semine expressum, quod semen in officinis notissimū, planta verò ipsa valde est rara. Sesama, inquit Plin. lib. 18. cap. 10. ab Indis venit, & ex ea oleum conficiunt, color eius candidus. Idem testatur lib. 6. cap. 29. Vt olim, ita hodie quoque plurimum in India seritur, similitérque oleum ex illa conficiunt, nō modo ad lucernarum vsum, sed etiam ad ciborum condimentum, qui oliuarum apud nos est vsus. In regno Cābaiensi siue Syrastrenensi (de quo nunc verba facimus) Indi quando sibi volunt mortem consciscere Amphiam (quod nonnulli volunt esse Opium) cum oleo sesamino deuorant, atque ita sine magno cruciatu quasi dormiendo mori dicuntur, testis est Odoardus Barbosa. De olei denique Sesamini viribus egregiis vide Dioscorid. lib. 2. cap. 93. Plin. lib. 23. cap. 4. vbi etiam iidem authores de variis oleorum generibus, singulorúmque viribus disserunt. Hodie quoque apud Indos, Æthiopas, populos illos Orientales multiplicia sunt factitiorum oleorum genera. Oleum, inquit Plin. lib. 15. cap. 7. Indi olim ex castaneis, sesama atque oryza facere dicebantur, Ichthyophagi ex piscibus, atque etiam ex sale, teste Nearcho. Sic Arrianus Dioscoridis insulæ incolis lacertorum pinguedinem olei loco fuisse testatur. Hodie oleo cocci Malabarenses vtuntur ad sananda vulnera, vt ex Summario Orientali constat. Enna, siue Hena frutex est in Troglodytica viticeis pampinis similis, cuius succus oleū est, odore nullo, colore aureò. Hoc oleo (teste Francisco Aluarezo) Æthiopes vtūtur, qui oliuis carent. Eodem oleo, teste Ludouico Vartomano, Calecutiēses in suis sacrificiis caput inungunt, ad peccatorum veniam obtinendam. Ex zenzerlino quoque siue zerzelino Calecutienses, apud quos copiosissimum prouenit, oleum perfectissimum conficiunt, teste Ludouico Rom. Eiusdem olei, eodem teste, in Zeila quoque Æthiopiæ vrbe (de qua suprà) magna est abundantia. Quid autem sit zerzelinum, non tradunt. In insula Vēdemao quæ ab incolis Migindanao dicitur ex sagu (quæ est arbor) non modo panem, verum etiam oleum conficiunt, vt tradit Antonius Pigafetta, Ioannes Gaetanus Castillioneus de Molucis insulis. Ex cannella in Zeilan insula oleum odoratissimum exprimunt, quo Indi ad se vngendum vtuntur, teste Nicolao Contio. De oleo Senegæ vide Scaligerum exercitat. 158. *Olei sesamini copia in Cambaia.* *De sesamo Indico vide Diod. Siculum lib. 3.* *Olei vsus in India.* *Amphiam nōnulli volunt esse Opium.* *Olei sesamini vires.* *Olei factitij apud Indos & Æthiopas varia genera.* *Oleum cocci.* *Oleum ennæ.* *Oleū zerzelini.* *Oleum ex sagu arbore.* *Oleū ex cānella.*

Butyri.) Eiusdem hodie quoque in Cambaia magna est copia, vt Summarium Orientale testatur. *Butyrum.*

Καρπάσου.) Epotus *καρπάσου ὀπὸς*, hoc est, carpasi succus soporem, citámq; strangulationem adducit. Dioscor. lib. 6. cap. 43. Quodnam autem hodie plantæ genus nobis carpasum dici possit, Mathiolus se fatetur ignorare, idémque carpasum, carpesiam, & carpesium dicit sibi non videri vnam esse plantam vt multi existimēt. Hoc in loco Rhamnusius putat legendum *κάρβασος* quod species est lini subtilissimi, ex quo pręcipua fiunt vela nauium, quæ & ipsa ab hoc plurali numero carbasa neutro genere dicuntur. *Carpasus.*

Ex qua .s. carbaso Indica Othonia.) Q. Curtius lib. 8. de Indorum habitu verba faciēs, corpora, inquit, vsque ad pedes Carbaso velata. Et paulò post. De Regum vestitu. Distincta sunt, inquit, auro, & purpura carbasa, quæ indutus est.

Hodie in Cambaienſi terra ſericarũ, Goſſipinarum aliarúmque multiplicium veſtium atque pannorum præſtãtiſſimorum maximam copiam reperiri Summarium Orientale, & alij teſtantur. Præterea verò quæ ſunt commemorata maxima in Cambaienſi terra hordei, millii, omnis generis leguminum, fructuum, ſeminum, amphiã, quo Rex Veneris gratia vtitur, ſtoracis liquidi copia reperitur. Sunt quoque in ea multa aromatum atque thymiamatum genera, quæ nobis ſunt incognita. Eiuſmodi eſt alaquequas, Endego ſiue Indaco (coloris cuiuſdam ſpecies) pucho, ſiue puchou (radix rapontico ſimilis) caco, ſiue cachou (terra laccæ ſimilis) borraxo, &c. Naſcuntur præterea in ea maiolicæ, corniolæ, chalcedonii præſtantiſſimi.

Fructus Cambaienſis regionis. *Aromata Cambaiæ.* *Gemmæ in Cambaia naſcentes.*

Βυκόλια.) Boues in Cambaia ſylueſtres, ſetis equinis, & proceris cornibus præditi. Bobus etiam in Cambaia quibuſdam cùm ad portãdum onera clitellatis, tum etiam ad equitandum vtuntur. Equorum & elephantorum ibidẽ maxima copia. Rex enim ferè triginta millia equorum, & ccc elephantos alit. Principes Saraceni ſinguli quingentos, aut etiam ſexcentos equos habent. *Animalia Cambaiæ.*

Viri vaſto corpore.) Omnia enim ferè maiora in India quàm in reliquis orbis terrarum partibus naſcuntur. Vide Plin. lib. 6. cap. 2. Cambaienſes hodie artifices ſunt ingenioſiſſimi, mercatores valdè induſtrii, bellatores acerrimi. *Omnia ferè in India magna. Cambaienſium ingenium.*

Nigro colore.) Communis ferè Orientalium color ob magnam vim caloris, qui apud illos dominatur. *Orientales ferè nigri.*

Minnagara.) De hac ſuprà. Caſtaldus vult hodie Maciquepatan appellari. *Minnagara.*

Alexandri.) De huiuſmodi Alexandri in India monumentis, vide plura apud Philoſtratum lib. 2. ſub finem, Arrianum lib. 8. *Alexandri monimenta in India.*

Aſta, & Traperã.) Infra Aſta campra appellat. Videtur ergo hîc eſſe mendum. Aſta Ptolem. Drangianæ regionis ciuitatem facit. Eſt quoque eiuſdem nominis alia vrbs. Plin. lib. 3. cap. 5. Item lib. 35. cap. 12. *Aſta.*

Papicæ.) De hac nihil potui inuenire. *Papica.*

Τόπος.) Forſan legendum ποταμὸς. nam ſtatim ſequitur, in cuius oſtio, &c.

Bæones inſulæ.) Ptolemæo βωνὶς flu. eſt iuxta Indum fl. in Indoſcythia.

Maximus fluu. Mais. Oſor. lib. 6. Maim fluuium per regnum Cambaiæ ait defluere, in quem Almeida Luſitanus anno 1519. delatus fuit, ibíque vidit in oppido peruetuſto, maximum, & ampliſſimum templum, & campum latiſſimum, in quo erant ſepulchra innumerabilia. Quum ab incolis ſciſcitaretur, quid infinita illa mortuorum monimenta deſignarent: reſponderunt illi, qui ſapientes exiſtimabantur, antiquiſſimis regionis illius monimentis, & ſcriptis contineri: Herculem in Indiam cum maximo exercitu penetraſſe, & in eo loco bis cum Rege quodam potentiſſimo collatis ſignis, conflixiſſe, & vtroque prælio ſuperatum fuiſſe. Vt autem tàm præclari facinoris memoria conſeruari poſſet, inſtitutum ab antiquis fuiſſe, vt locus ille in quo milites Herculis ceciderant religione conſecraretur, & illa ſepulchra inuiolata permanerent. Hæc illi prædicabant, quibus quanta ſit habenda fides, liberum ſit ei, qui velit, iudicare. Almeida inde profectus Dium vela dare iuſſit. Hæc Oſorius. Hinc conſtat hunc fluuium adhuc antiquum nomen retinere. Mai inter clariſſimos Goę (quæ eſt in ſinu Barygazeno) portus in Summario Orientali numeratur. Maim Ioannes Barroſus vnam ex ciuitatibus regni Cananor eſſe ſcribit. Denique Maim, Maimi, & Vmaini tres regni Cambaiæ portus maximè illuſtres Summarium Orientale celebrat. Videntur itaque omnia hæc loca ab illo fluuio Maim fuiſſe denominata. *Mais fluuius. Tẽplum vbi multa ſepulchra. Hercules à rege Indorum victus. Mai portus. Mais vrbs Cananor.*

Barygaza.) Arrianus poſt Sinthum fluu. poſuit ſinum quendam ἀθεώρητον quem Irenum appellauit, poſt Irenum Baracẽ, poſt Baracem denique vult ſequi ſinum Barygazenum, in cuius deſcriptione nunc verſatur. Ptol. in Indoſcythia in Canthicolpo poſt Syraſtrenam ponit Laricam cui ſubiungit ſinum Bary- *Barygaza.*

Barygazenum, ipsam verò Barygazam emporium ac metropolim mediterraneam, vnde sinus ille fuit appellatus, in Zarica ab occasu Namadi flu.

Niger Barygazam emporium, à quo sinui nomen inditum, ait hodie Amadauche ab incolis nuncupari nomine nimirum amnis cui adiacet, qui & ipse olim quidem Namadus à Ptolem. hodie ab incolis Amadauche appellatur, Plinio lib.6.cap.29. Baragaza est Æthiopiæ oppidum. Rhamnusio verisimile videtur Barygazam fuisse in latere Calecutiensi, non procul ab ostiis Indi, & alio in loco difficilis esse coniecturæ ait, quænam vrbs in litore Calecutiensi Barygaza illa clara & illustris (quæ vna cum fluu. septẽdecim grad. esse dicitur) extiterit, verisimile tamen esse eam in hoc ipso litore Calecutiensi fuisse nõ procul à Goa. Belleforesto regio Calecutiensis videtur ea esse, quæ olim Limyrica dicta est propinqua regioni Aiorum. Est autem Amiadiua, siue Anchediua, quam Niger vult esse olim dictam Barygazã insula non valde magna in medio latere Calecutiensi sita, septẽdecim grad. à continente duobus milliaribus, siue (vt alii volũt) circiter quatuor passuum millia abest, in cuius medio magnus est lacus aquæ dulcis, nõ procul ab illa absunt tres insulæ Ghediuæ dictæ. Alliga fluu. per medium eius insulæ sese in mare exonerat. Portugallenses ex Melinde plærunque in hanc insulam traiiciunt, Calecutium petentes.

Barygaza hodie Amadauche Nigro. *Namadus fl. hodie Amadauche.* *Barygaza videtur omnino fuisse in litore Calecutiensi.* *Calecutiensis regio olim Limyrica.* *Amiadiua insula.* *Lacus aquæ dulcis.* *Alliga fluuius.*

Lamnæus fluuius.) Hunc Niger vult hodie Amadauche siue Amiadiuã appellari. Ptol. fluuium Barygazam præterfluentem Namadum appellat. *Lamnæus fluu.*

Τενιά.) Ταινία Straboni terra angusta inter mare & fossam.

Καμμονί.) Vicum. Ptol. Καμάνην Camanem appellans, ponit in sinu Barygazeno. Hunc nonnulli volunt esse celeberrimum illud Orientis emporium Calecutium, quod in medio ferè Malabaricæ regionis, non procul à mari situm est, de quo infrà. Alii tamen non Camani, sed Cottiaram volunt esse Calecutium. Niger. Quo circumflexo in sinu Barygazeno Camanes ciuitas est cum fluuio, modo Cambayth ab incolis dicitur, emporium nobile, cui optimus subest portus. De Cambaia suprà dictum est. *Camana nonnullis Calecutium.* *Calecutium nonnulli volunt olim Cottiarã dictã.* *Camane Nigro Cambaia olim dicta.*

Astacampron.) Ptol. ἀστακάπρα ciuitatem ponit in Syrastrena regione ad occasum Indi fluu. Iacobo Castaldo est Campanir siue Campanellum hodie dictum Cambaia oppidum amplissimum atque clarissimum, de quo suprá. *Astacapra hodie Campanellum.*

Ῥυμουλκεῖν.) Remulcare veteres Latini dixerunt, Liuius remulco trahere, quod fit quum scaphę remis magna nauis trahitur. *Remulcare.*

India vniuersa fluminibus.) Strabo lib.15. Indiam ποταμοῖς κατάῤῥυτον. i. fluuiis plurimis & maximis irriguam esse dicit, quorum duo principes, Indus & Ganges, qui Indiam quasi alteram quandam Mesopotamiam vndique cingunt. Post hos maximi sunt Hydaspes, Acesones, Hydraotes, Hyphasis. Præter hos alii sunt innumerabiles, atque hinc quidem tanta est Indiæ fertilitas, & rerum Indicarum moles atque magnitudo. Plin. lib.6. cap.17. amnium vastitatem in India esse dicit. Arrianus tot in India fluuios esse dicit, quot sunt in reliqua Asia. Seneca teste Plinio, sexaginta Indiæ amnes prodidit, gentes centumoctodecim. Diodorus quoque Siculus lib.2: Indiam regionem prętantissimam fluminibus plurimis distinctam esse ait. *India fluminibus abundat.* *Indiæ præcipua flumina.*

AEstus.) Æstus vsitata significatione duplex est motus, ac verè duplex, in seipsum nimirum replicatus, qui eleganter à Strab. lib.1. respirationi comparatur quæ & ipsa duplici motu cordis constat. πλημμύρα, Græcis est alter motus. i. exundatio siue profluxus maris, ἄμπωτις verò. i. reciprocatio, vbi mare reciprocando se recipit. De huiusmodi maris fluxu & refluxu, siue reciprocatione eleganter differit D. Ambrosius Hexamet.4. Leuinus Lemnius de occultis naturæ miraculis lib.2. eum Lunæ, vt hîc noster author de mari Indico affirmat, acceptum referens. Contra tamen Picus Mirandula cap.4. contra Astrologiam diuinatricem Indici maris, atque Persici æstum, neque in Lunam, neque in signorum qualitatem, sed in Solis positum, conditionémque mate- *AEstus maritimus.*

Persici sinus æstus. *Indici maris æstus.* *Æstus multiplex.* *In Sur Oceano nullus æstus.* *Maris Erythræi æstus.*

riæ referendum esse hoc modo probat. Persicus enim, inquit, sinus Sole virginem ingrediẽte agitatur, præcipuè cùm peruenerit ad sagittarium, placidum verò est & tranquillum, quum ad Pisces & Geminos. contrà Indicum sub Virgine & Sagittario tranquillum, sub Piscibus & Geminis est innauigabile. Verùm de huiusmodi æstus diuersitate in diuersis regionibus multa elegãter disserit Scaliger exercit. 52. Non est, inquit, vel reuersio, vel occupatio, liberatione litorum locis omnibus. In Oceani Sur litore Boreali nullus æstus est. In Britannico vehemens vbique. In Australi Sur ad Beragam validus: in Ligustico vestigium nullum. In plaga Indica secundum Gangis, atque Indi fauces magnus. In Erythræo tantus, vt osores sacrarum literarum temerè mentiti sint Mosem in sicco trãsmisisse nactum refluxionis occasionem, quod tamen fieri non potuit. Propterea quòd ad Sues vsque, quod intimo in recessu iacet, mare operit litus illud, neque vnquam regrediens ita nudat, vt inferiores partes, quà transierunt Hebræi, sua decessione aperiat. Non est autem vbique similis. Maxima ex parte senis prorsum rursum mouetur horis, quemadmodum in Adriatico. Garumnæ fauces septenis ingreditur Oceanus, quinis egreditur. Ad Genegam Æthiopiæ quaternis accedit, octonis recedit. Sed & in Calecutio mari incrementa fiunt pleniluniis, contrà ad Indi fluuii litus, nouiluniis. Est præterea lentior alicubi, incitatior alibi. Cur autem iisdem penè litoribus ad Calecutium pleniluniis, ad Indi fluuii litora nouiluniis Oceani fiant incrementa Scaliger causas reddit, quas ibi poteris videre. Ludouicus quoque Vartomanus lib. 4. cap. 1. Ad Cambaiam amnes non nisi decrescente Luna augescere dicit, quum apud nos pleniluniis tumescant mirum in modum.

Difficiles & periculosi imperitis.) Sic Alexandri Magni Classem huiusmodi reciprocationis ignoratione magnam iacturam fecisse, testis est Arrianus libro 6.

Aἰ.) Videtur οὐ legendum.

Συναπτομένης.) Forsan συναυξομένης legendum.

Amnium Indiæ ratio.

Et flumina sub ingressum.) Sic Arrianus Indiæ amnes scribit circa æstiuum solstitium plenos & turbulentos fluere, ac incitatissimos ferri. Quomodo autẽ cæli pariter atque aquarum rationes seu qualitates nauigantibus sint obseruandæ vide Calcagninum de re nautica, quæ quidem huc faciunt. Ibidem etiam de fluuiorum vario motu, incrementis, & decrementis agit.

Aratrij.

Aratrij.) Forsan Arij. Ariana gens contermina Indiæ, Plin. lib. 12. cap. 8.

Rachusii.

Rachusii.) Forsan Arachotæ, siue Arachosii.

Tantharagi.

Tantharagi.) Forsan Paropamissadæ. Plin. lib. 6. cap. 2. Plærique ab Occidente Indiam non Indo amne determinant, sed adiiciunt quatuor satrapias, Gedrosos, Arachotas, Arios, Paropamissadas.

Τῆς προκλίδος.) Infrà προκλαΐδα appellat. Ptolem. Φωκλίδα *Phoclida* appellans in Arachosia ponit non procul ab Alexandria, quam Arrianus hîc subiungit. Proclaida Ptolem. ponit inter Suastum, & Indum, in regione Gandarorum, quos Plinius & Mela Gandaros appellant. Proclais, Peucolaitis, Straboni iuxta Nauibibim oppidum.

Bactriani. *Bactria hodie Boccara.*

Alexandria Bucephalos.) Hæc vrbs in Hydaspis flu. ripa ab Alexandro cõdita fuit eo ipso in loco vbi Porum superauit, eámque sic cognominauit ab equo nobili, qui in eo prælio cecidit. Alii super equo mortuo cõditã esse dicũt. De illo equo vide plura apud Plin. lib. 8. c. 42. Arrianũ lib. 5. Gal. lib. 2. & 5. Hãc vrbem hodie Gelfeten appellari, testis est Ger. Mercator. Bactriani dicti à Bactra fluuio, à quo Bactra regio, & Bactrum vrbs regia quondam Ariaspe, siue Zariaspa dicta. Bactria hodie Boccara. Bactriana regio Zagatoræ, Tartarica pars quæ Sãmarant appellatur. Alii Battoram volunt hodie appellari. Bactri, inquit Plin. lib. 6. c. 16. quorum oppidum Zariaspe quod postea Bactrum à flumine appellatum est, obtinent aduersa mõtis Paropamissi, & aduersus fontes

Indi

Indi includuntur flumine Ocho. Vltra Sogdiani oppidum Panda,& in vltimis eorum finibus Alexandria ab Alexandro Magno conditum oppidum. Aræ ibi sunt ab Hercule & Libero patre constitutæ,item Cyro & Semiramide, atque Alexandro. Apud hos,eodem teste libro 31.cap.7.& amnes duo sunt insignes, Ochus & Oxus salis ramenta deferentes, & duo lacus vasti, quorum alter est ad Scythas versus,alter ad Arios sale æstuātes.Smaragdi Bactriani,vt Plin.lib. 37.c.5.inquit,optimi,quos in commissuris saxorum colligere dicuntur Etesiis flantibus. *Q. Curtius. Lacus Ochus,& Oxus saliferi. Smaragdi Bactriani.*

Gens bellicosissima.) Idem testatur Q. Curtius libro 4. Proximos,inquit Ammianus Marcellinus lib.23. Margianis limites possidēt Bactriani natio antehac bellatrix & potentissima,Persisque semper infesta.&c. Illorum terram Strabo statim ab initio libri 2. εὐδαιμονεστάτην & εὐφορωτάτην appellat. de qua multa Marcellinus,& Qu.Curtius.

Ὑπὸ βασιλέα ἦσαν ἴδιον τόπον.) Locus videtur esse corruptus. Forsan τόπον redundat. Sensus est illos proprium habuisse Regem. Antiquissimus Bactrianorum rex fuit Zoroastres,qui magicas artes inuenisse,& numeri principia,sydérúmque motus diligentissimè spectasse dicitur. Iustin. libro 1. Sic Amm. Marcellin. Bactrianam gentem,inquit,rexere veteribus seculis etiam Arsaci formidabiles Reges. *Zoroastris rex Bactrianorum.*

Ab his partibus Alexander vsque ad Gangem prog.) Plinius libro 6.cap. 27. Hyphasim Alexandri itinerum terminum fuisse vult, exuperato tamen amne,arísque in aduersa ripa dicatis. Arrianus libro 8. Indi, inquit,ostia Patalámque, & quæ in Meridiem spectant, Alexander,& Macedones, & plerique Græcorum viderunt. Quæ verò ad Orientem sita vltra Hyphasin amnem,ea nec Alexander, nec suorum quisquam adiit. Secus ergo illi, quàm Arrianus noster,qui illum ad Gangem vsque progressum fuisse scribit. *Hyphasis Alexandri itinerum terminus.*

Non defuerunt,qui eum Gangem transiisse affirmarunt. Verùm in huiusce expeditionis Alexandri in Indiam descriptione historici sæpe plus adulationi,quàm veritati seruierunt: vt Strabo & alij monent. De illa expeditione vide Plin.lib.6.c.24. vbi terminum illius,à quo facit Xylenepolim vrbē ab Alexandro conditam.

Limyricam.) Hanc Ptolem. ponit inter regionem virorum piratarum,& Aiorum. *Limyrica.*

Australia Indiæ.) Hanc regionem Dachinabadam appellans,paulò pòst describit.

Ozena vrbs,in qua regia.) Ptol. Ozene Tiastani regia ab Occasu Namadi fl. iuxta Minagaram. Castaldus eam hodie vult Pale vocari. *Ozena hodie Pale*

Ὀνυχλιν.) Onyx,vel onychinus,Hieronymo ὀνυχίον onychium. Epiphanio gemma est valde flauo colore, qua Regum & diuitum sponsas plurimum delectari aiunt,quæ hanc gemmam in poculorum vsum conuertunt. Sunt & alij onychitæ æquiuocè dicti,qui ceræ mellis colorem habentis sunt similes. Aiūt autem aliqui eos ex aqua coire,ac veluti congelari: onychitas appellant, à natiuo eorum colore,quia elegantium virorum vnguis sit marmori similis,non sine colore sanguinis tamen. Alij verò sanè,& ipsum marmor ab exploratione vnguis onychitam vocant,falso nomine propter puritatem albedinis. Hæc Epiphanius libro de duodecim gemmis. Alabastrites lapis, Dioscor. etiam onyx appellatur. שהם *Schoham* vocem(cuius & in rationali Aaronico & Gen.2. fit mentio,quíque in regione Hauilah.i.India,reperiri dicitur.) Aquila, Symmachus,& Theodotion,onychinum interpretati sunt, quos sequitur Pagninus in suo Thesauro. Septuaginta Prasinum verterunt. Chaldæus paraphrastes & Rabbi Ioseph Sardonium. Schoham,inquit, Agon Hebræus,lapis est pretiosus,candidus & permixtus(quod onychi conuenire videtur) vt citat Aben Ezra,se quidem ignorare professus. Sardonyx & onyx duæ sunt gemmæ vnius *Germanicè onychel. Onychinus lapis. Schoham lapis.*

generis, ſardonyx autem pretioſior eſt ſardio & onyche mixtus, quē olim Romanis maximo fuiſſe in pretio author eſt Demoſtratus. Arrianus noſter ter onychini lapidis mentionem facit, eúmque in Barygazeno ſinu atque Dachinabade, hoc eſt, Auſtrali Indiæ regione naſci ſcribit, quod ſacris Literis conuenit, quæ illum in terra Hauilah, id eſt, India citra Gangem reperiri teſtantur.

Procles. Διὰ προκλαίδος.) Suprà Proclida appellauit. Ptolemæo eſt inter Suaſtā & Indum. Proclaida appellat ciuitatem Saudanorum Indo oppoſitam, qua Alexander facto ponte traiecerit exercitum.

Cattyburinæ, patropapige, cabalite.) Videntur nardi eſſe ſpecies, ex quibus me non poſſum explicare. Arrianus noſter infrà quartam ſpeciem nardi addit, γαπανικὴν appellans quam in Muzyri atque Nelcynda ait naſci, & quintā quā

Nardi ſpecies. γαγγιτικὴν appellat. Nardum Indiæ vbi naſcitur Cachzcara. Arabes, teſte Auicēna libro 2. cap. 646. Cembul, quod eſt ſpica, & Cembul Indi, id eſt, ſpicam Indicam appellant. Matthæus Syluaticus cap. 640. Simibel & Sumbel eā appellat, quæ nomina Garciæ videntur corrupta. Apud Dioſcoridem porrò & Pliniū

Nardus Indica. has nardi ſpecies inuenio. Prima eſt Ἰνδικὴ Indica, ſecundum Dioſcoridē, Plinium & alios. Sic Strabo lib. 15. ex Ariſtobulo probat Indiā auſtralem (quam Arrianus Dachinabadem paulò pòſt appellat) habere cinnamomum nardum & alia aromata, quemadmodum Arabia & Æthiopia cùm regionibus illis ſolo perſimilis ſit, differat autem aquarum abundantia, vnde aer illius vdus ſit, fœcundus, & valde nutritiuus.

Nardus Gāgitis Secunda eſt γαγγῖτις, cuius infrà Arrianus meminit, ſpecies Indicæ nardi, à Gange vbi naſcitur, nomen ſortita, de qua ſic Dioſcorides. Ex Indica autem nardo, quædam Gangitis vocatur, à fluuio Gange, apud quem enaſcitur, montem præterfluente, quod genus ob multam loci in quo prodit, vliginem, viribus infirmius eſt, atque procerius adoleſcit, plures ferens ſpicas, ab vnica radice comoſas, vnáque conuolutas, ac grauiter olentes. De eodem ſic Plinius libro 12. capite 12. Alterum eius genus apud Gangem naſcens damnatur in

Nardus Gāgetica Ozenitis dicta totum, Oſenitidis nomine, virus redolens. Vterque ergo Dioſcorides & Plinius, Gangitidem, ſiue Gangeticen nardum à graui odore Oſenitida aiunt appellari, nempe ἀπὸ τοῦ ὄζειν. Quid ſi potius Ozenitida dicamus nardum appellatam ab Ozene vrbe, ex qua & per quam (Arrianus noſter teſtis eſt) nardum & alia huiuſcemodi in Barygazam fuiſſe deportari ſolita. Cæterùm hodie quoque in Mandou & Chitor prouinciis, regnis Delli, Bengalæ, & Decan vicinis, iuxta fluuium Gangem (de quo infrà) nardum naſci, Garzias teſtatur. Idem quoque vult vnica nardo, quæ iuxta Gangem oritur, quæque in Occidentem exportatur, hodie medicos cùm Indicos, tum Turcas, Perſas & Arabes vti, idq; genus nardi, quod Sepelueda Satiech & Satiach appellat, id eſſe quod ex Satiguam affertur, celeberrimo regni Bengalæ portu, & emporio ad fluuij Gangis oſtia, de quo infrá. Et hæc de Gangetica nardo. Quid ſi igitur pro γαπανικὴ infrà legendum ſit γαγγικὴ, cuius infrà meminit, quæ à Dioſcoride γαγγῖτις dicitur.

Nardus Arabica. *Nardus Æthiopica.* Tertia eſt Ἀραβικὴ, & quarta Αἰθιοπικὴ Arabica & Æthiopica, cuius paulò antè ex Strabone facta eſt mentio, de quibus nihil apud Dioſcoridem & Plin. inuenio.

Nardus Syriaca Quinta eſt Συριακὴ Syriaca, cuius Dioſcorides pariter & Plinius meminerunt. Hanc Dioſcorides ait ſic appellatam eſſe, non quòd in Syria proueniat, ſed quòd montis in quo oritur pars vna ad Syrios, pars altera ad Indos flecta-

Nardus Syriaca videtur ea quæ in Syraſtrene regione naſcitur. tur. Verùm Mathiolus eam potius à Syraſtrene regione (de qua ſuprà) quæ ad Indicum fluuium eſt, quàm à Syria ſic appellatam fuiſſe exiſtimat, quandoquidem ſi Ptolemæus vera refert, mons in India viſitur, qui à Gange fluuio ad Syraſtrenem extenditur. Hanc Mathioli coniecturā Arrianus noſter videtur

egregiè

egregiè confirmare, qui & in Barbarico emporio, quod eſt in Syraſtrena regione,& in Barygazeno ſinu,qui Syraſtrenæ eſt vicinus, nardum dicit reperiri.Sic hodie in Cambaia,quam dixi eſſe Syraſtrenam olim dictam,nardum plurimam naſci,teſtis eſt Ludouicus Vartomanus.

Sexta eſt ὀρεινὴ montana, quam Dioſcorides ait in monte, quem Ganges præterfluit,naſci,paulò odoratiorem. Idem tamen capite 8. nardum montanam thylacitim & pyritim à nonnullis dictam ait, in Cilicia & Syria naſci, quam ibidem pluribus deſcribit. Galen.lib.8.ſimplic.medicamentorum nardum montant thylacitim & pyritim à nonnullis dictam, plurimam in Cilicia ſcribit naſci. *Nardus mõtana*

Septima, Σαμβαειτική,cui nomen locus indidit,teſte Dioſcoride,quę etiam ſpecies eſt nardi Indicæ. *Nardus Sambaritica.*

Octaua eſt Κελτική,cuius Dioſcorides cap.7.atque Plinius meminerunt, quã Dioſcorides in Liguriæ alpibus aliungia patrio nomine appellatam,in Iſtria prouenire dicit. Nona Cretica,quam Plinius commemorat. Decima Italica vulgò lauanda,ſiue lauandula dicta. Atque hæ ſunt nardi differentiæ,nimirum Ἰνδική,Γαγγῖτις,ſiue γαγγική,quæ etiam Ὀζηνήτις dicitur: Ὀρεινὴ, quæ etiã Θυλακίτις,νίεις,& πυρίτις dicitur:Σαμβαειτική, Συειακὴ, Κελτικὴ, Κρετικὴ,Ἰταλική. De his verò quæ hîc ab Arriano commemorantur nardi generibus,nihil inuenire potui,niſi forſan hæc ipſa vel aromatum quorũdam vel lini nomina ſunt, atque genera,doctioribus me diiudicanda relinquo. *Nardus Celtica Gallica.* *Nardus Cretica* *Nardus Italica.*

Μελίλωτον.) Μελίλωτος ſiue μελίλωτον melilotus Latinè, & ſertula campana. Arabicè *Alchilelmelich*.Herba eſt,vt eam Serapio ex authoritate Iſaac Ebenamram deſcribit,quæ folia fert rotunda & viridia, ramulos emittit admodum exiles,in quibus folia rara. Semen gerit in ſiliquis tenuibus,ac rotundis,quæ grana includunt pauca,glauci coloris,rotunda, infra ſinapis magnitudinem. Sertula campana dicitur:& quia coronas ex illis antiquitas factitauit, & quia laudatiſſima in Campania circa Nolam naſcitur,vt ex Dioſc.lib.3.c.41.&Plin. lib.21.cap.9. conſtat. *Melilotum.*

Σανδαράκη.) Σανδαράχη, Græcè per χ. Sandaracha vocabulum eſt æquiuocum. Arabibus enim eſt gummi iuniperi,ſiue iuniperium, cuius Plinius lib. 13.capite 11.nullum vſum eſſe dicit,quum tamen & Serapio, & Galenus libro 6.ſimplicium medicamentorum multas & magnas eius vires tradat. Gummi, hoc eſt maſtichæ ſimile,quod & ſandaracham,& vernicem appellat. Græcis verò ſandaracha eſt foſſilis arcenici, ſiue auripigmenti genus: erodens & exitiale medicamentum,de quo Dioſcorides libro 4.cap.81.Eſt & ſandaracha Plinio ceraginoſi mellis genus,de quo ſcribit lib.9.c.7. Sic diſtinguit Mathiolus in lib.1 & 4.Dioſcor. *Sandaracha.*

Στίμμι.) Στίμμι Græcè,Latinè ſtibium. Arabicè *aumad* ſeu *atimad*, recentioribus medicis, chymiſtis, ac ſeplaſiariis, qui Mauritanorum doctrinam ſectantur, Antimonium dicitur,quòd hoc nomine Serapio & Auicenna ſtibium appellauerint.Itali ſtibio & antimonio.Germani *Spieſs glaſs*.&,*Roc ſpieſs glaſs* appellant. Huius fodinæ multæ in Senenſi agro,præſtantiſſimum foditur,in maritimis Maſſano ſolo ac Suanenſi, quinetiam in comitatu S. Floræ prope Syluenam oppidum.De illius viribus,ac vi deiectoria,vide Dioſcoridem libro 5.cap.59.Galenum lib.11.ſimpl. medicamentorum. Mathiolum in Dioſcoridem. Illius quoque egregius vſus ad campanas ſonoras, & vaſa ſtagnea efficiendum,ad metallica,ad ſpecula polienda,ad chalcographicos characteres & typos effingendum. *Stimi vulgè ſtibium.*

India mediterranea multas regiones,deſerta,montes.) Q. Curtius libro 7. India tota fermè ſpectat Orientem, minus in latitudinem, quàm rectà regione ſpatioſa,quæ Auſtrum accipiunt,in altius terræ faſtigium excedunt. Auſtralẽ hanc regionem Arrianus noſter Dachauabadam dicit appellari.

Montes Indiæ.

Montes magnos) Hinc Plinius libro 6. cap.17. Par labor, inquit, sit montes enumerare. Iunguntur inter se Imaus, Emodus, Paropamissus, Caucasi partes à quibus tota decurrit in planitiem immensam, & Ægypto similem.

Quintus Curtius libro 7. Animalia, inquit, insitata cæteris gẽtibus nisi inuecta.

Ferarum varia genera) Animalia nobis incognita India habet plurima. Ex quadrupedibus leones, Rhinocerotes, Griphes qui & alati sunt, Elephantos numeros & vastos, arationi & armis aptos. Affricanis maiores pardalos, tigrides, Capricanes, simias multiformes. Reptilia ibi sunt, Dracones, aspides, cæteríque generis immanes, horrendíque serpentes, scorpiones etiam alati. Aquatilia, Amphibia, Hippopotamus, Crocodilus Gangis, Indi atque Nili. Aues non paucas habet nostris dissimiles, & alias, quæ nobis desunt, veluti variæ speciei Psittacos, quibus referta est.

Animalia Indiæ.

Pardales.

Pardales) Pardales cœsijs, hoc est, glaucis oculis præditę, semper, vbique, omnibus, feræ, sæuæ, immanes. De Arabicis, Troglodyticis, Indicis vide Agatarchidem, Strabo libro 16.

Trigides.

Tigrides) Hircani (quorum regio hodie Diargument dicitur) & Indi, inquit Plinius lib.8.cap.18. ferunt, animal tremendæ velocitatis (vnde Tigris fluuius appellatus) & maximè cognitæ, dum capitur. Idem de Tigridis & Elephãti venatione agit. lib.6.cap.22. Et Asangi populi Indiæ in montana regione, teste Plinio lib. 6.cap.20. & Besingæ populi vicini Berimuleis teste Ptolemeo & Goa Insula, teste Andrea Corsalio, & Palimbotra ciuitas posita supra Gangem (hodie Aua dicta) teste Ramnusio de Iamboli nauigatione, tigribus alíisque huiusmodi feris scatent.

Idem de AEthiopiæ montibus circa Excoocum testatur oculatus eius rei cũ maximo vitæ suæ periculo testis Franciscus Aluarezus in suo itinerario. Inde verisimile est regem AEthiopiæ Tigremahon ab hoc fuisse appellatum.

Cynocephalus animal

Cynocephalorum varia genera) Cynocephalus animal ex simiarum genere humana specie, de quo vide mira apud Cæl.lib.25.cap.18. Cynocephali admirabilis descriptionem vide apud Scaligerum, exercitat. 213. quem se in aula regis Galliarum vidisse scribit. Cynocephalorum lacte Menismminos AEthiopiæ gentem vesci, testis Plinius lib,7.cap.2. De variis in genere ac multiplicibus simiis Arabicis, AEthiopicis, Indicis, vide Ludouicum Vartomanum. Plinium lib.8.cap.54. Philostratum libro 3. & alios innumeros. Herod. libro 4. apud Arabas pastorales dicit esse Cynocephalos. Diodorus Siculus libro 5. in Troglodytica descriptione, eosdem describit. Sint etiam teste Plinio libro 7.cap.2 homines Cynocephali, quos dicit caninis capitibus esse præditos, ferarum pellibus velatos, pro voce latratum ædentes, vnguibus armatos, venatu & aucupio vitam sustentantes. Cynocephalos germanicè *Hundslzoptnos* Germani appellant homines impudentes, efferos & immanes, quorum hodie plena sunt omnia.

Simiæ.

Cynocephali homines feri.

India populosissima.

Gentes multæ & populosæ) Alexandri Mag. comites in eo tractu Indiæ, quẽ subegerunt, scripserunt quinque millia oppidorum fuisse, nullum Co vrbe minus, gentium sexaginta Indiámque tertiam partem esse terrarum omnium, multitudinem gentium innumeram, probabili sanè ratione. Indi enim prope gentium soli nunquam emigrauerunt finibus suis. Hæc Plinius libro 6. cap.17. Ethicus Indiam dicit habere gentes numero quadragintaquatuor absque Insula Taprobana quæ decem habet ciuitates.

τὰ μέχει τῆ συνέγγυς) Quid si legendum. Μέχρι τῆ γαγγῆ.

Ἀπὸ ταύτης) Hinc colligitur in præcedentibus deesse aliquid, nomen nimirũ alterius emporij in Dechanabade regione maximè insigne, quod Plethana. appellat.

Tagara.

Tagara) Ptolemæo ἄγαρα, siue vt alij scribunt Τάγαρα ciuitas est Sandanorum ab occasu Bindæ fluuij cui subiungit Bæthana regia Syri Ptolemæi quę videtur eadem esse vrbs quam Plitana Arrianus appellat.

Ἀκαβάρυς) Acabarus emporium.

Ο'υωδρα

Οὔπαϱα. Ptolem. σουπάϱα *Supara* siue *Suppara*, vt alij scribunt, emporiũ in Ariaca Sadinorum, siue Sandanorum iuxta mare, ad ostia Goaris flu. Sandani porro Ptol. gens est inter Coam & Suastum sub Suastimis, sic dicta teste Nigro à Sandaneso lapide qui cognatus Carbunculo apud illos nascitur, quidam granatiten vocant. *Vppara. Ptol. Sippara quoque vrbis iuxta Tyndis ostia in sinu Gangetico meminit.*

Calliena vrbs.) Quid si sit καλλίκαϱις, quam Ptolem. ponit in Limyrica, quam Castaldus vult hodie Cananor dici. *Calliena forsan Callicaris Ptol.*

Saragani veteris.) Quid si Saranga regio Indorum cuius Arrianus lib. 8. meminit ab illo fuerit denominata. Ptolemęus post Supparam ponit Dungam ciuitatem sitam inter Goaris, & Bendæ fluuiorum ostia. Dunga autem Castaldo videtur esse Dabul hodie dicta ciuitas regni Dacami. Vrbs hæc sita est in planitie iuxta ostia maximi, & pulcherrimi fluuii (qui forsan est vel Goaris, vel Benda olim dictus) ad radices montis amœnissimi, ampla, ædibus magnificis exculta, quæ ab Almeida Lusitano Indiæ Prætore anno 1509 capta, atque direpta fuit, teste Barbosa, Osorio. *Saraganus rex. Dunga ciuitas. Dabul.*

Sandanes.) Ab hoc potius Rege verisimile est Sandanos fuisse appellatos, quàm à Sandaneso lapide. Sandracotti potentissimi quondam Indorum regis meminit Arrianus lib. 6. suæ historiæ. *Sandanes rex à quo forsan Sandani appellati.*

Semylla.) Ptol. σίμυλλα. Simylla per Iota emporium est, & promontorium in Ariace Sadanorum inter Bēdæ flu. ostia, & Hippocuram sita. Niger. Simylla promontorium in cuius radice emporium sui nominis est Tymullo ab indigenis vocatur. Sintacora Castaldo hodie dicitur, vbi finis regni Decan, teste Ioanne Barroso. *Simylla forsan hodie Sintacora dicta.*

Mandagora.) Ptol. Μανδαγάϱα. Mandagaran Plin. ponit in regione virorum piratarum iuxta Byzantium. Iacobo Castaldo est Mangalor hodie dicta. *Mandagora forsan hodie Mangalor dicta.*

Palæpatmæ.) Ptol. Βαλίπατνα *Balipatna* in Ariace Sadanorum inter Hippocuram & Mandagaram. *Palæpatma.*

Melizigara.) Forsan est Armagara quam Ptol. in sinu piratarum collocat. Aramagaram quoque ponit in Limyrica iuxta Tyndis oppidum. Vel forsan est Μιλιζίγηϱις Milizigeris insula, cuius Ptol. meminit, quámque Niger ait contra Ariacen Sadanorum in mari procul admodum esse sitam. *Melizigara.*

Βιζάντιον τοπαϱόν.) Videtur locus esse corruptus, & legendum βυζάντιον ἱππόκουϱα. Nam Ptol. in Ariace Sadanorum ponit Hippocuram vrbem, ac deinceps in sinu piratarum subiungit Byzantium inter Mandagaram & Armagaram. Est autem Castaldo Hippocura vrbs hodie dicta Onor. *Byzantium. Hippocura hodie Onor.*

Τυϱάννος βόας.) Vide num legendum Ἐϱϱανοβόας qui est fluuius Indiæ in Gangem influens, de quo sic Arrianus lib. 8. Amplissima est Indicarum vrbiũ Palimbothica (hodie Aua dicta) in Gedrosorum finibus iuxta Erranoboæ & Gangis fluminis concursum qui quidem Erranoboas inter Indiæ flumina tertium magnitudinis locum obtinet, sed Gangi cedit omnium longè maximo. Forsan ergo hic locus ab illo fluuio sic fuit appellatus. Vel etiam forsan Boas est nomen proprium cuiusdam tyranni qui in his locis regnauit: nam hic est sinus piratarum à Ptol. dictus, qui, vt Niger interpretatur, in mari tota æstate cum coniugibus ac liberis naues super centũ habentes vagari, ac mercatores intercipere consueuerunt, merces illis atque bona non vitam adimentes. Horum ergo piratarum forsan tyrannus fuit nobilis ille Boas, à quo etiam verisimile fuerit locum siue emporium quoddam nobile, in quo habitarit, Tyrannus Boas fuisse appellatum. Sic enim sæpe loca, regiones, ciuitates, regum nominibus insignitas legimus. *Errhanoboas fl. Pyratæ.*

Sesecreienæ insulæ & αἰγιδίων insulæ.) Ptol. statim post Taprobanæ descriptionem, ante Taprobanam, inquit, cohortes insularum sunt, quas dicunt esse 1378 numero. Postea subiũgit nomina nouemdecim insularum, inter quas post *Sesecreienæ insulæ.*

Ægidion insulæ. Auium insulam (de qua suprà) ponit insulam αἰγιδίων cuius Arrianus quoque noster hic meminit, sic, vt verisimile est, dicta à caprarum copia. Sic in Ponto Euxyno insula est Achillis, in qua capræ Achilli sacræ, quas illi qui in eam nauigant, certo pretio emptas. Achilli immolant, vti dictum est.

Canathra insula. *Cænetarum insula.*) Forsan est κάναθρα Canathra cuius Ptol. loco ante citato meminit iuxta Insulam Ægidion.

Chersonesus. Piratæ. *Iuxta Chersonesum vbi sunt piratæ.*) Huius Chersonesi Ptol. quoque meminit in sinu piratarum inter Byzantium & Armagaram. Piratarum autem istorum Plin. quoque lib. 6. c. 23. luculentam mentionem facit, in descriptione *Hydra piratarum receptaculũ Muzirum.* Muziris (de quo paulò pòst) eósque dicit locum Hydras nomine obtinere, propter quos nauigatio versus Muzirum valde sit periculosa.

Insula alba. *Insula alba.*) Huius Ptol. meminit inter Trinesiam & Panigerim insulas eam collocans. Sic, vt verisimile est, appellata fuit à colore, vt illa Achillis insula in Ponto Euxino eandem ob causam, teste Arriano, alba fuit nuncupata.

Naura. *Naura.*) Forsan est νιτρεῖαι Nitriæ emporiũ, quod Ptol. in hoc ipso tractu ponit iuxta Tyndim.

Tyndis nonnullis videtur esse Cochinum hodie dictum. *Tyndis.*) Hanc Ptol. primam ponit in Limyrica, sic forsan appellata est à fluuio eiusdem nominis, cuius ostiorum Ptol. meminit in sinu Gangetico, inter Supparam & Mapuram ciuitates: fontem (teste Nigro) in Vxento monte habens. In illius fluuij ostio arx est regis Portugalliæ. Quidam volunt esse ciuitatẽ hodie Cochin, siue Cochinum dictam, sed videntur errare. Verisimilius enim est Cochin esse vrbem olim Colchi dictam, de qua infrá.

Limyricæ.) (μοδέρης in quibusdam exemplaribus) Hanc Ptolem. Ariaci Sadanorum subiungit.

Muziris Ptol. Plin. Muzirum. *Muziris.*) Ptol. Muziris emporium, Limyricæ inter Calecariæ extrema, & Pseudostomi flu. ostia. Hinc Niger, Muziris emporium Pseudostomo fluuio, qui à Beotio monte defluit, adiacens. Plin. Muzirũ appellat. Inde (scilicet ab Acila) inquit vento Hypalo nauigant diebus quadraginta ad primũ emporium Indiæ Muzirum non expetendum propter vicinos piratas, qui obtinent locum nomine Hydras, neque est abundans mercibus. Præterea longè à terra abest nauium statio, lintribúsque efferuntur onera, quæ non geruntur. lib. 6. cap. 25. Idem testatur Solinus Plinii quasi simia Muzirum infame piraticis latronibus appellans. Plin. lib. 6. cap. 25. Postea, inquit, à Syagro promontorio Arabiæ Patalem fauonio, quem Hypalum ibi vocant, peti certissimum videbatur. XIII. XXXII. M. P. æstimatione. Secuta verò ætas propiorem certiorémque cursum indicauit, si ab eodem promontorio Zizerum amnẽ por- *Zizerus amnis Plinio, Rhamn. videtur esse Muzirum.* tum Indiæ peteret. Rhamnusius in sua commentatione supra aromatum itinerarium, Zizeri nomine apud Plinium ex quorundam opinione dicit intelligẽdum Muzirum cuius & ipse paulò pòst, & Arrianus atque Ptolemæus mentionem faciunt, quódque quatuordecim sit grad. Hæc verò quæ de hac nauigatione Plin. tradit, idem ait quotidiana Portugallensium experientia comprobari, qui à Sfacalath promõtorio (quod Syagrum esse supra dictum est) versus Orientem nauigantes, rectà petunt medium latus Calecutii, vbi est Onor ciuitas, & Amiadiua insula quatuordecim grad. Id verò iter & compendiosius esse, quia non per sinuum anfractus nauigetur, & tutius, quia procul à continente per altum vehuntur. Interuallum porrò à Sfacalath promõtorio vsque ad Onor, siue Amiadiuam insulam esse circiter 900. milliariorum. Muzirum *Muzirum forsan Onor ciuitas.* ergo siue Muziris videtur esse vrbs Anor, siue Onor hodie dicta, metropolis regni Bisnagar, quæ sita est supra eundem fluu. supra quem Garcopa ciuitas, à qua nomen suum accepit, ab Anchediua triginta, & duobus millibus passuum distans. Fluuius is forsan est Pseudostornus olim dictus. Rex illius Merlaus nomine ad Almeidam Lusitanum legatos misit de pace, verum cùm ille perfidè sese gessisset, à Lusitanis inflammata tota ferè eo incendio conflagrauit. Non

procul

procul ab illa arx est egregiè munita Zincatura nomine, ad Dacami regnum pertinens. Onore quoque fuit pirata nobilis Timoia nomine, qui cum Onoris rege de pace cum Lusitanis ineunda consenserat. Testis Osor. lib. 4. *Zincatura arx.*

Regni Ceproboti.) Plin. Celebothram suis temporibus ibi regnasse testatur. Ptol. Cerobothri regiam Caruram nomine ponit inter Pseudostomum & Barim fluuios, in Piratarum regione. *Ceprobotus rex.*

Muziris sub eodem Rege.) Merlaus Onoris siue Muziris rex fuit, quando Lusitani in illas oras appulerunt. *Merlaus rex Onoris.*

Ariacæ.) Hæc videtur Belleforesto hodie complecti regionem Decam, Goa, Cintacola, Battacala, quæ singulæ regna sunt potentissimo regi Narsingæ subiecta. *Ariaca.*

Sita est iuxta fluuium.) Sic Plin. Zizerum flu. & portum nominat. verisimile est igitur vrbem à fluuio sic fuisse appellatam. Vt Onor (quam volunt esse Muzirim) à fluuio qui eam alluit, sic fuit nuncupata, quam etiam vna cum fluuio Ponaram aiunt nuncupari. Belleforesto tamē Muziris videtur esse vrbs hodie Cananor dicta, cuius portū Capralis Lusitanns subiit, anno à Christo nato 1501. Vrbs est ingens, multisq; habitatoribus frequētari solita. Magnus sinus in vrbem influens, portū optimū efficit. Regio est omnibus rebus, quæ ad victū pertinent, abundans. Rex illius fuit opulentus, & immunis, & à moribus & institutis aliorum Regum, qui Malabaribus imperant minimè abhorrens. Osor. lib. 2. Hodie Portugallensibus subiecta est. *Muziris alijs videtur Cananor. Cananor vrbs.*

Neclynda.) Ptol. μελκύνδα appellans Aiorum facit emporium iuxta Elancorum emporium, ad ostia Barii flu. *Nelcynda.*

Posita iuxta flu.) Is est teste Ptol. Baris.

Pandionis.) Strab. lib. 15. Ex India à Pandione & Poro duobus Regibus legatos cum muneribus ad Cæsarem Augustum venisse testatur. Plin. lib. 6. cap. 24. Ibi (.s. in Becare portu) regnat Paridion (videtur Pādion legendum) longè ab emporio mediterraneo distante oppido, quod vocatur Modusa. Ptol. Moduram per ρ Pandionis regiam appellat: ipsámque regionem Pandionis appellat in sinu Agarico, sic proculdubio à Rege nuncupatam. *Pandion. Modusa Plin. Ptol. Modura.*

Barace vicus.) Ptol. βακάρlω Bacarē appellās in Limyrica collocat inter Coreuram & Baris fl. ostia. Plin. Alius, inquit, vtilior portus Necanidō, qui vocatur Becare: pro Necanidō autē Rhānusio videtur (in aromatū itinerario) Neclynda reponendum, vt est apud Arrianum. Plinius eodem loco paulò post. Regio autem, inquit, ex qua piper monoxylis lintribus Becaren conuehitur, vocatur Cottona. Quæ omnia gētium portuúmve, aut oppidorum nomina apud neminem priorum inueniuntur. Quo apparet mutari locorum status. Hæc ille. *Barace vicus. Becara. Cottona.*

Ἄλματα.) Posset etiam legi τέλματα, quæ sunt loca cœnosa, siue cœnum cum luto.

Ad ostium fluu.) Sic Ptol. quoque Bacarem ponit ad Baris fluu. ostia. *Baris flu.*

Reges habitant in mediterraneis.) Pandion enim quem Plin. Paridion vocat (nisi locus sit corruptus) in Modusa, siue (vt Ptol. eam vocat) Modura ciuitate mediterranea habitauit teste Plinio.

Ἀπὸ Νελκύνδων.) Suprà Νελκύνδαν. Nelcyndam in singulari numero appellauit. Plin. gentem Necanidon in hoc tractu ponit. Νελκύνδα Rhamnusio videtur esse regio Vlcindæ de qua suprà, quod mihi non fit verisimile.

Τοῖς ἐκ πελάγους.) Locus est mendosus, qui ex præcedente loco simili ita videtur emendandus. Τῆς ἐκ πελάγους ἐπιβολῆς σημεῖον οἱ, &c. De hoc serpentum occursu signo propinquæ continentis supra dictum. De serpentibus suprà dictum, qui sacrosancti sunt Calecutiensibus ceu dęmonum spiritus, eos occidere nefas est, & capitis supplicio sancitum: hinc magna eorum apud illos copia. teste Ludouico Vartomano. *Serpentes Calecutiensibus sacrosancti.*

Μετά.) Forsan πολλά, vel μεγάλα legendum.

Τὸν ὄγκον.) .i.præstantiam.

Malabarica regio. *Hæc emporia frequentantur ob piperis, & malabathri copiam.)* Vniuersa hæc regio Malabarica dicitur, à Cananore incipiens, & in Cori promontorio desinens, malabathri (quod ab illa Amatus Lusitanus vult esse denominatum) atque piperis abundantissima: cuius metropolis Calecutium.

Τέλος ἀργή.) Corrigendum, atque legendum vt suprà ὕελος ἀργὴ, hoc est, vitrum iners siue rudè, non ad vasa arte factum, siue elaboratum.

Arsenicum. *Cottanarica.* *Cottiara.* *Cottiara hodie Calecutium.* Ἀρσενικόν.) Auri pigmentum, de quo Dioscorid. lib. 6. cap. 29. Cottanarica emporium, in quo solo piper nascitur. Plin. Cottonam appellat regionem, ex qua dicit monoxylis lintribus piper Becarem conuehi. Ptolemæo Κόττιάρα *Cottiara* metropolis est Aiorum inter Elancorum emporium & Bamala. Cottiara autem Castaldo videtur esse Cochinum, aliis (quòd mihi verisimilius videtur) Calecutium metropolis Malebariensis oræ olim Cottona siue Cottanarica dicta, hodie Calechut, & Calkoeten vulgò appellatur, cuius descriptionē habes infrá.

Calecutium emporium celeberrimum. *In illam defertur.)* Vt olim, ita hodie quoque Calecutium celeberrimum & frequentissimum est totius Orientis emporium. Nam vt hîc scribit Arrianus, hodie quoque in hanc vrbem adferuntur ex tota India, & Sinarum regione omnis generis aromata, gariophylla, nuces myristicæ, muschus, rheubarbarum, sandala, aloe, denique omnis generis merces, seu serici, seu lapidum pretiosorum, vt omnes historici testantur.

Piper. *Piper.)* Indi piper in vtribus camelorum, aut Rhinocerotum mittunt, inquit Plin. lib. 12. cap. 7. Piper aliud longum, aliud album, aliud nigrum: de quo vide Dioscoridem, Plinium, & alios. Est etiamnum, inquit Plinius, in India piperis grani simile, quod vocatur gariophyllon, grandius, fragiliúsque. Tradūt in Indico luco id gigni. Piper plurimum hodie in Malabar tota regione maritima quæ à promontorio Comorim ad Cananor vsque pertingit, nasci testis est Garcias. Malabarica lingua, Molonga dicitur. In Couchin magna copia nigrum prouenit. Taprobana quoque piperis feracissima. Vide Ludouicum Vartomanum lib. 5. cap. 14. & lib. 6. cap. 19.

Vina factitia apud Indos & Æthiopes. *Vinum non multum.)* Vinum pretiosissimam optimámque in Calecutio mercem esse, testis est Vascus Gama. Vino enim ac vitibus, Æthiopia atque India ferè carent. In sola Pauconia vrbe magna & populosa Indiæ, quæ est duodecim milliarium ambitu, vites nascuntur, sed paucæ. Testis Nicolaus Cōtius. Vtrique ergo cùm vino aduentitio (cuiusmodi Arabicum, Italicum, Laodicenum passim in hoc periplo commemoratur) vtuntur, tum ex variis rebus atque fructibus potiones vini similes conficiunt. Vt ex melle, quod fere principem locum obtinet, palmis, oryza distillata, tritico, hordeo, millio, tamarindis, variis seminibus, arborum liquoribus. In Taprobana ex Thal quod est arboris genus. De his passim multa extant in Orientalium historiis. Vide etiam Scalig. exercitat. 87.

Margaritæ. Μαργαρίτης.) Latinè Margarita, & margaritum apud Tertull. Græci & Barbari eorum inuentores, inquit Plin. hoc nomine vtuntur: at quia nulli duo reperiuntur indiscreti, hinc vnionum nomen Romanæ illis imposuere delitiæ. Hæc Plin. Quid si margaritæ dictæ sint à sinu Argarico in quo plurimæ nascuntur.

Eximius.) Indicus, inquit Plinius, maximè has mittit Oceanus.

Sericum.) Sericum dictum à Seris populis, qui hodie, & communi totius gentis nomine Tartari, & peculiari voce Calmuchi appellantur, propterea quòd soli Scytharum capillos alunt. Trans Vvolgam sunt, haud procul à mari Caspio, Persis parent. Seræ etiam ciuitas in extremis Persiæ quæ hodie Horda appellatur, in qua tātùm illius operis fit, vt dena millia pondo serici in quotidianas operas dispensentur. Iuxta mare Caspium Straua ciuitas, à qua sericæ texturæ

texturæ cognomines celebrantur. Etiam nunc Madaixa vocant Hiſpani, collecta in vnum fila ſerici, idque voce antiqua, Metaxa enim dicebantur. Hæc Scaliger Exercitat. 159. Vide Bayſium. Sericum optimum Indiæ hodie in Cochinchiua regione reperiri teſtatur Summarium Orientale. Patolas ſpecies ſerici Indici, teſte Ludouico Vartomano. Idẽ teſtatur in Taprobana in Giaua maiore, maximam eius copiam reperiri. Sericum antiquitus non niſi ex India Orientali à populis Seris fuiſſe aduehi ſolitum, ex arboribus collectum, ex hiſtoriis probat Rhamnuſius in itinerario aromatum. De Seris vide Plinium lib. 6. cap. 17. qui illos ſyluarum lanicio nobiles appellat. De lanigeris ſiue laniferis Indiæ arboribus (nam Indos, inquit Plin. ſuæ arbores veſtiunt) vide Pliniũ lib. 12. c. 4, 5, 6, 10, 11.

Sericum à Seris dictum. *Sericum optimũ vbi hodie.* *Patolas ſpecies ſerici Indici.*

Ναρδος γαπανική.) Videtur legendum γαγγική, vt infrà: de hoc ſuprá.

Teſtudo Χρυσονησιωτική.) Forſan Χρυσονησιωτική, vt ſit vox cõpoſita, inſularis aurea, ſiue aurei coloris, nam infrà in quadam inſula iuxta Gangem χρυσῆν, id eſt auream teſtudinem dicit reperiri. Forſan itaque quæ ſequuntur, καὶ ἡ περὶ τὰς νήσους θηρευομένη, expuncta particula καὶ ceu ſuperuacanea, explicant nomẽ χρυσονησιωτικῆς, quæ nimirum in inſulis capitur.

Teſtudo Chryſonetiotica.

Inſulas oppoſitas Limyricæ. Hæ nimirum ſunt inſulæ, quarum paulò antea meminit, Selecrienæ, Ægidion, Canitarum, Alba, & quas Ptol. addit, Heptaneſiæ, & Trineſiæ inſulæ.

Hunc autem totum periplum.) Digreſſio eſt, qua duplicem in Indiam nauigandi rationem deſcribit, antiquam per ſinus, nouam per altum mare ab Hippalo primò inuentam.

Antiqua in Indiam nauigandi ratio per ſinus.

Antiquitus inquit, à Cana thurifera regione, vt eam Plinius appellat, hodie Canacaim dicta, ſiue ab Arabia Fœlici per ſinuum anfractus nauigarunt, quod περικολπίζειν appellat. Sinus enim Græcè κόλπος per Metaphoram à corpore ſumptã, vocantur litora curua, & quaſi brachiis mare amplectentia, vnde mare ſinuoſum, quòd multos ſinus habet. Huiuſmodi autem longa per ambages, & anfractus ſinuum nauigandi ratio illis eſt neceſſaria, quibus loca adhuc ſunt incognita. Nam vt infantes qui per imbecillitatem nondum bene greſſus ſuos firmare poſſunt, non recta linea ab vno loco ad alterum contendere audent, ſed per ſcamnorum, quibus innituntur, anfractus id moliuntur, ſic veteres illi, quum ex Arabia ſecundum rectam lineam per altum pelagus compendioſiore longè via, in Indiam proficiſci potuiſſent, longiore quidem, ſed tutiore ab initio via per illos ſinus illud ipſum iter confecerunt.

Sinus maris.

Nauibus minoribus.) Nam mare circa ſinus atque litora minus profundum minores quoque naues, altũ verò mare maiores naues requirit. Bellonius, & alii nauigiorum paruorum in mari Rubro maximum vſum eſſe docent.

Primus Hippalus gubernator.) Sequitur noua in Indiam, perículoſior quidem, ſed compendioſior nauigandi ratio ab Hippalo gubernatore primùm tentata, & inuenta, rectà nimirum per altum mare, quod Græci πέλαγος appellant (qua voce ceu propria hîc Arrianus vtitur) quaſi τέλαγος, vt Grammatici monent, quoniam ſit τῆλε τῆς γῆς, i. procul à terra. Ire itaque per pelagus, oppoſitum τῷ περικολπίζειν, ſiue terram legere. Maxima verò fuit huiuſce gubernatoris audacia, qui nondum (vt nonnulli volunt) inuenta arte nauigandi cũ pyxide, tantum iter circiter 1300. ferè millia ab Arabia in Indiam per vaſtum illud pelagus ſolo aſtrorum intuitu, ventíque iſtius (vt Arrianus noſter inquit) Libonoti quaſi ductu atque auſpiciis capeſcere atque ſuſcipere eſt auſus, illi tamen conatui audaciſſimo euentus fœliciter reſpondit: ſecundum illud ſcilicet, Fortes fortuna adiuuat.

Alia nauigandi ratio per altum pelagus ab Hippalo inuenta. *Pelagus vnde dicatur.* *Hippali audacia.*

Flantibus ex noſtro Oceano Eteſiis.) Hi ſunt venti illi, vt elegantiſſimè Cicero libro 2. De natura deorum inquit, non modò hominum, ſed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quæ oriuntur è terra, valde ſalutares, quorũ

Eteſiæ venti.

flatu nimij temperantur calores, maritimi cursus celeres, & certi diriguntur. Etesiæ Græcè ἀπὸ τοῦ ἔτους.i.anno,Latinè anniuersarij dicuntur,propterea quòd ex omnibus ventis hi maximè stati sunt,& singulis annis eodem tempore redeunt,nimirum circa Caniculæ exortum,quadraginta dierum spatio flantes, Et,vt Plinius libro 2.cap.47.inquit,noctu desinunt ferè,& à tertia diei hora oriuntur.Nec vno ex loco(vt idem testatur) omnibus in regionibus spirant. In Hispania .n.& Asia ab Oriente flatus est eorum,in Pōto ab Aquilone, reliquis in partibus à Meridie,spirant autem & à bruma qui vocantur ornithię,sed leniores,& paucis diebus. Hæc ille.

Etesiis flantibus ex Oceano apud nos,in Indico pelago Libonotus viget.) Libonotus & Austroafricus vēti sunt collaterales, atque intermedii, quia à Meridie nonnihil declinant,ac versus hybernum occasum paulatim deflectunt, paréſque cum Austro & Africo vires habent.Hunc Arrianus ab inuentore huius nauigationis, Hypalum ab Indis dicit nuncupari. Idem Plinius testatur, qui Fauonium,quo à Syagro Arabiæ promontorio Patalen nauigatur, Hypalū dicit nuncupari.Hoc idem dicit vento Hypalo ab Acila quadraginta diebus Muzirum nauigari. Neminē autem offendat, quod quem Arrianus Libonotū nominat,eum Plinius Fauonium vocat,qui vnà cum Zephiro sese ab æquinoctiali occasu profert, ac proinde alius est à Lybonoto.Nam(vt paulò antè dictum,Lybonotus, & Austroafricus paulatim à Meridie, tandem ad occasum hybernum deflectunt.Quoad verò ventos Indici maris, Plinius libro 6.cap.23. nauigant,inquit,ex India,vento Vulturno,& quum intrauēre Rubrum mare, Africo,vel Austro. Andreas Corsalius in sua nauigatione in Indiam, dicit se vsum fuisse vento Occidentali,atque Libeccio, qui quidem sex mēsibus spirans,ad nauigationem Indiam versus perquam sit accommodatus. A Iunio autem atque Octobri,per alios sex menses ventum Græcum & Orientalē dominari,qui aptus sit atque accommodatus ad redeundum ex India.Scaliger exercit.37. Ad Indicum mare liquidissimum aquæ inoffensæ æquabilitatis,vētos ipsos quasi certis delegatos functionibus per certas vicissitudines,veluti alterum alterius vicarium,statos dat.Soli namque parent flatus anniuersarij. Etenim circa Arietem & Libram meante illo spirant perpetuò Fauonij: vbi à nobis cursu deuexo,tum illi remeant ex India ventis Subsolanis.

Lybonotus Hypalus dictus.

Venti Oceani Indici.

Quoad verò ventos in genere,quorum in nauigationibus maximus est vsus,veteres primò secundum quatuor cæli cardines seu limites, quatuor vētos tantùm principes,postea verò duodecim numerarunt.Nostra verò ætate nautarum nauigatione edocti,ob vastum & spatiosum Oceani ambitum,maríſque mediterranei longissimos anfractus,duos & triginta statuunt,eósque in versoria ac pixedula nautica, vulgò *Compas*, expressos continenter intuentur,atq; nocte etiā intēpesta,cælóque nubilo,ac caliginoso,illius vsu & commoditate cursum dirigunt,portúsque destinatos assequūtur. Huiusce verò pixedulæ inuentum non nouum, sed antiquum esse Leuinus Lemnius ex Plauto conatur probare,in quo versoriæ nauticæ bis fit mentio.

Ab illo ad hoc vsque tempus.) Nauigationem illam Indicam ab Hypalo primo inuentam,suis quoque temporibus tritam, & vsitatam fuisse Arrianus docet. Ac terminos quidem illius nauigationis à quo, siue vnde, duos commemorat.nimirum Canam, hodie Canacaim dictam, & Aromatum promontorium, quod hodie Guardafu, siue Guardafuni, vt suprà dictum est, appellari. Terminos verò ad quos tres commemorat,nimirum Limyricam, & Barygazā (quæ Malabariensem ferè,atque Calecutiensem regionem continet,vt ad Onor, insulam Amiadiuam, Cananorum,Cochinum, Calecutium) & denique Scythiam,siue Indoscythiam regionem nimirum Cambaiensem ad Diu,&c.

Ad huiusce porrò Indicæ nauigationis descriptionem,melius intelligendā, operæpretium fuerit,partim Plinianam eiusdem nauigationis descriptionem, partim

partim hodiernas Portugallensium vsitatas in Indiam nauigationes cum illa conferre. Ac Plinius quidem libro 6. cap. 23. postquam Alexandri Magni nauigationem in Indiam exposuit, subiungit deinceps triplicem ex Arabia in Indiam nauigandi rationem. Prima est, quam sic describit, Postea à Syagro Arabię promontorio, Patalem, Fauonio, quem Hypalum ibi vocant, peti certissimũ videbatur XIII. XXXII. millia passuum æstimatione. Hanc primam nauigationem Rhamnusius, in Aromatum itinerario egregiè demõstrat hodie quoque à Portugallensibus vsurpari, qui à Sfacalath Arabiæ Fœlicis promontorio septemdecim grad. in mare multum prominente (quod Syagrum olim appellatum certò credũnt) in Indiam ad Orientem vento Occidentali nauigantes, rectà perueniunt in Cambaiam, quam volunt esse Patalam olim dictam, eique vicinam insulam Diu, quam nõnulli volunt esse olim dictam Baracam, quod quidem iter est circiter 900. mill. Pro Patala Arrianus noster ponit Scythiam: nam Batala & Barbari duæ sunt Indoscythiæ insulæ, vti suprà dictum. Idem est ergo terminus.

Triplex secundũ Plin. ex Arabia in Indiam nauigandi ratio.

1. Ratio nauigationis.

Secunda nauigatio est quam his verbis exponit: Sequuta verò ætas, inquit, propiorem cursum, tutiorémque indicauit, si ab eodem promontorio, nimirũ Syagro Zizerum amnem, portum Indiæ peteret. Hanc quoque nauigationem Portugallensibus hodie tritam esse, Rhamnusius, & alij testantur. Nam à Sfacalath siue Syagro promontorio soluentes, ad Orientem versus, in Indiã per altum pelagus contendendo rectà perueniunt ad medium ferè latus oræ Calecutiensis, vbi est Anor ciuitas (olim Muzirum siue Musiris dicta) & Amiadiua insula 14. grad. quod iter & breuius, & tutius esse affirmant.

2. Ratio nauigationis.

Tertia sequitur. Ab Acila, inquit, Indos petentibus, vtilissimum est egredi. Inde vento Hypalo nauigant diebus quadraginta ad primum emporiũ Indiæ Muzirũ. Hæc differt à secunda tantùm termino, à quo, is est Acila, quam Zeilan hodie dictam esse volunt. Atque hæc est tripartita illa nauigatio Indica. Diu autem, inquit Plinius, nauigatum est, donec compendia inuenit mercator, lucróque India admota est. Hodie Portugallenses vẽtis anniuersariis Occidentalibus spirantibus, à promontorio Bonæ spei, siue Mozãbique, siue Melinde soluentes, per medium mare altum Cochimum vsque siue Calecutium, siue Canonorem, siue Onorem vehuntur, quæ fermè 775. leucarum, hoc est, 3900. mill. est nauigatio. Sex ferè menses itineri conficiundo insumunt.

3. Ratio nauigationis.

Elabacare.) Forsan Βακαρὴ Bacare legendum, de quo suprà, vt ἐλα redundet.

Pyrrhum mons.) Montes huius regionis Ptolemæus hos nominat Apocopa, qui pœnæ deorum dicuntur, Sardonicem à lapide cognomine ibi nascẽte dictum, Vindium, Bittigum, Adisathrum, Vxentum, Amedon.

Παραδία.) Ptolemæus Παράλιαν Paralian appellat, sic eandem Arrianus infrà nominat (ergo in λ est mutandũ.) Niger hinc Paralia est regio, in qua Soreti (Ptol. Σωρίγας vocat) populi circa litus in iis Chaberis ciuitas cum fluuio, vnde aloes lignum educitur.

Paradia regio.

Vbi Colymbesis.) Sic Ptol. in hoc ipso sinu Colchico à Colchi oppido (de quo mox) appellato, margaritarum piscationem ponit.

Margaritarum piscatio.

Colchi.) Hoc emporium Ptolemæus in sinu Colchico Careorum ponit inter Sosicuram, & Solenis fluuii ostia. Æthicus Colchi inter famosa Oceani Orientalis oppida ponit. A Colchi non est dubium quin sinus Colchicus sit appellatus, octo millia pass. ambitu insignis, teste Nigro. Colchi autem nonnulli volunt esse vrbem olim dictam Cottiaram, siue Cattiaram, de qua suprà (quæ mihi potius videtur esse Calecut.) Sed vel ipsum nomen illos erroris sui conuincit. Barbari enim, paucis mutatis, idem ferè nomen antiquum retinent, pro Colchin Cochim eam appellantes. Est autem Cochin siue Cochimum vrbs hodie valde celebris, à Calecutio Austrum versus circiter septuaginta millia,

Colchi hodie Cochimum.

Cochimi descriptio. à Goa trecenta millia passuum disiuncta. Vndique verò flexibus maximi, & pulcherrimi fluuij, qui non longè ab illa in mare influit, alluitur. Is omnino videtur esse Σωλὼ, Solen fl. Ptolemæo, ad cuius ostia Colchi emporium ponit. In illius ostio hodie rex Portugallensium arcem magnam habet, circa quam domicilia sunt Portugallensium, necnon Christianorum, qui sacro Baptismate sunt initiati, quíque se S. Thomæ discipulos profitentur. Ibidem magna vis est materiæ, ad naues quasuis fabricandum, reficiendúmue aptę. Vrbs portum habet optimum, & stationem nauium tutissimam. Solum est macre & sterile, arborum tamen viriditate, ad aspectum iucundũ. Abundat pipere. Regis opes erãt tenues, ante Lusitanorũ in illas regiones aduẽtũ & Calecutii regis tributa, certum nimirum elephantorum numerum pendebat. Sed Lusitanorum beneficio, erga quos amicè, officioséq; se gesserant, valde auctæ & amplificatæ fuerunt. Vrbs plena est Saracenis, Ethnicis, qui Chelij, & Guzzarates appellantur, deniq; Indis indigenis. Chelij qui dicũtur mercatores sunt maximi, cũ Choromandelis, Cambaię, Cheuli, atque Dabulis incolis arece cochorum, piperis, Iagaræ (quod est saccharum ex palmis) mercaturam contrahentes. Mores gentis vniuersæ sunt Calecutiensium moribus, & institutis vitæ persimiles. Secta quædam apud illos est, cui qui sunt addicti, Iogues ab Indis appellantur. Hi præ se ferunt singularem rerum humanarum contemptionem. Nullas opes possident, emendicatis cibis victitant, per omnia fora cursant, vt suæ sectæ disciplinam omnium auribus inculcent. Maxima eorum pars præstigiis illudit hominibus imperitis, eorúmque dementia ad suum quæstum abutitur. Hęc Odoardus Barbosa, Summarium Orientale, Cõmentarius rerum Indicarum, *Sinus Colchicus.* Osorius de illa vrbe atque gente. Sinus autem Colchicus olim dictus, complectitur omnem regionem quæ est à Colchi siue Cochin ciuitate vsque ad regnũ Malabar, aut Malapur, quæ est S. Thomæ prouincia.

Balita forsan Bammala. *Balita.*) Forsan est Bammala (Niger Balbata vocat) quos Ptol. in Aiorum regione ponit inter Dottiarã & Commariam (de qua mox) prope sinum Col- *Loca inter Cochimum & Cumeri interposita.* chicum, Indicarum nauigationum scriptores inter Cochicum, & Cumeri promontorium Meridiem versus hæc loca celebria interponunt. *Porca ciuitas.* Porcam ciuitatẽ *Cain.* maritimam, subiectam hodie regi Cochin, piscationibus atque piraticæ dedi- *Caulamum.* tam, Cain, Caulamum ciuitatem in principio regni Caulam positã, piperis plenam, gentilium, Saracenorum, Christianorum, Indorum S. Thomæ disciplinã *Cail.* sectantium, frequentia celebrem. Huic subiungunt Cail regni Caulamri ciuitatem margaritarum piscationibus nobilissimam, quam plerique Portugallensium volunt esse eandem, quæ Centacossyla à Ptol. appellatur, quã ille in Mæsolia inter Mæsoli fluuii ostia & Cadduram ciuitatem collocat. Postea Coulamum regni Coulami metropolim, quam nonnulli volunt esse ciuitatem, Cu- *Caulamum hodie Curula.* rulam siue Curula à Ptolemæo nuncupatam. Fuit autem Coulamum ciuitas ad montis cuiusdam radices sita, passuum à mari nouem circiter millia, omniũ priscis temporibus in regionibus illis, & amplissima, & opulentissima. Sed post quam Calecutium à mercatoribus frequentari, & opibus augeri cœpit, magna Coulamensis imperij inclinatio facta est. Ab vrbe Goa triginta fermè dierum nauigatione, à Cochino abest circiter quadraginta, & octo passuum millia, ad ortum Solis spectat. Nauigatio est tutissima secundum fluuium, nisi quum propter fluminis angustias insidiæ ab hostibus ab vtraque parte in ripis collocan- *Caulami regni descriptio.* tur. Flumen enim est valde profundum. Cum marinis enim aquis, quas accedere æstus inducit, commiscetur. Quòd si Coulamum est Curula olim dicta, flumen istud erit Chaberus fluuius, quem Ptolemæus prope Curulam collocat. Portus est optimus, salubre cælum, aqua optima, annona plurima in portu est arx Lusitanorum. Ædes, fana, religio, mores, instituta sunt eadem fermè quæ apud reliquos Malabares. Gens est assueta præliis. continenter enim bellum cum rege Narsingæ gerit. Quanuis enim Narsingæ regnum maxima ex

parte

parte latus Indiæ,quod ſpectat ad Orientem Solem,occupet,cùm tamen latiſſimum ſit,ad confinia Solis Occidentalis,extinguitur.Rex maximam temporis partem in vrbibus mediterraneis conſumit. Coulamum verò hominibus regendum committit,quos fide præſtantes eſſe iudicat. Regio à Chriſtianis etiã illis colitur,qui Thomæ diſciplinã acceperunt. Eſt in ea vrbe templũ peruetuſtũ quod Chriſtiani perhibent fuiſſe à Thoma ædificatũ. Illius corpus in ore regni Narſingenſis,in vrbe dicta Malapur, quam nonnulli volunt eſſe Maliarpham à Ptol.dictam,in templo ſepultus eſt,quod non à Chriſtianis tãtùm, ſed etiam à Saracenis,& reliquis gentibus ſanctiſſimum habetur, maximáque hominum frequentia illuc aſſiduè confluentium celebratur. Cœnam dominicam (quoniã Indi vino carent) ſucco quodam celebrant, quem ex vuis ſiccis, ex Mecca atque Armuzio allatis,& aqua maceratis exprimunt. Hæc Odoardus Barboſa,Summarium Orientale, Nicolaus Contius, Indicarum rerum cõmentarius.Oſorius lib.3. In vrbem Caulamum ſiue Colamum Alfonſus Albuquercius anno ſalutis 1484 nauigauit, quo tempore mulier quædam vidua, Regnum nomine filii, qui nondum ætatem maturam ad regendum habebat, non ſegniter adminiſtrauit. Fuit à ciuitatis principibus (qui nomine Reginæ omnia quæcunque vellet,ſe facturos oſtendebant) valde honorificè receptus. Inde percuſſo fœdere,oneratis pipere (quod ibi plurimum naſcitur) ex animi ſententia nauibus,Cochinum reuerſus eſt. Poſt Colamum verſus Meridiem eſt vicus Trimangalo abundans oryza,& pecoribus, à quo non procul eſt Brimixo maris portus.

In Malapur ſepulchrum S. Thomæ.

Trimangalo Briximo portus.

Comar.) Paulò poſt Κομαρεί. Comari appellat: ac mox deinceps meminit emporii,quod Camaram appellat. Ptol.Κομαρία, *Comariam* in regione Aiorum collocat, quam nonnulli volunt eſſe celeberrimum illud promontorium Comarinum, cuius angulus acutus ad Auſtrum ſpectat, in quo definit regio Malabarienſis,à Cananore incipiens. Alii verò Κώρυ promontorium quod etiã Calligirum à Ptol.nuncupatur, volunt eſſe celebre iſtud promontorium Comorinum. AndreasCorſalius Commari promontorium quod octo grad.facit, vult eſſe Peluram Ptol.dictam. Quicquid ſit illud certè videtur omni dubitatione carere, regionem hanc, in qua Arrianus noſter Comar, ſiue Comari, nec non Camaræ meminit,eſſe regionem, quæ hodie Comorina regio,ſiue regnũ vulgò appellatur, vt olim ſic hodie quoque à promòntorio illo nobiliſſimo Comorina quod Ioannes Barroſus à Boreali parte ſeptẽ & ſemis grad.facit, nuncupatum. Hoc vero regnum hodie verſus Septentrionem regno Trauancor, ad occaſum regno Coulam, ad ortum regno Malapur, ad Meridiem Oceano Indico terminatur.In hac porrò regione Comorina duas res inſignes Arrianus noſter commemorat.Prima eſt locus quidam ſacer, in quo illi, qui viduã & religioſam vitam agere cogitant,aquis abluuntur,quaſique initiantur. Sic enim Ethnici ſæpe aquis vim quandam καθάρσιμον, hoc eſt, peccata expiandi, atque luſtrandi vim tribuerunt, vt de aquis Gangæ, atque Gangis ex hiſtoriis ſatis ſupérq; patet. Altera eſt Colimbeſis pinici.i.margaritarum piſcatus, quo etiam nunc hodie regionem illam,quæ aliàs non admodum fertilis eſt, atque fœcunda,inſignem eſſe commentarius rerum Indicarum aliíque teſtantur.

Comar.

Comorinum regnum.

Aquæ luſtrales.

Margaritarum piſcatio in Comorina regione.

Βεράειον.) Quid ſi φρούριον legendum?

Deam.) Venerem opinor.

A capite damnatis.) Nam quantis periculis Concharum illarum margaritiferarum piſcatus,conſtet ſuprà dictum eſt.

Poſt Colchos primum litus in ſinu.) Litus nimirum ſinúſque Agaricus, quẽ Ptol. Colchico ſimiliter ſubiungit ab Agaro ciuitate ſic denominatus, quem nonnulli hodie ſinum Bengala volunt eſſe.

Argaricus ſinus.

Argali.) Ptolemæus ἀργείρου, ſiue, vt alii ſcribunt ἀργάρου, id eſt, Argiri, ſiue Argari ciuitatem collocat inter Corii & Salur emporia in Pandionis re-

Argarum ciuitas.

gione in sinu Οργαλικῷ, *Orgalico*, siue Αργαλικῷ, *Argalico*, vt in aliis exemplaribus scriptum reperitur.

Τεϱνεῖται. Quid si περνεῖται legendum.

Παρ' αυτὴν τῆς ἠπείρου.) Videtur esse insulæ cuiusdam nomen, quid si insulam Zeilan intelligat.

Sindones Ebargaritides.) Rhamnusius vertit telas subtilissimas, quæ Ebargaritides appellantur. Quid si legendum μαργαρείτιδες, hoc est margaritis intertextæ atque distinctæ, Germanicè *gstikt* appellamus. Nam margaritarum in hisce locis maximam esse copiam ex Arriano, & aliis constat. Vnde etiam margaritæ videntur dictæ ab Argarico.

Comara.) Ptol. Commariam appellat, de qua suprà.

Poduca. *Poduce.*) Ptol. Ποδούκην Podocam, siue vt alia exemplaria habent Ποδύκην Podycam appellans, ponit in Paralia Aruarnorum. Niger vult à Barbaris hodie Podephtan appellari. Poducæ porrò Ptol. subiungit Melangam emporium, quod nonnulli volunt esse vrbem Paleacaten hodie dictam. Tyndæ fluuii ostia Cottim Maliarpham, quàm nonnulli volunt esse Malepur hodie dictã, vrbem S. Thomæ sepulchro claram.

Sopatma.) Ptolem. Podycæ Melangam subiungit. De Sopatma nihil potui inuenire.

Περὶ δὲ τοῦ.) Forsan legendum μετὰ δὲ τὰς, μετ' αὐτὴν χώρας.

Taprobana. *Insula Taprobana.*) Hanc plerique doctorum volunt esse insulam hodie Sumatram, siue Samatran, siue Zamatran dictam. Operæprecium itaque fuerit vtriusque insulæ descriptiones, veterum pariter atque recentiorum scriptorũ inter se conferre, quò facilius quis, vtrum vna eademque insula sit, diiudicare possit, exordio ducto primò omnium ab vtriusque nomine.

Taprobanæ nomina. Taprobana igitur siue Taprobane Græcè Ταπροβάνη olim teste Arriano nostro, necnon Ptol. Simundi insula fuit appellata, forsan à Palesimundo oppido eius insulæ, vt Plin. testis est, clarissimo, iuxta quod fluuius eiusdem nominis ex stagno Megisba CCLXXV. M. P. ambitu erumpit. Ptol. suis temporibus Salicam eiusque incolas Salas fuisse nominatos testatur. Plin. eius incolas Palæogones olim dictos fuisse, Megastenis testimonio probat. Tria ergo illius insulæ antiqua fuerunt nomina Taprobana, Simundi insula, Salica.

Sumatra. Insula verò Sumatra, etiam Samatra, atque Zumatra hodie vulgò appellatur, quæ vocabula nonnullam cum Simundo antiquo vocabulo soni affinitatem videntur habere.

Taprobanæ situs. Quoad situm, atque formã Arrianus noster Taprobanam nauigatione post Paraliam regionem ad ortum iam vergente in mare porrectam ad ipsum occasum iacere dicit. Strabo lib. 2. illam Indiæ obiectam in pelago ad Austrum sitam esse, & lib. 15. πελαγίαν. i. in Pelago positam, ab Australissimis partibus, quæ sunt apud Coniacos Meridiem versus septem dierum nauigatione distare ex quorundam relatione scribit. Illam teste Stephano, Alexander Lychnus cognominatus τετράπλευρον. i. quadritateram, & ἁλιστέφανον. i. mari Ceij corona quadam vndique redimitam atque cinctam appellauit, vnde etiam Arrianus noster εἰς πέλαγος, inquit, ἔκκειται. Ptol. Taprobanes insulæ promontorium Corii Indiæ promõtorio dicit esse obiectam. In situ Taprobanes Ptol. errasse Andreas Corsalius ex nauigatoria charta Michaelis Seluæ oratoris Regii patere dicit. Idem Maximilianus Transyluanus in quadam sua ad Cardinalem Saltzburgẽsem epistola affirmat. Rhamnusius quoque Arrianum nostrum Taprobanæ situm magis Orientalem fecisse scribit quàm Ptolem. id quod veritati, ac Portugallensium quotidianæ experientiæ magis sit consentaneum.

Sumatræ situs. Sumatra autem æquinoctiali circulo subiecta, & aureæ Chersoneso ea parte, quà ad Austrum pertinet, ita est obiecta, vt longius tamen in ortum Solis protendatur testis est Osor. lib. 4, 6, & 8.

Quod

Quod ad quantitatem vtriusque insulæ attinet, de Taprobanæ magnitudine non satis inter antiquos auctores constat. Plin. Taprobanam ceu alterum terrarum orbem Antichthonum appellatione diu existimatum fuisse scribit. Vt liqueret insulam esse Alexandri Magni, ætas résque præstitere. Eratosthenes mensuram prodidit longitudinis VII. M. stad. Latitudinis V. M. Strabo lib. 15. Eratosthenem scribit tradidisse eius longitudinem esse ad octo millia, stadiorum Æthiopiam versus. Onesicritus illius magnitudinem fecit stad. quinque millium longitudinem verò, & latitudinem nullam distinxit. teste Strab. lib. 15. Quoad Sumatram Portugallenses illam maximam Indici maris insulam esse affirmant. Patet vt Osorius lib. 6. & alii testantur, in lõgitudinem milliaribus nongentis & sexaginta, latitudo verò illius non suprà ducenta, & quadraginta passuum millia dilatatur. *Taprobanæ magnitudo.* *Sumatræ magnitudo.*

Quod ad vrbes vtriusque insulæ attinet Taprobanæ, Eratosthenes vt Plin. testatur non vrbes esse, sed vicos septingentos tradidit. At verò Claudii Imperatoris principatu, per Annium Plocamum libertum, qui maris Rubri vectigalibus à fisco redemptis in regiones illas delatus fuit, cognitum est quingenta esse eius insulæ oppida inter quæ sit clarissimum Palesimundum. Sumatræ verò ciuitates hodie maximè celebres sunt Pedie, Pacem, Achem, Campar, Menacabe, Zunda, Andagide, Auru, & totidem (secundum ciuitatum nomina) sunt regna, in quibus multæ & magnæ sunt ciuitates aliæ, de quibus vide Odoardum Barbosam. *Taprobanæ vrbes.* *Vrbes Sumatræ regionis.*

Quoad incolas: Taprobanæ incolas Plin. Palæologos olim teste Megasthene, Ptol. verò suis tẽporibus, Salas scribit fuisse appellatos. De illorũ porrò moribus, corporis habitu cultúq; sic scribit Plin. Excedũt hominum magnitudinẽ, &c. Sumatræ verò incolæ Aceni cõmuni nomine appellati, in regna multa distincti, & ex variis nationibus sunt cõflati, qui inter se moribus, & institutis dissimillimo ritu dissident. Quidam enim Machumetis sectam sequuntur, qui maritimas ferè ciuitates incolunt, mercaturæ studiosi, erga Reges sunt valde perfidi, atque periuri, qui illos leuissimis de causis interimunt, & alios creant. Quidam sunt Ethnici, & simulachris dediti, qui mediterraneas vrbes inhabitant. Alii adeò immanes sunt, & feri, vt humanis carnibus vescantur. Huiusmodi sunt illi in illa Taprobanæ parte habitant, quæ Batech dicitur, qui etiam hostium suorum capita in bellis amputata domi suæ thesauri loco recondunt, atque reseruant, ac quò quis plura eiusmodi capita possidet, tantò maior est illius authoritas, denique iis ipsis pro moneta in contractibus suis vtuntur. Alii rursus moribus humanis excoluntur, & benignitatem præ se ferunt. Ius apud illos summopere viget, signato argento, auro, ac stamno pro moneta vtuntur. Aurum signatum ab altera parte dæmonis caput habet, ab altera carpentum, quod ab elephante trahitur. Colore sunt quasi albicante, fronte ampliore, oculis rotundis, capillis promissis, naso latissimo, admodúmque simo, statura denique perquam despicabili præditi. Vestibus lineis, gossipinis, sericis, ad genua vsque promissis vtuntur. Auribus quas magnas habent, tam viri quàm mulieres, gemmas preciosas, aureo filo appensas gestant. Vxores tot ducunt quot libet. Ædificia modicè ab humo extantia, cuiusmodi Taprobanæ ædes olim fuisse, Plin. testatur. Hæc sunt quæ de incolis Taprobanæ Odoardus Barbosa, Nicolaus Contius, Ludouicus Vartomanus, Osorius, Summarii Orientalis auctor, & alii literis monumentísque prodiderunt. *Taprobanæ incolæ.* *Sumatræ incolæ Aceni dicti.*

Nunc dicendum de aliis, quæ in vtraque insula cõtinentur. Ac primò quoad animalia, Arrianus noster in Taprobana testudines fuisse scribit. Plin. similiter Taprobanæ insulæ incolas maximam olim ex testudinum piscatu voluptatem cepisse scribit, quę tanta fuerint magnitudine, vt illarum superficie habitantium familiæ contegi potuerint. Sic in Sumatra insula Ludouicus Vartomanus se testudinem (quarum ibi maxima copia sit) vidisse dicit, pondo 103. li- *De animalibus Taprobanæ.* *De testudinibus Taprobanæ miræ magnitudinis.* *Testudines Sumatræ.*

Elephanti Taprobanæ. brarum. Elephantos in Taprobana Onesicritus (teste Plinio) classis Alexandri Magni Præfectus, maiores, bellicosioresque, quàm in reliqua India gigni scripsit. Idem Plin. Venationem, qua Taprobanenses festa sua absumunt, gratissimam tigribus, & elephantis constare dicit. Idem de Sumatra Ludouicus Vartomanus affirmat. *Elephanti Sumatræ.* Maiorem enim ibi proceriorum, meliorúmque elephantorum copiam reperiri scribit, quàm in aliis Indiæ locis. Idem author in Sumatra scribit se vidisse duos dentes elephantinos pondo 325. librarum. Garcias tamen insulæ Zeilandæ elephantos reliquis omnibus anteponit, & illa Plin. de Taprobanæ insulæ elephantis præstantissimis verba paulò ante citata vera esse, si quidem Taprobanæ nomine Zeilã insula intelligatur. *Sindones Taprobanæ.* In Taprobana Sindones olim multas fuisse Arrianus noster testatur. *Sericum Sumatræ.* Serici in Sumatra hodie & factitii, & naturalis, quod in syluis atque nemoribus absque cultu sua sponte arbores producunt, maximam vim reperiri omnes ferè testantur.

Taprobanæ fructus. Taprobanam olim pomis, fructibus atque frugibus abundasse Plinius testis est, oryza, melle, zingibere abundasse Plin. etiã scribit. *Sumatræ fertilitas.* Sic Sumatra quoq; mira fertilitate prædita fertur. *Piperis copia.* Piperis & longi atque proceri, quod vernacula lingua molaga appellant, & rotundi, omnis denique generis tanta ibi est vbertas, vt singulis annis plurimæ naues onustæ inde euehãtur. *Ligna.* Profert etiam magnam vim lignorum, ex quibus naues, Giuncos appellatas, conficiunt, necnõ *Triplex aloe.* aloes, cuius triplex arboris genus describit Vartomanus, *Scaliger exercit. 142.164. de Belzoi, & Camphora.* Belzui, siue Belzoi, (quod etiã Beniouin appellant) arboris cuiusdam gummi, camphoræ (quæ & ipsa arboris est lachryma, non bitumen) denique *Lacca.* Laccæ, quæ Lac Sumatri per excellẽtiam dicitur, de qua suprà, & *Calampat.* Calampat, quod est aroma odoratissimũ. *Duriacũ arbor.* His adde Duriacum arborem, in cuius medio quinque reperiuntur poma malis aureis similia, sed paulo longiora, suauissimi saporis. De his vide plura apud Vartomanum, Barbosam, & alios.

Taprobanæ margaritæ. Gemmæ. Quod denique ad metalla, gemmas, margaritas attinet, Arrianus noster & pinicum. i. concham margaritiferam & lapides pellucidos in Taprobana reperiri scribit. Plinius similiter ex Magasthene probat Taprobanæ incolas, auri, margaritarúmque grandium fertiliores esse, quàm Indos. Idem ex Annii Plocami relatione, ne Taprobane quidem, inquit, quamuis extra orbem à natura relegata, nostris vitiis caret, *Aurum. Argentum. Marmor.* aurum, argentúmque, & ibi in pretio marmor testudini simile, gemmæ, margaritǽque in honore multò præstantiores, & totius luxuriæ nostræ cumulus ipsorum opes maiores esse dicebãt, sed apud nos opulentiæ maiorem vsum. Ptolem. denique berillum, hyacinthum, aurum, argentum, omnis generis metalla in Taprobana nasci scribit. Idem de Sumatra hodie affirmatur. *Sumatra auri abundantissima.* Osorius illam auri abundantissimam esse dicit, cuius gratia mercatores in eam vndique commeent. *Aurifodinæ.* Barbosa similiter multas in illa aurifodinas, aurique magnam copiam reperiri scribit. *Menencabum regnum.* Idem in Menancabo certo quodam illius insulæ regno, *Fons aurifer.* fontem esse auriferum testatur. Atque hęc de Taprobanę & Sumatræ insulæ collatione satis sint dicta. Rhamnusius in sua commentatione supra nauigationem Iamboli, mercatoris à Diodoro Siculo conscriptam, insulam illam, quam ille mercator adiisse dicitur, verisimile sibi videri dicit esse Taprobanam veteribus, *Taprobana hodie Sumatra Rhamn. videtur esse Iamboli insula.* hodie Sumatram dictam, idque constare ex quatuor cõiecturis admodum probabilibus, quas ex nobili quodam Portugallensi Indicarum regionum perito intellexerit.

Prima coniectura ab vtriusque quantitate. Prima ducta est à quantitate. Diodorus enim Siculus Insulam illã in quam Iambolus delatus fuit, testatur quinque mill. stad. fuisse ambitu. *Insulæ Iamboli magnitudo.* Atqui Strabo testis est Onesicritum affirmasse Taprobanam esse quinque mill. stad. nulla longitudinis, atque latitudinis habita ratione. *Taprobanæ magnitudo.* Plinius quoque ex Eratosthene docet longam fuisse septem millia stad. latam quinque mill. stad. quæ quidem Claudij Imperatoris temporibus multo maior cognita sit, ita vt ceu alter quidam orbis duceretur. *Sumatræ magnitudo.* Similiter Sumatram quoque, tum ab initio maritimæ

tantùm

tantùm illius partes fuiſſent patefactæ, 600. tantùm mill. (quæ circiter 5. mill. ſtad. conficiunt) magnitudine à Portugallenſibus fuiſſe deprehenſam.

Secunda coniectura eſt ex ſitu. Iambolus, teſte Diodoro, quum Meridiē verſus contenderet vento ordinario Occidentali, ipſiúſque tempeſtatis vi in Orientem abreptus appulit ad partes inſulæ Occidentales, quæ ſint ſub æquinoctiali. Eius rei argumento eſſe, quòd ibi non viderit Vrſam noſtri poli, quippe quum horizon illius loci quò appulit, per vtrumque mundi polum trāſeat. Hoc idem de Taprobana affirmat Plinius, nimirū illic non videri noſtras ſtellas, noſtrum polum neque vrſam. Atque ex hac ipſa coniectura liquidum eſſe affirmat, inſulam Iamboli, non poſſe dici fuiſſe inſulam Zeilan, quippe quū illa ſeptem gradus ſupra æquinoctialem ſit poſita, in qua Vrſa noſtri poli videri queat. *2. coniectura à ſitu.* *Inſula Iamboli non fuit inſula Zeilan.*

Tertia coniectura eſt huiuſmodi. Iambolus ille in reditu ex illa inſula poſt quatuor menſes fertur in Indiæ litora fuiſſe reiectus. Sic Plinius Taprobanam inſulam Indiæ prætentam olim creditam eſſe dicit viginti diginti dierum nauigatione à Praſiana gente diſtare, mox, quia papyraceis nauibus, armamentíſque Nili peteretur ad noſtrarum nauium curſus, ſeptem dierum interuallo taxato. Atqui conſtat ſi ex inſula Sumatra Boream verſus nauigetur, rectà perueniri in ſinum Gangeticum, qui hodie Bengalę ſinus dicitur, vbi Ganges fl. in meridionale mare exoneratur. éſtque 21. grad. ſupra lineam æquinoctialem. Inde terra fuit deductus multorum dierum itinere in Palimbrotum, quæ eſt grad. 27. *3. coniectura.* *Praſiana gens.* *Gangeticus ſinus hodie Bengalæ ſinus.*

Quarta coniectura maximè veriſimilis ducitur ex inſulis vicinis. Diodorus Siculus ſeptem inſulas facit vicinas ei inſulæ, ad quam Iambolus appulit, quę quidem & eiuſdem ferè ſint magnitudinis, & pari à ſe inuicem interuallo diſiunctæ. Sic Sumatræ quoque vicinæ atque finitimæ ſunt multæ inſulæ, vt eſt Zunda ab Occaſu non admodum lato mari à Zamatra diſiuncta, quę magnam vim piperis paſſim fundit. Deinde ad Ortum progredientibus aliæ duæ inſulæ ſe oſtendunt, quarum prima Iaua maior, altera minor dicitur. Omnes hæ tres inſulæ regum imperio continentur. Iauæ verò præcipuè fertiles ſunt, & opimæ, fruges multiplices & fructus varios proferunt, & maximam vim pecorum, & armentorum, & equorum nutriunt. Venatu & aucupio mirificè redundant, piperis, & aliorum aromatum copiam paſſim efferunt. Mediterranea loca homines dediti ſimulachris incolunt, qui maritimas oras habitant, maxima ex parte Mahumetanis inſtitutis viuunt. Homines nudi plerunque vmbilico tenus incedunt. Multi tamen lautiores veſtibus bombycinis, aut goſſipinis amiciuntur. Barbas euellunt: anteriorem capitis partem radunt, reliquam ſtudioſè criſpant. Nullum integumentum in capite gerunt. Indignum enim hominis pręſtantia cenſent, hominis principatum (quem in capite conſtituunt) aliquo velamento quaſi rem probroſam tegere. Si quis caput alicuius manu tangit, eam iniuriam armis acerrimè proſequuntur. Sunt in bello feroces, & intrepidè ſeſe in quoduis magnū diſcrimen iniiciunt. Artibus fabrilibus dediti ſunt: arma, tormenta, variáque telorū genera ſingulari opere perficiūt, æs ad quoduis genus inſtrumenti egregiè fundunt. Naues ingentes ædificant, aſtra diligēter obſeruant, & magicas diſciplinas incredibili ſtudio colunt. Syluas venandi ſtudio peragrant, neque ſolùm canibus, & venabulis ad apros atque ceruos eminus configendos: verùm & accipitribus ad volucres capiendas vtuntur. Omnes colorati ſunt: mulieres neque deformem faciem, neque obtuſum ingenium gerunt. Eleganter excoluntur: in ſaltationibus non mediocrem præ ſe venuſtatem ferunt. Curribus inuectæ, cum viris ſyluas & nemora luſtrant, & venatione oblectantur. Homines Sinarum moribus & inſtitutis viuunt, à quibus ſe originem ducere iactant. His verò adde inſulam Bornei, Timor, & alias quæ Malucca vulgari atque communi nomine dicuntur. Hæ quidem ſunt Rha- *Quarta coniectura.* *Iāboli inſulæ aliæ inſulæ vicinæ* *Sumatræ quæ inſulæ vicinæ.* *Zunda inſula piperis.* *Iaua maior inſ.* *Iaua minor.* *Iauæ fertilitas.* *Pecora.* *Aromata.* *Incolæ.* *Religio.* *Veſtitus.* *Inſula Bornei.* *Timor.* *Malucca.*

mnusij coniecturæ, quibus ille putat probari posse Iamboli insulam eandẽ esse quæ à veteribus Taprobana fuit appellata, hodie Sumatra dicitur. Bellforesto tamẽ illa Iamboli nauigatio ferè tota fabulosa videtur. Mihi verò Rhamnusij coniecturæ suprà commemoratæ admodum videntur probabiles: verùm de his doctiorum sit iudicium. Licet verò (vt ad propositum redeã) maxima pars doctorum, atque Portugallensium affirmant insulam Taprobanam eã esse quę hodie Sumatra dicitur: tamen nõ desunt magnæ authoritatis viri (inter quos est Barrosus, Andreas Corsalius) qui Taprobanam potius volunt esse illam, quę hodie Zeila vulgò nuncupatur. In hanc sentẽtiam Garzias quoque ab Horto videtur inclinare. Non itaque à proposito rationéque alienum fuerit, illius quoque insulæ descriptionem ex multis passim authoribus collectam subiicere. Zeilan itaque siue Ceilan, siue Zeilandum à Saracenis, Arabibus, Persis, atque Soriensibus appellatam. Indi Tenarisim. i. delitiarum terram appellãt. Est enim omnis generis delitiarum affluentissima: vnde Elysios cãpos ibi esse Indi sibi persuadent. Hanc alij à Ptolemæo olim Cori, nomine promõtorij Indici, in quod spectat, alij Nanigerim, quam idem Ptolemæus iuxta Leucem insulam ponit, appellatã fuisse opinantur. Alij (vti dictũ est) volunt esse Taprobanam, alij denique insulam hanc veteribus omnino incognitam fuisse arbitrantur. Sita est è regione Commorini promontorij olim Cori, siue (vt alij volunt) Comaria à Ptolemæo dicti, à quo nõ ita lato mari est disiuncta, altitudine versus Meridiem 6. versus sinum Gangeticum octo grad. Patet in longitudinem à Septentrione ad Meridiem circiter ducenta, & quinquaginta passuum millia. Latitudo autem, vbi est latissima, non vltra 140. millibus passuum dilatatur, teste Osorio. Thomas Lopezius eius magnitudinem 300. leucarum esse dicit. Nicolaus Contius eiusdem ambitum 2000. esse affirmat. M. Bolus verò 2040. idémque affirmat, illam olim fuisse maiorem, nempe 3600. sed Beroæ vi & impetu magnam partem montium conuulsam in mare corruisse, plurimúmque terræ in dies absorberi. Ludouicus Vartomanus mille pass. ambitu eam patere dicit. Garzias denique ab Horto eius circuitum, octoginta longitudinem triginta leucarum facit, polúmque à sexto ad nonum gradum eleuatum habere scribit. Maximis præterea montibus est distincta, inter quos insignis est in media insula mons præcelsus, quem rostrum seu acumen Adami vocant, multis paludibus cinctus. Ex illius summo fastigio collis assurgit, è cuius medio è lacu quodam, aquæ dulces, atque perennes emanant. Prope lacum est silex, in qua cernitur vestigium hominis impressum. Est autem insitum incolis, vestigium illud esse primi parentis generis humani, qui inde in cælum sublatus ab illis esse dicitur. Non procul autem inde sacellum visitur, in quo duo sepulchra mira superstitione coluntur. Existimant enim in his condita fuisse corpora primi hominis, & vxoris illius, è quorum semine fuit vniuersum genus humanum propagatum. Ea verò opinio animis penitus infixa, facit vt eò multi Saraceni, & alij longè diuersis suspicionibus impliciti, religionis gratia confluant. Locus adeò accliuis est, vt neque manibus niti ad summum possint, sed scalis & catenis adiuti eò perueniant. Tota insula valde populosa septem regnis est distincta, è quibus tamen vnus, & opibus, & dignitate, & imperio multum reliquis antecellit. Is in ciuitate maxima, quæ Columbum appellatur, imperij sedem & domicilium habet. Insulæ incolis commune est Chingalarum nomen, qui ferè omnes idola colunt, nudi incedunt, obscœnas corporis partes panno quodam operiunt. A bellis abhorrent, quæ siquando illis necessariò sunt gerenda, militibus stipendiariis, præsertim verò Saracenis, vtuntur. Elephantos nutrit optimos, maximos, ingeniosissimos, quibus reliqui Indiæ elephantes feruntur obedire, quam ob causam Garzias Taprobanam olim præstantissimam, teste Plinio, elephantorum nutricem putat hanc ipsam esse insulam. Syluæ præterea omnis generis auibus resonant, plurimi sunt ibi pauones, gallinæ, palubi multiplices,

Taprobanam alij volunt esse Zeilan insulam.

Zeila.

Zeila Tenarisis ab Indis dicta.

Zeilan alij Cori, alij Nanigerim olim dictam à Ptol. volunt.

Zeilæ situs.

Zeilæ magnitudo.

Montes maximi

Mons Adam.

Lacus.

Sacellum.

Simulachra 2.

Peregrinatio superstitiosa ad Adami montẽ.

Insula est populosa.

Regna septem.

Rex summus.

Columba Regia sedes.

Incolæ Chingali dicti.

Religio.

Vestitus.

Zeilæ elephanti omniũ maximi.

Bestiæ.

plices, cerui, apri, aliæque feræ. Est admodum fertilis, neque solùm variis frugibus abundans, verùm & herbis, & plantis odore mirifico redolentibus egregiè vestita, quæ quidem sine vlla cultura proueniunt. Malorum citreorũ nemora sunt densissima, ficus, vuæ, denique fructus varij, atque multiplices, tam sapore quàm odore gratissimi. Magnam præterea vim cinnamomi, gariophilli, piperis, nucum myristicarum passim fundit, multa habet palmarum genera, sesami seminum, ex quibus oleum conficiunt magnam copiam. Auri, & argenti atque ferri plena est. Multi denique pretiosissimi, atque multiplices lapides, vt adamantes, rubini, saphiri, topazij, amethysti è saxorum ingentium venis eruuntur, & margaritæ etiam incredibili multitudine, & singulari colore, atq; fulgore, extractis ostreis, è profundo maris gurgite proferuntur. Hæc de beatissima illa insula, Indicarum nauigationum authores passim in scriptis suis prædicant. In hanc verò insulam Laurentius Almeida Lusitanus Francisci filius, cum classe nauium anno 1505 quum ex Cochimo Maldiuas insulas patris iussu & mandato petens, æstus vi atq; impetu destinato cursu abductus, primùm fuit delatus. Subiit autem portum quem incolæ Gabalicamũ appellant, ac statim cum Rege illius insulæ pacem per suum legatum petente, fœdus Regis Emanuelis nomine percussit. Fœderis conditiones hæ fuerunt, vt is Emanueli regi singulis annis tributi nomine ducenta quinquaginta millia pondo cinnamomi penderet. Rex autem Emmanuel illum in fidem & clientelam reciperet, & ducibus suis præciperet, vt illius portus, atque maritimas ciuitates ab hostium iniuria prohiberent. Eiusdem Regis consensu Laurentius in terra columnam marmoream cum regis Emmanuelis insignibus statui iussit, quæ significabat insulæ possessionẽ ab illo nomine Emmanuelis occupari. Ad hoc fœdus cũ illo Rege sanciendũ, vsus est Laurentius opera vnius de comitibus suis, viri nobilis atque primarij, Pelagij Sousæ nomine, qui in Regiã deductus, Regem offendit miro fulgore circumlucentẽ. Partim enim gẽmis, quibus erat excultus, partis cęreis facibus, quanuis dies esset clarissimus, omnia splendebant, ad maiestatem hoc pertinere existimans eiusmodi facibus circunsederi. Eodẽ tempore (vt hoc quoque quasi appendicis loco subiungam) nobilis ille rerũ Orientaliũ scriptor Vartomanus, cuius testimoniis iam aliquoties vsus sum, patria Bononiensis ad Laurentium Almeidam venit, qui studio orbis terrarum cognoscendi, multas regiones peragrarat, atque tandem sub mercatoris habitu quum se Saracenum esse simularet, Calecutium peruenerat. Testis Osorius libro 4.

Fruges & fructus. *Herbæ fragrãtes* *Aromata.* *Palmæ.* *Sesamum.* *Metalla.* *Gemmæ.* *Zeila quando & quomodo à Portugallensibus cognita.* *Gabalicamus portus Zeilæ.* *Fœdus Portugallensium cum Zeilandis.* *Fœderis conditiones.* *Columna fœderis insigne.* *Pelagius Sousa nobilis fœderis interpres.* *Regis Zeilandæ splendidus vestitus.* *Faces cereæ.* *Vartomanus.*

Illius insulæ partes versus Boream.) Ptol. promontoriũ Taprobanem (quod Cori promontorio est obiectum) Βόρειον .i. Boræum dicit appellari.

Porrigitur vsque ad Azaniæ oppositum.) Videtur hîc deesse nomen promontorij Azaniæ regionis, quod videtur esse Rhapta vltimũ Azaniæ promontorium, de quo suprà. Quum autem Azania regio sit in Æthiopia, Arriano nostro egregiè consentit Strabo, qui lib. 2. Taprobanam ait in Æthiopiã protendi supra stadia quinque millia: ex qua multum eboris, atque testudinum ad Indorum nundinas afferatur. Azania itaque videtur dicta ab Azano fluuio, quem Ptolemæus vnà cum Soana, atque Barace (à quo forsan Baraces sinus, de quo suprà, fuit denominatus) fluit à Malea monte Taprobanæ elephantorũ pleno.

Azania regio. *Azaniæ nomen vnde.* *Azanus fl.* *Malea mons.*

Masalia.) Ptolemæus Μαισώλειαν, Mæsoliam appellat, cui subiungit Mæsoli fluuii ostia, à quo verisimile est vniuersam illam regionem fuisse nuncupatam, qui eam ab Aruamis separat. Andreæ Corsalio videtur Mæsolia esse regio hodie Coromandel, siue Curumna dicta, quæ quidem centum octoginta leucis patet. Multæ in illa sunt vrbes, vici, domicilia idololatrarum. Solum est optimum, & fertile, abundat oryza, pecoribus, frumẽto, leguminibus omnis generis. Magna ex illa regione oryzæ copia exportatur, contráque merces Cam-

Mæsolia. *Mæsolus fl.* *Mæsolia regio hodie Coromandel siue Curumna* *Coromandelis fertilitas.*

baienses, vt æs, argentum viuum, cuprum, piper, aromata, necnon multæ aliæ Malacenses, atque Bengalẽses merces importãtur. At licet regio omnibus quæ ad victum pertinẽt, mirificè abundet, tamen ob pluuiarum defectum nonnunquam illius incolæ tam dira fame conflictantur, vt & mori, & filios vendere cogantur. Omnes ferè mercatores Chelij dicti, qui hinc inde per vniuersam Indiam mercaturæ faciendæ causa vagantur: ex Coromandel sunt oriundi, homines ingenio subtili, arithmeticæ atque mercaturę peritissimi. Testis est Odoardus Barbosa. Ptolemæus in Mæsolia collocat, & Mæsoli fluuij ostia, Centacossylam, quam nonnulli volunt esse Cail hodie dictam, Codduram, Alosygnem emporium. Belleforestus, & alij volunt Choromandel, siue Colmendel (inter Comorinenses, & Malabarienses sitam) esse Paluram Ptolemæo, quam idẽ Belleforestus perperam dicit in sinu Gangetico à Ptolemæo collocari, quippe quum Ganges non versus Occasum, sed Ortum sese in mare exoneret. Belleforestus regionem, regnúmque Ternasseri sic à metropoli, sita in fluuio eiusdem nominis dictum, in antiqua Mæsoliorũ regione collocat in sinu Gangetico ad occidentalem Gangis partem. Huius regionis terminus ad ortum est Oceanus, & sinus Gangeticus siue Bẽgala, ad occasum regio Bisnagar, ad Meridiem Comerina regio, ad Septentrionem pars regionis Narsingæ, & pars Oryxæ.

Coromandelsium fames. *Chelij mercatores.* *Choromandel quidam volunt esse Paluram.* *Paluram malè à Ptol. collocari videtur.* *Ternasseri in Mæsolia collocatur à Belleforest.*

Desarana regio.) Videtur Σαλακήνη Salacena esse legendum, quã Andreas Corsalius putat esse regionem hodie Paleacate dictam, subiectã regi Narsingæ. Ciuitas regionis portum habet optimum, atque celeberrimum emporiũ. quò monilium, atque gemmarum magna vis ex Pegu, & Zeilan insulis defertur. Illius incolæ partim sunt Saraceni, partim Ethnici, ditissimi mercatores. Legibus, victu, habitu, moribus Calecutiensiũ sunt simillimi, bellicosi, bellicis licet tormẽtis careãt. Inde distat Tanasseri centũ milliaribus. Hæc Corsalius, Vartomanus, & alij.

Salacene regio. *Salacena hodie Paleacate.* *Paleacatis regni descriptio.* *Incolæ.*

Fert elephantum dictum Bosare.) Nomen Βωσαρὴ videtur certam quandã elephanti speciem significare, quod nusquam alibi potui reperire. Bosari videtur dici quasi βοῦς Ἄρηος bos Martius. est enim elephantus animal πολεμικόν, vt ex historiis patet. Quid si proboscidis vocabulum hinc sit deriuatum?

Bosare. *Proboscis.*

Multæ gentes barbaræ.) Non sine causa Plinius libro 7. cap. 2. Indiam prę cipuè, Æthiopúmque tractus dixit miraculis scatere. Ibidẽ vide plura de monstrosis Indiæ, atque Æthiopiæ populis. De iisdem vide Strabonẽ lib. 15. Sunt autem in vniuersum homines admirabiles atque monstrosi, quorum passim in Indiæ, præsertim & Æthiopiæ descriptionibus mentio fit, variis modis. Primò corporis, statura, eáque vel nimis magna, vt sunt gigantes, & infrà Arrianus meminit, quorundam vasta corporis mole præditorum hominum: vel nimis pusilla, vt sunt Pigmęi. Vtriusque generis vt olim, ita hodie quoque in illis regionibus reperiuntur. Deinde varia corporis forma, atq; figura, cuiusmodi sunt, exempli gratia, quorum Arrianus hîc meminit, quos appellat Cirradas, naribus elisis. Hippioprosopos, id est, equina facie, macroprosopos, id est, longa facie præditos. Item infrà facit mentionem quorundam quos appellat platyprosopos, id est, lata facie præditos, item simos, item alios κολοβοὺς, id est, mutilos corpore, siue blaterones appellat. Huiusmodi præterea sunt, quos Strabo in India enotocoetas, astomos, amycteras, monommatos appellat, &c. Philostratus macrocephalos. Præterea à sermone, siue lingua, vocísque sono, vt de Troglodytis suprà dictum est. Alij item à victu monstroso, vt Anthropophagi, & quorum suprà facta est mentio. Alij à habitatione admirabili, cuiusmodi sunt Troglodytæ: alij à velocitate, vel robore portentoso, vt Oxypodes. Itẽ à monstrosa vitæ diuturnitate, vt sunt Macrobij. Denique à sexu monstroso, vt sunt Androgyni. Huiusmodi autẽ monstrosorum hominum regiones illas Orientales olim refertas fuisse passim ex historiis constat: tametsi quædam fide indigna

Æthiopiæ & Indiæ monstra. *Monstrosi homines multiplices.* *Monstrosi corporis quantitate.* *Monstrosa corporis forma.* *Cirradæ.* *Hippioprosopi.* *Macroprosopi.* *Platyprosopi.* *Enotocoetæ.* *Astomi.* *Amycteres.* *Monommati.* *Macrocephali.* *Oxypodes.* *Macrobij.* *Androgyni.*

digna iudicantur.

Cirradæ.) Hinc Cirradia regio, cuius Ptol. meminit in India extra Gangem in qua aiunt optimum malabathrum nasci. *Cirradæ.*

Agrij, Bargysi.) Forsan sunt βησυγῖται, Bisingitæ, quos aureæ Chersoneso Ptol. vicinos esse asserit, magnáque auri copia abundare. *Agrij, Bargysi.*

Anthropophagi.) Zamiras Ptol. Cirradis vicinos Anthropophagos facit. Hodie humanis carnibus vescentes in Batech regione Taprobanæ, in Adramania insula Taprobanæ vicina aurifera, in insulis Celebe, in Iaua, in Amboa, in insulis Moluchis, denique in Quiloa, & Melinde esse dicuntur. *Anthropophagi.*

Post hæc.) Post regionem Desarenam, siue Salacenam, quam nonnulli volunt esse Paleacate, sequitur regnum atque regio Oryxæ hodie dicta, quæ à regno Narsingæ monte Vdirgimale dicto separatur. Regionis autem Oryxæ ab Orixa eius metropoli (quam nonnulli volunt esse Paluram à Ptolem. dictam) cognominatæ homines sunt simulachris dediti, rei militaris periti, cum rege Narsingæ assiduè bella gerentes. Extenditur hæc regio vsque ad Gāgem flu. de quo mox. *Oryxæ regio.*

Ganges occurrit.) Ganges flu. à qua India Gangetis à Poetis appellatur, citeriorem Indiam ab vlteriore disterminans, sic dictus à Gange Æthiopiæ rege (vt Suidas inquit) de quo vide plura apud Philost. lib. 3. cap. 6. vbi illum decem cubitorum longitudine, præstantissima forma præditum Gangis fluminis filium appellat. Plutarchus de fluminibus (si quidem author est illius libelli) Gangem Indi, atque Calauriæ Nymphæ filium, cùm per ignorantiam cum matre sua concubuisset, præ nimio mœrore se præcipitem in hunc fluuium dedisse fabulatur, à quo Ganges sit appellatus, cùm prius ei Chliari nomen fuisset. Multi volunt etiam Phison illum paradisi fluuium, qui terrā Hauilah, hoc est (vt quidam volunt) Indiam circumire, siue circumfluere dicitur. Alii tamen nomine Phison Nilum, alii nescio quem incognitū Arabiæ fœlicis (quam volunt esse Hauilah) fluuium esse existimant, de quo vide Matth. Beroaldi Chronicon. Idem Mercerus præceptor meus obseruandus piæ memoriæ sensit. Gāges hodie, & Guenga, & Ganga, & Canc vulgò appellatus. Est tamen etiam alius fluuius Ganga dictus valde celebris & insignis, qui teste Ioanne Barroso, à montibus Gatè, duobus fontibus ad ortum ipsius Chaul circiter quindecim leucarum interuallo à se inuicem distantibus oritur, in duos ab initio fluuios diuisus. Horum alter qui à fonte Septentrionali oritur, Crusuar, alter qui ab altero fonte meridionali nascitur, Benhora appellatur. Hi duo fluuii coniuncti, quasíque ad vnum corpus redacti Ganga efficiunt, qui per regni Oryxæ maximas partes delatus, metropolim eius Rumanah nomine præterfluit, tandem in illustrem illum fluuium Gangem, inter duo loca Angolii, & Picholda nomine, gradus vigintiduo exoneratur, atque ita vnà cum illo in mare decurrit. Hic fluuius non secus, atque Ganges sacer, & religiosus habetur, ita vt Saraceni in omnibus locis per quæ fluit, vberrimum ex illo quæstum faciant, non nisi certa accepta mercede superstitiosis hominibus, in illius aquis, quæ peccata expiandi vim habere creduntur, sese lauandi, balneandíque potestatem facientes. Hic verò fluuius à vero Gange, cum quo sæpe confunditur, diligenter est distinguendus. Gangis fontes Plin. incertos esse dixit lib. 6. cap. 18. circa quos tamen idem lib. 6. cap. 2. gentem Astomon dictam scripsit habitare. Strabo lib. 15. ex Artemidoro asserit illum ex Emodo monte ortum in Austrum deferri, & quum ad Gangem vrbem peruenerit (de qua mox) ad auroram conuerti vsque ad Palibotra, tandémque in mare ingredi: Mela similiter ex Emodo monte multis fontibus conceptum vnum alueum dicit facere. Belleforestus à montibus Scythię, & ea Indoscythiæ parte Aracam dicta, illum oriri testatur.

Ganges. *Ganga fl.* *Crusuar fl.* *Benhora fl.* *Ganga in Gangem influit.* *Rumanah Oryxæ metropolis.* *Ganga fl. sacer habetur.* *Ganga cum Gāge fl. sæpe confunditur.* *Ortus Gangis.* *Astomi circa Gangis fontes.* *Gangis progressus.* *Ganges & Indus omnium maximi fluuij Indiæ.*

Maximus Indiæ fluuius.) Indiæ totius ferè fluuii orbis & maximi & plu-

rimi sunt,quorum duo quasi Reges sunt Indus,& qui illo longè est maior Gãges. qui magnus statim ab ortu suo, fluuios(teste Arriano lib.decimoquinto,& Plin.lib.6.cap.15) decem aut nouem recipit, ex quibus nonnulli nauigabiles. Belleforestus triginta fluuios,quorum plerîque nauigabiles in illum exonerari dicit. Diodorus Gangis latitudinem triginta stad.facit. Mela quando angustissimus fluit,decem millia passuum patere dicit.Solinus,atque Martianus,latitudinem eius minimam octo, maximam viginti, altitudinem (vbi vadosissimus est, c. M. pass. faciunt: Arrianus minimam eius latitudinem c.stad.esse scribit: Nicolaus Contius, illum adeò magnum esse dicit, vt qui stent in illius medio, nulla ex parte terram conspicere possint, & quibusdam in locis tredecim milliaria patere. De nominibus fluuiorum quos recipit, vide Arrian. lib.8. atque Ptol.de India intra Gangem.

Ganges quot flumina recipiat. Gangis magnitudo. Altitudo Gãgis.

Nilo simile incrementum.) De Nili accessu atque recessu eiúsque causis, quas alii ad niues atque pluuias, alii ad Etesios ventos referunt præter Plin. lib.5.cap.9.Strab.lib.5. poteris legere Scaligerum contra Cardanum, necnon Rhamnusium, qui peculiarem de illo libellum Italicè conscripsit. De eodem sic eleganter Cic.lib.2.de natura deorum disserit, Ægyptum,inquit, Nilus irrigat, & cùm tota æstate obrutam oppletámque tenuit, quum recedit, mollitósque & oblimatos agros ad serendum relinquit.Arriano nostro Plinius quoque suffragatur,qui Gangem cum Nilo incrementi atque decrementi admirabilis societate coniunctum esse docet.Idem lib.2.cap.103. Deli quoque insulæ fontem Inopum nomine pariter cum Nilo & decrescere, & augeri significat.Sed hîc de Gangis quoque ostiis dicendi se offert occasio.Illa septem olim fuisse numero,Mela testatur.Ptolem.quinque numerat,quorum nomina hæc sunt:Cambysum ostium maximè Occidentale situm inter Cosambam (quam volunt esse Tarnassarim hodie dictam regionem) & Paluram, quam volunt esse Oryxam hodie appellatam.Secundum est,quod dicitur Magnum.Tertium, quod Camberychum iuxta quod est ciuitas Tylogrammum, quam Castaldus ait esse Chatigã,siue Satigan hodie dictam.Quartum quod dicitur Pseudostomum.Quintum quod dicitur Antiboli,quod Mela septimum facit. Strabo lib. 15. vnicum tantum illius ostium facit. Hodie teste Ioanne Barroso Ganges in extremitate sinus Gangetici, hodie Bengala dicti, multis licet ostiis in mare exoneretur: duo tantùm maximè sunt illustria quæ literæ Δ figuram efficiunt, id quod in aliis quoque insignibus,fieri solet.Primum ostium Occidentale Satigan appellatur à ciuitate eiusdem nominis,iuxta illius ripas posita, vbi mercatores nostri mercaturam atque negotiationes suas exercent.Hoc Belleforestus vult esse Magnum Ptolemæi. Alterum ostium Orientale est iuxta portum celebrem, qui Chatigan appellatur, in quo confluunt omnes merces, quæ in regnum Bengala vel importantur,vel exportantur.Hoc Belleforestus vult esse Antiboli olim dictum.Chatigan autem Castaldus vult esse oppidũ olim Tylogrammum dictum, quod Ptol.inter tertium Camberychũ nomine,& quartum Pseudostomum Gangis ostium ponit.Inter illa verò duo Gangis ostia Satigan, & Chatigan(vbi est initiũ regni Verma)ab ortu ad occasum circiter c. leucarum, vel,vt Osorius inquit, tercentum passuum millia interuallum esse dicitur.

Collatio Gangis cum Nilo quoad aquæ incrementum, & decrementum. Nili incrementum. Canopus fons Nilo similis. De ostijs Gãgis. Cambysum primum ostiũ Gangis. 2. ostium Gãgis Magnum. 3. Gangis ostium Cambericum. Ciuitas Tylogrã mum. 4. ostium Gãgis Pseudostomum. 5. ostium Antiboli. Gangis ostia duo hodie insignia. Ostium Occidentale Satigan. Ostium Orientale iuxta Chatigan. Chatigan quidã volunt esse Tylogrammum olim dictum.

Iuxta quem emporium Ganges.) Ptolem.Γάγη vrbs regia Gangaridarum, qui (eodem teste) illi sunt,qui regionem illam omnem circa Gãgis ostia tenẽt, sic dicti à Gange flu.Diodorus lib.3. Gangaros appellat, quos solos Alexandrũ Magnum totius Asiæ imperio potitum, non oppugnasse, testis est Iustinus lib. 12.Gangaritas appellat nisi forsan mendum sit,& Gangaridas legendum.Plin. lib.6.cap.19.Nouissimæ gentes Gangaridum, Calingarum.Regio Partalis vocatur.Regis illorum potentiam, equestres, & pedestres copias ibidem describit.Eorundem meminit Q.Curtius lib.8. Diodor.17.lib.Hæc autem regio, atque regnum hodie dicitur, regio regnúmque Bengala, ipséque sinus Gangeticus,

Gange vrbs. Gangari populi. Bengala regnum & regio.

ticus, sinus Bengala, nimirum à Bengala metropoli, quæ ab ostio Gangis duorum dierum itinere distare dicitur. Vrbs est magna, optimum portum habens, cuius incolæ partim Saraceni necnon permulti extranei Arabes, Persæ, Abissini. Ædes habet circiter 40. mille, in qua Rex sedem & domicilium suum collocat. Distat à Tarnassari 700. mill. pass. Nonnulli (vt Castaldus) volunt esse Gãgem olim dictam, cuius hic Arrianus meminit: alii verò Baracuram, quam Ptolem. in sinu Gangetico, post Gangis ostium Antibolum nominatum, collocat. Est autem Bengala regio latissima, quam Ganges fluuius (à quo Bengala, quasi Gangala videtur dicta) interfluit, incredibili fertilitate prædita. Gens est colorata, neque deformis, nec inuenusta, ingenio acuto atque solerti prędita. Mercaturæ est dedita, lautissimè viuit, vestibus eleganter excolitur. Venere, & ingluuie, multísque vitiis astricta est. Præterea fidem minimè sanctam habet, dolis & fraudibus gloriatur. Vt plurimùm simulachra colit, multi tamen in eo regno Mahumetis sunt disciplinis adstricti. Rex Bengalensium Saracenus est pòtentissimus, magnis equitum copiis instructus, assiduè cum rege Narsingę bella gerit. Regem qui interimit, id Dei iussu atque mandato fecisse creditur. Verùm de regione hac atque gente, qui plura cognoscendi studio tenetur, legat Odoardum Barbosam, Ludouicum Vartomanum, Summarium Orientale. In hoc regnum Ioannes Syluerius Lusitanus anno 1517. profectus à Chatingami, atque Darracæ (quæ duæ Bengalæ ciuitates sunt) præfectis in fraudẽ inductus, pręlio atque virtute saluus euasit, indéq; in Zeilãdam insulã profectus est.

Bengalæ regionis fertilitas. *Bengalæ incolæ.* *Rex Bengalensium.* *Chatingami. Darraca.*

Malabathrum & Gangica nardus.) Nicolaus Contius Gangis ripas suauissimis frugibus, atque fructibus redundare dicit, inter quos fructum quendã Musa patria lingua dictum commemorat melle dulciorem ficubus similem: Ibidem cannas siue arundines adeo longas, & crassas scribit nasci, quas vnus homo brachiis non possit complecti, ex quibus scaphas exiguas, piscatoriis nauigiolis similes conficiunt, quarum ibi in nauigando maximus est vsus. Gangeticam porrò hanc regionem hodie Bengala dictam, Barbosa & alii gossipio, zinzibere, pipere longo, arundinibus saccharinis, malis aureis, citriis, aliísque huiusmodi fructibus, necnon gallinis mirificæ magnitudinis, equis, vaccis, veruecibus, omni denique genere pecorum refertam esse testantur.

Malabathrũ & Gangica Nardus. *Musa fructus.* *Arundines grandes.* *Bengalæ fertilitas.*

Pinicum.) Ipsum Gangem auri, atque gemmarum plenum esse Plin. & lib. 33. cap. 4, & lib. vlt. c. vlt. (vbi Acesinum atque Gangem gemmiferos appellat) clarissimè testatur. In eodem fluuio teste Plin. lib. 9. cap. 3. anguillæ tricenorum pedum olim fuerunt repertæ. Necnon, eodem teste, lib. 9. cap. 15. Siluri, quos plataniſtas vocant, rostro Delphini, & cauda, magnitudine quindecim cubitorum. Item, quos Plin. Statij Sebosi testimonio probat in eodem olim nati sunt vermes binis branchiis sexaginta cubitorum, cærulei, qui nomen à facie traxerunt, quorum tantæ vires, vt elephantos ad potum venientes mordicus comprehensa manu eorum abstraxerint. De delphinis & crocodilis Gangis Strab. 15. Artemidorum testem citans. Nec verò solum Gangis aquæ tantorum monstrorum sunt nutrices, verum etiam salubres, & hodie religionem possidere ab incolis existimantur, ita vt multi vel vt morbos depellant, vel vt animos scelere pollutos expient, illis frequenter abluantur. Hanc vim lustralem idcirco Gangi tribuunt, quòd illum ex terrestri illo Paradiso, in quo primi nostri parentes à Deo fuerunt collocati, promanare persuasum habent.

Ganges aurifer. *Anguillæ miræ magnitudinis.* *Siluri.* *Vermes monstrosi.* *Delphini. Crocodili.* *Gangis aquæ salubres & lustrales habentur.*

Sindones Gangeticæ eximiæ.) In Gangetica hac, siue Bengaliensi ora hodie quoque gossipium, sericum, & varia, multiplicia, atque præstantissima lina vestes, atque panni reperiuntur. Cuiusmodi sunt quos vernacula lingua, Mamuna, siue Namone, Daguza siue Doazar, Cautares, siue Ciantaros, Lizaros Topaticos appellant, qui quidem passim in Turcia, Soria, Persia, Arabia foel. totáque India distrahuntur singulis annis quinquaginta naues gossipinis, sericísque pannis onustæ abducuntur, vt testis est Vartomanus, Barbosa, &c.

Sindones Gangeticæ. *Bengalenses vestes, & panni.*

Aurifodinæ.

Aurifodinæ.) Ipsum Gangem auri ramenta habere Plin. testatur. Præterea apud Gangaridas, Hypanim & Megarsum amnes aurum ferre testis est Dionys. Afer. Ac omnino vniuersa India præsertim verò vlterior, auri, argenti, margaritarum, atque gemmarum est affluentissima.

Caltis numisma aureum.

Numisma aureum Caltis.) Hodie quoque in Bengala monetæ species vsitata est Calais nomine, quæ vox vocabulo Caltis (qua hîc Arrianus vtitur) per quàm est affinis, cuius mentio fit in Summario Orientali.

Insula Oceani.

Insula Oceani. Plin. lib. 6. cap. 19. Insulam in Gange dicit esse magnæ amplitudinis, quæ continet gentem, Modogalicam nomine. Paulò antè mentionem fecit Arrianus noster continentis aureæ, quam dixit extremam esse regionem versus ortum. Insulæ duæ extra Indi ostium sunt Plinio, Solino, Melæ, Martiano, quarum vna Chryse, siue Chrysera, altera Argyre, siue Argyrea dicta ob auri nimiam & argẽti quandam copiam. Stephanus χρύσην. i. auream insulam à Dionysio appellari dicit, ob auri copiam, & Chersonesum, simili χρύσην. i. auream in India extra Gangem à Martiano commemorari. Ac omnino videtur Chersonesus illa aurea his à Ptol. tangi, quam Ptol. inter sinum Gangeticum, & sinum Magnum (quem volunt esse mare Sur hodie dictum) interponit. Hãc constat Auream cognominatam ob auri magnam vim, quæ in illa nascitur. Quidam (vt Iosephus) existimarunt hãc esse regionem illam Ophir, ex qua Sacræ literæ testantur magnam auri optimi (quod Obrizum, quasi Ophirizum dicitur) copiam Salomoni fuisse aduectam. Alii tamen volunt Ophir esse Cefalam (de qua suprà) alii regionem Pegu hodie dictam, nonnulli Taprobanã siue Sumatram, quæ omnes auro abundant. Verùm vtut hæc se habeant, illud quidem inter plerosque ferè Cosmographos hodie constat auream Chersonesum esse eã quę hodie Malacha dicitur, à metropoli illius regionis Malacha nomine, quam Alph. Adrianus vult eam esse quæ Tacola à Ptol. appellatur, quam Ptol. emporium & promontorium appellans primùm, ponit in Chersoneso aurea iuxta Chrysoanæ flu. ostia. Tametsi Castaldus Tacolam Ptolemæi vult esse ciuitatem hodie dictam Tauay, sed prior opinio est probabilior. Porrò Chersonesus aurea siue Malacha ad ortũ sinu Chamboia (olim Perimulico dicto) ad occasum sinu Gangetico, siue Bengala, versus Meridiem freto, quod illam à Sumatra, siue Taprobana disterminat, versus Septentrionem vbi est in cõtinente, regno Siam circumscripta ac definita est. De hac sic Emmanuel rex Portugalliæ in epistola ad Leonem x. Pontificem scribit. Auream Chersonesum, inquit, Malacham accolæ appellant. Ea est inter sinum Magnum, & Gangeticum sita. Vrbs miræ magnitudinis, terra ipsa fœcundissima, & nobilissima, quas fert India mercium feracissima. Celebratissimum ob id emporium, vbi non modo varia aromata, & omnigeni odores, sed auri quoque, & argenti, ac pretiosorum lapillorum magna copia affluit. De eadem sic Osorius libro 6. & Odoardus Barbosa. Malacha vrbs in aurea Chersoneso, quæ & ipsa inde Malacha hodie dicitur ad ostium fluminis non valde magni (quod Chrysoanam Ptolem. appellat) sita est. Celeberrimum est Oriẽtis emporium quatuor millibus passuum in longitudinem patet, latitudine perangusta. Arboribus, & variis fructibus abundat, frugibus, & rebus aliis ad victum pertinentibus, importatis vtitur. Fluuio, qui mediam vrbem interfluit, distinguitur, vtraque tamẽ vrbis pars inter se ponte cõiungitur. Ædes, & vrbis mœnia sunt magnifica, & eleganter extructa. Gens est colorata, & moribus, atque vitæ cultu ad humanitatem propensa. Lingua adeò suauis existimatur, vt omnes finitimæ regiones & insulæ etiam, quæ commercium cum ea ciuitate vllum habent valde ad vrbanitatem, & elegantiam pertinere arbitrentur linguam & orationem ciuitatis illius vsurpare. Gens est vestitu, & cultu lautissima, musicis oblectatur, in bello tamen est acris, & quæ facilè pro decore, & dignitate mortem appetat. Pertinebat hæc ciuitas olim ad regnum latissimum, & opulentissimum, quod Siam

Chryse insula. Argyre insula. Chersonesus aurea vnde dicta. Ophir regio. Chersonesus aurea hodie Malacha. Malacha metropolis olim Tacola. Malachæ termini. Chersonesus ab Emmanuele rege descripta. Malacha vrbs. Malachæ descriptio. Malacha emporium. Malachæ longitudo & latitudo. Fertilitas. Fluuius. Aedificia. Incolæ. Mores. Lingua suauissima. Vestitus. Belli studia. Malacha olim regi Siamensi subiecta.

Siam appellant. Rex enim Siamensi Regi parebat. At quum ex portoriis ingentibus summas sibi opes comparauisset, & maiores quosdam diuitiarũ magnitudine spiritus assumpsisset, à Siamensi rege defecit. Hanc deinde libertatẽ partim armis, quibus Siamẽsi fortiter obsistebat, partim muneribus, quibus illius consiliarios, vt Regem à bello deterrerent, detinebat, facilè tuebatur. Hãc regionem atque gentem primò patefecit Doëgus Lopezus Siqueira, nobilis Portugallensis anno salutis 1508. vt testis est Osorius libro 6. Verùm quũ postea Saraceni proditione Portugallenses quosdam vnà cũ mercibus cœpissent, ac nonnullos eorum occidissent, Alfonsus Albuquercius eandem duobus acerrimis præliis commissis cœpit, opima præda capta, & in regis Emmanuelis potestatem redegit, & arcem in illa (quò facilius in officio, obsequióque contineret) munitissimã, ædificauit. *Malacha quãdo primũ à Portugal. patefacti.*

Post hanc regionem.) Sequitur Sinarum regio, olim China dicta, Verùm de illa antequam dicamus, breuiter & summatim de hac India vltra Gangem, siue vlteriore, siue maiore (vt nonnulli eam appellant, in qua etiam est Bengala, & Malacca) videtur dicendum. Hæc igitur Macyn, siue Cane à fluuio Gange, qui eodem nomine hodie est insignitus, appellata à Septentrione Scythia atque Serica, & regione Cambalu: à Meridie pelago Indico, & parte maris Prasodis, quod secundum lineam paralellam vsque ad opposita sinus magni extenditur: ab ortu Sinarum regione hodie China dicta, iuxta magnum desertum: ab occasu Gange fluuio terminatur. Hæc India multas insulas, gentes, regiones atque regna pulcherrima, amplissima atque opulentissima, quasi sinu gremióque suo complectitur. Inter hæc maximè insignia atque illustria sunt, quæ sequuntur: Bengala, de quo supra, Verma regio atque regnum ab vrbe eiusdem nominis, quæ supra fluuium Tocosanam sita est, sic appellatum, ab vna parte cum Bengala, ab altera cum regno Pegu coniungitur. Portu maritimo ad mercaturam faciendam apto caret: illius incolæ homines sunt nigro colore prædití, nudi incedunt, pudendáque gossipinis atque sericis pannis tecta habentes. Regio regnúmque Aracan, siue Araquem cognominatum ab Aracan illius metropoli, quam nonnulli volunt illam esse, quæ Cosamba à Ptolemæo dicitur. Tametsi Castaldus Cosambam vult esse Satigan hodie dictam, de qua suprá. Regnum hoc inter Bengalam, & Aua interpositum, amplum esse dicitur, maritimi portus expers. Illius Rex multas vrbes, vicos, regiones possidet, equos, & elephantos (qui ex regno Pegu adducuntur) innumeros habet, opibus, atque copiis militaribus valde est instructus, assidua cum vicinis bella gerens. Delitiis, voluptatibus, atque libidinibus supramodum indulget, maximum in penu suo Rex concubinarum numerum habet. Regni incolæ sunt colorati, nudi vmbilico tenus, obscœnas corporis partes sericis & gossipinis tegunt, auro atque gemmis ornantur, acerrimi sunt idolorum cultores, quibus magnifica fana ædificant. *Regio Sinarũ* *Indiæ vlterioris termini.* *Regiones Indiæ vlterioris.* *Bengala.* *Verma regio.* *Regnũ Aracã.* *Rex.* *Incolæ.*

Pegu regnum, siue regio post Gangem fluuium ad Solis occasum pertinet, & latissimis illius oræ terminis continetur, mare quod ad Sinam ex quadã parte pertinet, attingit, nonnulli volunt esse regionem ληστῶν. i. pyratarum à Ptolemæo dictam. Hæc verò regio similiter nomen suum sortita est à Pegu illius regni vrbe primaria, quæ à mari viginti quatuor, siue triginta mille passibus disiuncta, iuxta maximum flumen sita est, quod ex altissimis montibus ortum suum habens, certis mensibus longè latéque in agros exundat, istósque mollitos & oblimatos semente facta oryzæ feracissimos reddit. Vrbem hanc nonnulli volunt olim Balongam à Ptolemæo fuisse appellatam, quam ille in sinu Magno inter Thagoram, & Throanam ponit. Alij tamen (vt Castaldus, Belleforestus) Pegu volunt esse Thriglyphon Ptolemæo (quod & Triglypton dicitur) in quo galli gallinacei barbati esse dicuntur, & corui & psitacci albi. Ipsius verò regnum maximis opibus, diuitiis, mercibns abundat, portus tres siue qua- *Pegu regnum* *Pegu vrbs alijs Balonga, alij Triglyphon videtur & Triglypto*

tuor maritimos Saracenorum, atque Ethnicorum frequentia celeberrimos, inter quos maximè excellit Martabane dictus, in quo & laccæ optimæ, ideo laccæ Martabanæ ab Indis dictæ, magna copia nascitur, & vasa porcellana pulcherrima fiunt. Regni incolæ ad rem militarem inepti, libidinibus & voluptatibus planè sunt addicti.

Martabanus Pegu regni portus cultissimus. Incolæ

Aua regio & regnum inter regnum Aracam, & Siam interiacet, sicque denominatur ab Aua metropoli, in qua Rex ferè semper habitat. Vrbs est magna, & opulenta, emporiũ gẽmarum omnis generis, imprimis verò rubinorũ, atq; spinellorũ celeberrima. Hanc nõnulli (inter quos est Mercator) volũt esse vrbẽ Palibotrã, quæ valde olim clara, & illustris fuit. Hos toto (quod dicitur) cęlo errare Belleforestus rectè monet, quippe quũ Palibotra secundũ Strab. descriptionẽ lib. 15. multis mille pass. à Gangis ostiis distet, sitq; in India citeriore: contrà verò Aua vltra locũ, vbi Ganges in mare intrat, sita sit in India nimirũ ulteriore. Idem ex Ptolemæo constat, qui Palibotrã ponit inter fl. Soas, & Gangem non procul à monte Vxento in India citeriore. Belleforesto itaq; Palibotra quidem videtur esse vrbs hodie Aruiragu dicta, quæ sita est in extremitate Gangis procul ab illius ostiis. Aua autem illa quã Ptol. Tugmã metropolim appellans iuxta Gangẽ collocat inter Palisarã, & Asabiũ. Castaldo tamen Aua videtur potius esse Arisabium, quæ Tugmæ est vicina. Regio Aua elephantis, equis, omníque pecorũ genere abundat. In eadem omnis generis gẽmæ, in primis verò rubini, & spinelli (qui & ipsi rubinis colore similes, splendore autem sunt inferiores) plurimi nascuntur in montibus Capelangam, qui olim Damasi dicti, regioni China sunt vicini, hàncque Indiã à regione Mangi disterminãt. Moschi quoque excellentissimi magna est in Aua, vt & in Pegu, copia, qui ex animali quodam paruo Gazelæ simili extrahitur, de qua Odoardũ Barbosam videre poteris.

Aua regio. Aua vrbs. Auam non esse Palibotram. Palibotra Belleforesto videtur esse Aruiragu hodie dicta. Aua videtur esse Tugma. Aua alijs videtur esse Asabiũ olim dicta. Auæ animalia. Gemmæ. Capelangam mons gemmiferi olim Damasus Mos. Moschus.

Siamense regnũ latissimũ, & opulentissimum orã ferè omnẽ extremæ Indiæ (quæ ad ortũ Solis spectat, & ad Septentrionẽ inflexa, sinu maximo, Sinarúmq; termino Occidentali definita est) amplectitur: & inde ad occasum cũ regno Peguensi coniungitur. Promõtorio autẽ, quod à Malaca circiter centũ & viginti pass. mill. abest, superato Malacã etiã (vt paulò antè dictũ est) cõtinebat. Regio Siam mirifica viriditate, amœnitate, atque fertilitate est prædita: ferarũ, atq; pecorũ omnis generis plenissima. Auri magna copia tũ in vniuerso regno, tum verò atq; inprimis in regione Paam reperitur, quæ est iuxta Malachũ versus Chinam sita, olim Siamensis, hodie Malaccensis ditionis. In Charãgor Regis quæ & ipsa ad Siamense regnum pertinet, magna est stanni copia, quod ceu merx pretiosissima Malaccam, indéque in alias Indiæ partes exportatur.

Siamẽse regnum. Siam regio fæcũda. Aurum. Stannum.

Belzui quoque (quod est arboris cuiusdã gũmi) sanè pretiosissimi, quod Saraceni zubaniabi appellant, duo genera in mediterranea regione Siamensi nascuntur, quorũ alterũ nõnisi igni impositum, odorẽ exalat, alterũ verò odoratissimum, ex quo storax cõficitur. Portus regni cùm alij, tum verò atq; inprimis duo nobiles, & insignes, nẽpe Tarnassari emporiũ celeberrimum, & Quedaa, vbi plurimum, optimum atq; pulcherrimũ piper nascitur: indéq; Malaccam, & in Chinã defertur. Rex eligitur plerunq; ex Regis genere oriundus, præsertim sororis Regis demortui filius, aut nepos: si verò is minus ad regni gubernacula aptus esse videatur, communi suffragio aliquẽ creant, quẽ censent esse optimum. Is apparatu atque copiis bellicis, tam pedestribus, quàm equestribus est instructissimus, sedem suam habet in Odia, siue Vdia ciuitate sita, iuxta Menam fl. (de quo postea) populosissima, in qua 50. millia hominũ reperiũtur, qui bellis sunt apti, venationibus (quoniã regio feris abundat) plurimũ vacat, pellices 500 & amplius habet, apud exteros atque peregrinos magna est in authoritate, incolis regni est familiarissimus. Atq; hi quidẽ hoĩes bene admodũ morati, atq; ciuiles, Regẽ suũ summa obseruãtia, obediẽtiáq; colũt. Ingenio & consilio

Belzui. Duo genera Belzui. Tarnasseri emporium præstantissimum. Quedaa emporiũ. Odia ciuitas. Incolarũ mores.

cõsilio multum valẽt,secreta tacere,linguámque suã optimè frænare possunt. Cùm idololatriæ,tum mercaturæ, præsertim illi qui Chelij, & Chij dicuntur, maximè student,lingua Peguensi vtuntur,vasta corporis mole, albóque colore sunt præditi,Saracenis,quibus illic non licet arma gestare,infensissimi. Regni proceres (vt hoc quoque addamus,valde ridiculum)nõ modò crepitacula aurea(quod Peguenses quoque,& alii facere solent) verùm etiam adamantes, gemmas in membro virili gestare consueuerunt. Nunc antequam ad aliam regionẽ,siue regnũ Indiæ vlterioris accedamus, non est prętermittenda mẽtio ingẽtis cuiusdã lacus,ex quo flumina,per tria iã ex ordine cõmemorata regna Pegu, Aua,& Siam fluentia,oriuntur.Is lacus ad Boream situs Chiamay dicitur,ex quo sex insignes fluuij nascuntur.Horum tres quidem cum aliis fluuiis mixti atque coniuncti,ingens illud flumen efficiunt, quod per regnum Siam decurrens,ob aquarum abundantiam,Menan vernacula lingua,hoc est,aquarum mater dicitur,illius ostiorum latitudo est tredecim graduum.Quoad reliquos tres,illorum primus per regnum Caor(vnde etiã Caor dicitur)transiens supra Chatigã in nobile illud fluuij Gangis brachium per mediam insulã Sornagor exoneratur.Secundus verò Aua à regione per quam fluit denominatus, regnum Pegu,à regione Aua,atque Aracam separans, intrat in sinum Sabaricum,Nagraes, siue Nigraes hodie à promontorio cognomine nuncupatum. Tertius regnum Pegu,à Brema & Siam regnis disterminans, ac per Martabanem ciuitatem decurrens,inter Tauay & Pegu oppida similiter in sinũ Sabaricum,siue Nigraes exit latitud.15. grad.

Ingens lacus nomine Chiamay.

Menan fl.

Caor fl.

Aua fl.

Nigraes prom.

Regnũ Cãboia.

Mecon fl.

Regno Siamensi proxima est regio regnúmque Camboia,quam mediam interfluit nobilissimus ille fluuius Mecon,cuius fontes sunt in regione China, quindecim plurimis & maximis fluuiis auctus,magnúmq; terrarũ spatiũ emensus, tandẽ multis ostiis in mare intrans,lacũ prius efficit,plusquã 60.leucarum magnitudine. Sed multis quoque aliis fluminibus abundat,per quæ nauibus, quas Lancharas appellant,quoquò versus mercandi,atq; prędãdi gratia vagãtur.Regio est oryzæ optimæ,pisciũ,equorũ,elephantorũ mansuefactorũ,pecorũ deniq; feracissima. Auri quoq; nonnihil habet,plurimũ eboris. Illius incolæ sunt bellicosi.Rex assidua cũ Bremensibus,Siamensibus,nonnunquã etiã cum Cãpaensibus bella gerit.Principes regni mortuo Rege non dubitant vnà cum Regis concubinis sibi voluntariã mortẽ resciscere. Sic in Tarnasseri & multis aliis Indiæ vlterioris locis fœminæ in defuncti mariti rogũ seipsas iniiciunt, vitámque vltrò finiunt. Hunc autem morem antiquissimum esse, Propertius testis est,cuius hæc sunt carmina ante annos ferè 1600.scripta.

Lancharæ naues.

Camboiæ fœcunditas.

Mores Camboiẽsium.

Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis,
Namque vbi mortifero iacta est fax vltima lecto,
Vxorum fusis stat pia turba comis.
Et certamen habent lethi, quæ viua sequatur,
Coniugium, pudor est non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponúntque suis ora perusta viris.

Regnũ Chãpa.

Idem Strabo,qui Tiberij temporibus floruit,testatur libro 15.Camboiam sequitur regnum Champa,siue Champaa latissimum,in quo plurimum nascitur oryzę,necnon ligni aloes,quod Saraceni Calambus appellant. Rex est opulẽtus,idolis addictus, equitatu pollens, cui continuũ cum Rege Cochinchina bellum intercedit. Sequitur regio regnúmque Cauchichina,siue Cochinchina à Portugallensibus,ab incolis Cachu appellatũ,inter Cãpaa,&China sitũ. Regio multis fluminibus alluitur,in quibus mercaturã passim in locis exercẽt, caret ciuitate,ac portu maritimo.Rex est potẽtissim⁹,multas habet naues,quas Lãcharas vocãt,luncoo circiter 30.aut 40.Rex pariter atq; incolę & idololatrię

Aloes lignũ Calambus dictum.

Regnum Cochinchina.

Lancharæ naues

& rei militaris studio flagrant. Saracenis mirum in modum sunt infesti.

De Malacca suprà dictum est. Atque hæ quidem sunt principes, maximæq; illustres regiones Indiæ vlterioris quæ inter Bengalensem regionẽ, de qua antea, & Chinam (cuius hîc Arrianus mentionem facit) sunt interpositæ, de quibus breuiter ex Summario Orientali; Vartomano, Barbosa, Contio, Barroso, Osorio, & aliis hæc sint dicta. Qui plura de iisdem cupit cognoscere, authores antè recitatos poterit legere.

Gangis, & Chersonesi aureæ situs

Verùm minimè hîc silentio possum prætermittere, Gerard. Mercatorem longè alium, quàm cæteri, Gangis, atque Chersonesi aureæ situm facere: quam quidem ille suam opinionem, descriptionémque huiusmodi verbis atque rationibus confirmat. Ea quæ longa experientia discuntur, ad perfectam veritatis cognitionem progredi, non autem falsitate obscurari debent, sic instituenda sunt, vt castigatis quæ per manifestas rationes falsa sunt, probabilia retineantur, donec experientiæ, & ratiocinationes omnes inter se consentaneæ res ipsas in sua veritate ob oculos ponant: talis est Geographia, quã si volumus veterum inuenta temerè quauis occasione transponere, commutare, aut inuertere, non modò non perficiemus, sed pro vnius erroris emendatione veritates deprauabimus, & confusissimam tandem terrarum & nominum congeriẽ faciemus, in qua nec regiones suis locis, nec nomina suis regionibus reponantur, quale quid hodie in Indiæ descriptione fit à Geographis, dum nimis absurdè Gangem celebratissimum fluuium occidentaliorem faciunt Cincapura promontorio & Taprobana, qui veteribus multò fuit orientalior, atque vniuersam deinceps Indiæ descriptionem (quæ apud Ptolemæum est) inuertũt & confundunt, nihil illi vltra dictum promontoriũ concedentes, quod in primis nobis refellendum est, quò Ptolemæo sua stet authoritas, & Geographica veritas eruatur, quæ non minus vera nomina quàm veros locorum situs postulat. Ac primùm constat eam descriptionem non obiter à Ptolemæo congestã esse, sed inde vsque ab Alexandro magno multorum terra maríque profectionibus, multorum obseruationibus hanc figuram accepisse, & emendatius collectam à Marino, integritatíque à Ptolemæo restitutam: quare quũ tot seculis, tótque artificibus elaborata sit, non est possibile tam enormiter à vero recedere, vt tam longi litoris transpositione fallat, neque enim poterat tantarũ litoris partium, quantæ sunt à Comara promontorio ad Taprobanã, adiacénsque ei promontorium, ac dehinc ad Gangem & Auream, neque tam frequentatarum (vt copiosa locorum descriptio arguit) consequentia ignorari, vt quæ prior erat, posterior poneretur: & Ganges longo interuallo Taprobanam sequeretur, qui (vt nostri volunt) multo antecedere debebat. In directionũ cursu falli poterant veteres propter nauigandi artem adhuc imperfectã, & quòd neglectis ferè directionibus, litora soleant legi. In particularium itidem locorum transpositione errare poterant: at sanè in huiusmodi, quã diximus, consequentia, nequaquam. Arrianus grauis author in Periplo veritatis nobis iudex est, cui ab Indo in Meridiem est Comara, vnde iuxta consequentiam litorum per Colchos, Comaram, Coducam & Sopatinan peruenit in Taprobanã, & adiacentem illi regionem Azaniam, vbi nunc Malacha est nostris, & Ptolemæo Mesolus fluuius, Arriano item Mazalia regio, postea per Desarenam, Cirradas, Bargisos, Hippoprosopos, demum ad Gangem fluuium, & emporiũ pertingit. Adhæc via regia stadiorum 20000. quæ est ab Indo ad Gangem, & Palibotram apud Strabonem libro 15. non alio loco Gangẽ admittit quàm quò nos eum cum Ptolemæo posuimus. Non enim intimus recessus Bengalici sinus, quo hodie veterum Gangem transferunt, eousque elongari ab Indo potest, seruatis directionibus, & earum dimensionibus, vt propositam distantiam Palibotra Gangi imposita seruet, simul perpenso quod Ganges à Palibotra Orientem versus mare petat. Iam si cõsideremus triginta octo dierum iter quod Nico-

Gangem malè à nonnullis occidẽtaliorẽ statui Cincapura, à Taprobana.

Arriani authoritas.

Comara.

Alia ratio ab interuallo Indi & Gangis.

Nicolaus de Conti Venetus confecit ab intimo sinu Bengalico, & Auam fluuium ad quem peruenit, multo maiorem Guenga Bengalico: non ineptè indicabimus ad maximum Indiæ fluminum celebratissimúmque veteribus Gangem peruenisse, quanquam alio forte ibi nomine vocatum. Auam quoque vrbem eidem fluuio adiacentem credibile erit Palibotram esse quum ob magnitudinem (vt quæ quindecim miliarium ambitu patet) tùm ob conuenientem ab ostiis distantiã, septemdecim enim diebus enauigauit Nicolaus, cum 6000. stadiorum ponat Strabo. Et sanè quum eo loco, quo nos signauimus sitos fontes Guengæ Bengalici idémque quem posuimus ipsius decursus (vt Ioan. Barrosum testem habemus) quid absurdius dici poterat quàm hunc esse veterum illum Gangem, cuius fontes constat iisdem montibus quibus Indum ortos, & 280. mill. pass. tantum à Zaradro Orientalissimo Indum augentium fluuio (Plinio teste) distare, tùm etiam magna parte in Meridiem? Quare quũ neque fontes Guengæ, neque situs, neque longitudo ipsius, veterum descriptioni cõueniat, hunc esse veterum Gangem negamus, tametsi nomen eius referre videatur. Quinimò nec ipsi qui eius opinionis authores fuerunt suæ sententiæ confidenter stare videntur, quum alterum finxerint Gangem iisdem cum Guenga ostiis se in Bengalicum sinum exonerantem, ipsa nimirum dislocatione eos redarguente. Adde quòd oppida aliquot & Moin siue Mien, aut Mein regnũ huic fluuio, quem nos Gangem esse defendimus, debita ad suum quoque fictitium Gangem transtulerint, quò perspicuè intelligi datur verum illum & veterum Gangem alibi quàm in sinu Bengalico quærendum esse. Præter solidas quoque istas rationes, vel figura ipsa littorum, & nomina passim inscripta veritatem ostendere poterant. Comari enim promontorium & nostri cũ Ptolemæo atq; Arriano ponũt, tum Cabo de Colle quid aliud sonat quàm Callaicũ Ptolemæi aut Colchicũ Arriani? Quid cõsonantiùs quàm Iameri & Cabaris siue Camara, Pogu vel Pegu & Poduca, Tauay & Taua, Malanga & Malaca, Cãtan & Gãge oppidũ cum fluuio maximo, qualẽ veteres quoq; Gangẽ testãtur? Denique si hic non est Ganges vbi posuimus, quò referentur tot insulæ in sinu Gangetico à Ptolemæo positæ, quum in Bengalico sinu non reperiantur? Tenemus ergo Cantam maximum fluuium esse Gangem à veteribus celebratum, & Auream esse non quæ nunc Malaca est, sed Iapan insulam, vt ex Arriano & Mela liquet, tametsi peninsulam faciat Ptolemęus, apud quem & Sebana emporium hodiernum insulæ nomen videtur obtinere: M. Paul. Ven. lib. 3. cap. 2. dicit eam conuenienter antiquo nomine suo, auro abundantissimam esse. Præterea insulam Bunneo esse, quæ Ptol. Bonæ fortunæ, Celebes, Ambon & Gilolo esse quæ Sindæ appellantur, Mindanao cum vicinis quatuor maioribus Barussas vocari refellere non possumus. Nomina item quædam in recentioribus tabulis inuenio quæ Mangi & Canthaium regna Ptolemæo cognita fuisse manifeste doceant, & ad sinum Magnum, quem Plinius Chrysen vocat, pertinere, vt sunt in Mangi regno Pagrasa, Donei, Caracaran, Agonara, Tartaho, in Cathaio autem Aspicia & Brema, quibus apud Ptolemæum respondent Pagrasa, Daona, Lariagara, Aganagara, Cortacha, Aspithara, Brãma, vt dubium nullum sit Gangem Taprobana Orientaliorem esse, rectéque deinceps Chrysen insulam & sinum Magnum sequi, vltra quæ Cattigara Sinarum statio postremus Ptolemaicæ descriptionis terminus Orientalem nostræ continentis extremitatem possidere, & in regnum, quod hodie Tenduch vocatur, incidere videtur.

Auã fl. — *Aua Palibotra.* — *Guengæ fontes.* — *Gangis fontes.* — *Zaradrus fl.* — *Guenga non esse Gangem.* — *Alia ratio.* — *Moin regnum.* — *Alia ratio.* — *Alia ratio.* — *Cantam est Ganges.* — *Aurea chersonesus hodie Iapan insula.* — *Bunneo insula olim Bonæ fortunæ.* — *Tenduch regnũ.*

Quoad verò Sinarum regionem, quæ hodie & Mangi, & Cin siue China dicitur, in nouem regna distincta, pulcherrimam illius & elegantissimam Osorij descriptionem hîc subiiciam cui reliqui scriptores consentiunt. Sinarum, inquit, regio est latissima: ab ortu námque Solis vltima terrarũ existimatur: ab occasu, vltimis Indiæ terminis definitur: ab Austro, Oceano alluitur: à Septen-

Regio Sinarum videtur & Mãgi & China esse hodie. — *Descriptio Sinarum regionis.* — *Termini.*

trione verò montibus altissimis multa niue & glacie concretis includitur. Ea parte, quę ad Septentriones spectat, ab occasu cum Scythis (quos Tartaros appellant) qui ad Orientem pertinent, continens est. cum quibus continenter bella gerunt. Scythæ viribus, Sinæ ingenio & artibus excellunt. Sic fit, vt sæpe à Scythis virtute superentur, & ipsi vicissim non raro Scythas dolis & artificio vincant. Montes tamen qui à Septentrione in Austrum procurrunt, Scythas à Sinis dirimunt. Valles atque camporum planicies interiectas Sinæ muris latissimis ita muniunt, vt Scytharum impetum à se facilè propulsent. Regio est maximè omnium fertilis, & abundans rebus omnibus ad vitæ cultum, & luxum, & elegantiam necessariis. Homines qui plagam Australem incolunt, colorati: qui terras Septentrionibus subiectas habitant, candidissimi sunt. Omnes lautissimè viuunt, conuiuium scienter instruunt: vestibus gossypinis, & laneis, & bombycinis auro etiam intertextis, prout anni tempus postulat, amiciuntur: & quum hyems maxima est, præsertim in regionibus Aquiloni subiectis, variis animantium pellibus ad vestes introrsum fulciendas vtuntur. Equis eleganter instratis vtuntur: vitam cultui Gallico & Germanico non absimilē multis in rebus instituunt. Ludis, & iocis, & vini copia frequenter oblectātur. Amoribus atque libidinibus nimium deditì sunt. Mulieres nobiles carpentis bombycina veste, & auro pulcherrimè facto, & vndique tectis per vrbem vehuntur. Cantibus, & symphoniis, & instrumentis Musicis animorum curas iucundissimè relaxant. Auguriis dediti sunt, sortibus euentura prædicere nituntur. Magos in honore habent: mathematicas disciplinas colunt, & astra diligenter obseruant. In libris describēdis, & rerum memoria propaganda, æneis formis vti solēt: quarum vsus adeò antiquus apud illos est, vt qui primus eam artem excogitarit, ignoretur. Arte & structura non parum eleganter, magnísque sumptibus ædificant. Templa amplissima, multísque statuis & picturis illustrata frequentant: & quamuis varia simulacra venerentur, vnum tamen Deum rerum omnium opificem, & rectorem præcipuè colendum esse dicunt, eíque potissimum supplices præces adhibendas. Vnius mulieris imaginem, quam appellant Nammam (quam aiunt esse apud Deum summum humani generis aduocatam) honoribus summis afficiunt. Est aliud apud illos simulachrū virginis, quam tradunt fuisse regis cuiusdam filiam, & rerum cælestium cupiditate, omnes opes humanas neglexisse, vt diuinarum contemplatione fruerentur. In huius tutela Sinarum gentem esse credunt. Alius apud illos Deus sanè sanctus habetur. Hunc hominem fuisse narrant fortissimum, atque tantis virtutibus præditum, vt miracula multis in locis ediderit. Quorum illud potissimū fuisse dicunt, quòd semel armatus ense nudo in fluuium proiecto, quasi quodā lembo inuectus, ingentem fluuium traiecerit, vt suis, qui ab hostibus in prælio vehementissimè premerentur, auxilium afferret. Hunc ob præclaras virtutes, & egregium iustitiæ splendorem, in diuos relatum fuisse commemorant. Multos alios diuos habent, quibus statis diebus honores instituunt. Sunt excellentes artifices & egregii pictores. Ædes amplas ædificant, quibus homines religiosi, vt rebus diuinis vacent, includuntur. Similiter, & virginum collegia, quę religionem sanctiùs obseruent, instituunt. Literis operam dant: qui in illis maximos progressus habent, maximis honoribus afficiuntur. In studiis genere antiquo sermonis vtuntur, imperitis ignoto, quemadmodum apud nos, qui artiū maximarum disciplinis student, linguam Græcam aut Latinam perdiscunt. Qui iuri ciuili student, in magno honore sunt. Regem quasi quoddam cæleste numen colunt, qui tamen raro admodum se conspiciendum exhibet: Respub. in tres partes distributa. Principatum ij qui in disciplinis, & iuris studio valdè profecerunt, obtinent. Secundus honoris gradus militibus assignatur. Postremi ordinis sunt, qui artes fabriles colunt. In studiis quantum quisque profecerit, iudicio eorum, qui maximis artibus præsunt, examinari solent. Sunt autem

Scythæ Barbari. *Scytharum & Sinarum mores.* *Sinarum regionis fertilitas.* *Incolarum descriptio.* *Studia Sinarum incolarum.* *Sinarum religio.* *Sinarum dij. Namma Dea apud gentem Sinarum. Simulachrum deæ virginis.* *Alius Deus Sinarum homo.* *Artifices egregij. Ædes religiosorum. Virginum sacrarum collegia. Artium studia apud illos vigēt.* *Regis cultus. Reipubl. tres partes.*

tem ordines horum iudiciorum gradatim instituti, ita, vt ei, qui infimi ordinis approbationem consequutus est, si velit ad altiorem locum dignitatis aspirare sint grauiora doctiorum hominum iudicia subeunda. Qui plurimis & doctissimis probatus extiterit, is ampliores in Republ. honores cõsequitur. Sunt in sceleribus vindicandis acres. Nemini sano, quamuis oculis orbatus sit, mendicare permittitur. Cæci molas trusatiles versando sibi victum parant. Homines exteros difficillimè in vrbes suas admittunt ne moribus externis obliti, ab institutis suis paulatim deducantur. Comœdiis plurimum delectantur, & ita sunt in Venerem propensi, vt varias libidinum formas excogitent. Dæmones consulere dicuntur. Hi mores & instituta Sinarum sunt, quæ perstrinximus.

Sinæ acres scelerũ vindices. Mendicare nemini permittitur. Cæci molas trusatiles versant. Comœdiæ. Veneri dediti.

Thina.) Ptol. Θῖναι Thinæ appellat metropolim quam, inquit, affirmant non habere ærea mœnia, nec quicquam ἀξιόλογον. i. memoratu dignum. Ger. Mercator vult hodie Tenduc appellari.

Thina metropolis.

Sita est sub Vrsa minore.) Arriani hoc in loco errores de situ Thinæ, de mari Caspio, atque Meotide palude Rhamnusius his verbis perstringit. Quoad situm ciuitatis mediterraneæ Thina nuncupatæ, sub Vrsa minore, necnon quoad partes oppositas Ponto atque Caspio mari, existimo Arrianum hallucinatum fuisse. Nimis enim illam longè versus Boream extendit, versus regionẽ Cataio. Regionem verò China Portugallenses depræhenderunt verè esse regionem olim dictam Sinarum. Preterea paludis Mœotidis, atque maris Caspij illum non habuisse veram notitiam, inde constat, quod illam affirmat per mare Caspium transeuntem in Oceanum exonerari. Id quod à vero longè est alienum. Verùm ille in hac re sequutus est veterum scripta de quorum opinione pauca dicam: Strabo vir eximius ratæque doctrinæ, à quo omnia monumenta veterum Cosmographica perlecta fuerũt, affirmat vniuersam terram habitabilem Oceano circumfusam atque circundatam esse illiúsque quatuor maximos sinus facit. Primum versus Septentriones, vbi intrat in mare Caspium, ab aliis Hircanum appellatum: duos versus Meridiem, qui sunt sinus Persicus, & Arabicus. Quartum, qui magnitudine reliquos omnes superat, illic vbi Oceanus intrat in mare nostrum iuxta fretum Gibralterra, qui extensus ad Soriam vsque efficit mare maius. Hæc maria Strabo mediterranea appellat, propterea quod intra terram posita sunt. Verùm nostra ætate tot passim nauigationibus in hoc terrarum orbe factis compertum est hanc veterum opinionem falsam esse, nec vllum esse mare, quo tota terra cingatur, quin potius omnia maria ab ipsa terra cingi, ita vt omnia verè mediterranea possint appellari. Præterea ipsum mare Caspinum à Caspiis montibus, Hyrcanum ab Hyrcania (hodie Straua dicta) olim nuncupatum: circumquaque lacus cuiusdam instar clausum esse, ita vt plurimi & maximi fluuii in illud exonerentur, contrà ex illo aquarum nihil quicquam exeat, nec denique paludem Mœotidem in illud influere satis supérque constat. Hæc ille. Verum de Ponto, quod mare maius, Caspio mari, quod mar de Bachu, siue Bachan, atque Mœotide palude, quæ Zabuch hodie dicitur, satis multa dicta sunt in periplo Ponti Euxini.

Situs Thinæ. Arriani error in situ Sinarum à Rhamnusio deprehensus. Error Arriani de Mœotide. Strabo terram Oceano circumfusam facit. Sinus Oceani quatuor secundũ Strab. Mœotis non influit in mare Caspium.

Gens corpore mutilo.) Ptol. Inter Imaum (Altai hodie dictum) & Bepyrrum montem ponit, Tacoræos, Corancalos Passadas populos, hísque subiungit supra Mæandrum sitos Pladas, quos ait βησάδας *Besadas* quoque appellari, homines κολοβούς, πλατεῖς, δασεῖς, πλατυπροσώπους, λευκούς τὰς χρόας, hoc est, mutilos, latos, crassos, lata fronte, colore albo præditos. Videntur ergò iidem planè esse, quos Arrianus proprio nomine σησάτας, Ptol. βησάδας appellat, quósque vterque auctor κολοβούς, atque πλατυπροσώπους fuisse ait. Idem Ptol. paulò post locum ante recitatum subiungit. Regionis χρυσῆς, hoc est, aureæ, ob auri metalla cognominatæ, incolas similiter λευκόχροας, δασεῖς, κολοβούς, καὶ σιμούς, hoc est, albi coloris, hirsutos, mutilos, simos, illis superioribus ferè similes.

Imaus hodie Altai. Populi Pladæ. Sesatæ ijdẽ qui Besadæ, Ptolem.

Ἔνμοὶ.) Σιμοὶ videtur legendum.

Terpones. Τέρπονας.) Quid ſi legendum πέπονας quæ vox partim cucumeres iuſtam magnitudinem excedentes, partim quoſuis alios fructus maturos ſignificat.

Ὠμαμπελίνων.) Vox compoſita ab ὠμὸν. i. crudum quod propriè in fructibus dicitur, quòd ad eos ὠμότης propriè pertineat, vt ſcribit Ariſtotel. lib. 4. metoro: & ἄμπελος vitis, ſiue ἀμπελινός. Rhamnuſius vertit vitem viridem. Forſan ergò ὠμαμπέλινος, color eſt Xerampelino oppoſitus, hic qualis apparet in aridis vitium foliis, ille qualis in recentibus.

Ἐξινιάσαντες.) Extractis fibris, quæ ἶνες dicuntur, quam vocem paulò poſt ponit. *Ἶνες quid.* Vox enim ἶνες transfertur etiam ad inanimata, vt herbas, in quarum foliis à tergo, non aliter quàm in hominis dorſo ſpina, à reliquo folio veluti coſta, & puluinus èminet, diuiſiones enim eas, interſectionéſque Græci ἶνας vocant. Plin. aliquando fibras, aliquando neruos, aliquando dorſum, aliquando venas appellauit.

Petri. *Calamos appellant* Πέτρους.) Quid ſi igitur malabathrum hinc ſit appellatum Betrum, ſiue Betre ab Indis, licet (vt inferiùs dicetur) aliæ huius nominis etymologiæ afferantur.

Ἐπιδιπλώσαντες τὰ φύλλα.) Vnde Plin. malabathrum dixit folio eſſe conuoluto, & Dioſcorides probat id, quòd ob fibras frangenti contumax eſt, nec facilè diſcerpitur, dum ad globulos compingendos, ne ſuccus, & odor exhalet, præparatur.

Tria genera foliorum. 1. Hadroſphærũ. 2. Meſoſphærum. 3. Microſphærũ. *Tria genera foliorum.*) Videtur ἁδρόσφαιρον, μεσόσφαιρον, μικρόσφαιρον, per αι legendum, nam paulò antea folia σφαιροειδῆ dicit fieri. Quod autem hîc Arrianus de folio Indico ſcribit, idem planè Plin. lib. 12. cap. 12. de nardi Indici folio tradit, quod teſte Dioſcoride lib. 1. cap. 11. nonnulli falſi odoris cognatione malabathrum eſſe putarunt. Folia (inquit Plinius) ſcilicet nardi, diuiſere annonam, ab amplitudine Hadroſphærum vocatur maioribus foliis denariis x x x. Quod minore folio eſt Meſoſphærum appellatur, emitur denariis L x. Laudatiſſimum Microſphęrum è minimis folium, pretiúmque eius LXXV. denariorũ.

Malabathrum vbi naſcatur. *In Indiam affertur.*) Arrianus noſter à Seſatis populis malabathrum dicit Chinam afferri, vnde colligimus apud populos illos plurimum prouenire. Hoc idem Ptolemæi quoque teſtimonio comprobari poteſt. Is enim apud Cirradas κάλλιστον i. pulcherrimum malabathrum dicit naſci. Sunt autem Cirradæ illi (vt idem teſtatur) Beſadis, qui iidem ſunt qui Seſatæ Arriano noſtro, finitimi, itaque veriſimile eſt apud illos quoque folium hoc prouenire. Græci (vt de hoc folio, cuius Arrianus noſter aliquoties in hoc periplo meminit, nonnulla dicamus) *Malabathrum etiã Indi foliũ.* illud μαλάβαθρον, & φύλλον, Latini malabathrum, & folium, nimirum κατ' ἐξοχὴν appellãt. Indi, teſte Garcia, Tamalapatra lingua ſua vernacula appellant, quam vocem, vt eidem auctori videtur, Græci, & Latini imitantes malabathrum appellarunt. Nonnulli (inter quos eſt Amatus) ſic dictum putant à Malabarica regione, in qua plurimum naſcatur. Arrianus certè noſter ſua ætate in emporium Muzirim, ſiue Mundirim (quod nonnulli volunt eſſe Onor ſiue Honor) necnon Tyndim, Bacarem vicum, quæ ſunt Limyricæ regionis *Tyndis & Bacare emporia.* emporia, ob piperis, & malabathri ibi naſcentis copiam, nauigatum eſſe dicit. Eſt autem Limyrica pars regionis Malabaricæ hodie dictæ. Tametſi dubitari poteſt an regio ipſa à Malabathro ceu præſtantiſſima planta, an verò Malabathrum à regione nomen ſuum ſumpſerit. *Cadegi Auicenna appellat.* Auicenna lib. 2. cap. 259. illud Cadegi, hoc eſt, folium Indi appellat. *Malabathri deſcriptio.* Eſt autem folium hoc Indi, ſiue Malabathrũ, teſte Garcia, qui illud in India vidit, mali medicæ folio ſimile, anguſtius tamen per extremum, colore viridi (vnde Arrianus noſter viridi viti ſimile eſſe dixit) tribus per longitudinem excurrentibus coſtis, qua nota facilè dignoſcitur (ſecundum quas ἶνας dictas, Arrianus noſter trifariam interſecari ſcribit) odoratum. Gariophyllos quodammodo redolet, non tam vehemẽtis odoris, vt nardus, aut macir, neque tam ſubtilis aut acuti, vt eſt canella. Hæc ille. Plin. lib. 13.

cap.

cap.26.ſcribit arborem eſſe in Syria folio conuoluto, ex quo exprimitur oleũ ad vnguenta,fertiliorem tamen eius eſſe Ægyptum. Garcias dicit ſe ex medicis Memphiticis,Damaſcenis,& Aleptinis quæſiuiſſe an malabathrum hodie in Syria,& Ægypto naſcatur,ſed omnes id vno ore negaſſe. Plin. malabathrũ laudatius ex India ſcribit venire, idémque author vnà cum Dioſcoride & Auicenna illud in paludibus Indicis,lentis paluſtris modo,aquis innatans,ſine radice creſcere teſtatur.Idque(vt Dioſcorides addit)collectũ ſtatim lino trãſuitur,& ſiccatum reconditur.Tradunt ſiccatis æſtiuo feruore aquis, humum aridis fruticibus vri,quod vbi non fit,non amplius renaſci.Garcias contrà oculatus teſtis,in procera arbore procul ab aquis,tum multis aliis in locis, tum in Cambay hodie naſci ſcribit. Idem prætetea ait, non eo modo colligi, vt Dioſcorides tradit,ſed collecta in faſciculos colligari,atque ita venire,id quod Arriani noſtri deſcriptioni magis congruit. Plinius illud odoratius croco eſſe dicit,quod Garcias pernegat. Dioſcorides ſapore nardum imitari & odore caput ferire ait:idem de ſapore Plin.affirmat,Garcias contrà,neque nardi ſaporem eſſe,neque tam validi eſſe odoris, atque ſpica nardi, ſed ſuauioris, neque odore vt reliqua odorata, caput ferire teſtatur. Dioſcorides illud nullo ſalis guſtu eſſe dicit.Contrà Plinius nigricans,ſcabrúmque quodam ſalis guſtu eſſe dicit. Et Lãgius quoque epiſtol.medicinali 67.At verò,inquit, vtrumque tam arboreum,quàm paluſtre malabathrum, non tantùm in mediterraneis Indiæ locis (vnde folium Indi appellatur) ſed etiam circa maritima Erythræi æquoris(quod ſyluis abundat)litora,& ſtagna naſci, ſalis eius ſapor indicat qui herbis maritimis eſt peculiaris.Quoad illius vires præclaras & eximias,Dioſcorides,& hunc ſequutus Plinius lib.23. cap.4, illud affirmant,iiſdem,quibus nardus,ſed efficacioribus præditum vrinam ciere,ac ſtomacho prodeſſe.Lippitudinibus,inflammationibúſque tritum,& in vino feruefactum flagrantiſſimi odoris commodè illini.Subditum linguæ oris halitum, & ſuauitatem commendare. Veſtium quoque odorem interpoſitum ſeruare, ab eroſione tueri. Hæc illi.Quoniam ergò & odore,& ſapore,& facultatibus nardo Indico ſimile,non mirum eſt,ſi(vt Dioſcorides inquit)nonnulli arbitrati ſunt malabathrum eſſe nardum Indicum.Nonnulli etiam hodie malabathri folia cum gariophyllorũ & cum canellæ foliis, quibus cum magnam habet affinitatem, confundunt, vt teſtis eſt Garcias.Hinc Garcias,Mathiolus & alii, vbi malabathro opus ſit, caſiam odorantem, vel Indicum nardum ſupponendum putant Galenum ſequuti,lib.7 & 8. ſimpl.medicam. Amatus Luſitanus,& alii malabathrum idem volunt eſſe quod betrum,quod & ipſum folium eſt Indicum,probabili ſanè ratione ducti,quoniam (vt Amatus inquit) eædem ferè ſunt vtriuſq; facultates. Alii contrà,vt Garcias,diuerſa eſſe folia tradunt, quippe quum Auicenna ſeparatim de vtroque ſcribat,de Malabathro quidẽ (quod Cadegi appellat) lib. 2.cap.259.de Betre autem(quod ille Tembul vocat)lib.2.cap.707.Adde,quod (vt Garcias inquit)ſi quem Arabem, aut Æthiopem interroges,quid ſit Betre, ſtatim Tambul reſpondebit. Hoc vero folium Indi quidem Betre,ſiue Bettre, item Betol,Beteli appellant à Betel fluuio inſigni, qui non procul à Cambaia fluit,quod Indiæ regnum à Perſide per maritima ſecundum, à nonnullis dicitur.Plurimum enim teſte Odoardo Barboſa,circa illum fluuium naſcitur.Auicenna Tembul,Arabes,& Perſæ vulgò Tambul,& Tambor appellant. Eſt Betre,teſte Garcia,folium ſimile ferè Mali medicæ folio,oblongius tamen,& per extremum arctius, venas, ſiue coſtas per longitudinem excurrentes habens. Scaliger dicit in planta naſci,quæ aduoluitur aliis hederæ inſtar,egétque præſidio pedamentorum.Neque florem,neque fructum gerit. Folii facies,& magnitudo,quæ,& quanta Citriò,multis neruis,& venis quaſi ſtriatur. Hæc Scaliger nimirum ex Odoardo Barboſa. Hoc Garcias in omnibus Indiæ regionibus maritimis Luſitanis cognitis naſci ſcribit, nec in continenti reperiri, niſi

Malabathri ſapor ſali ſimilis.

Malabathri virtutes.

Aliud Malabathrum, aliud Betrum.

Betri,quod Tambul dicitur, deſcriptio.

maritimis allatum. Inueniri etiam in Dultabædo, vrbe opulenta regni Decan, & in Bisnagar, sed minore copia. Hic iterum meminerimus, quod Arrianus noster Malabathrum in Muziri (quam nonnulli volunt esse Bisnagar) nasci scribit. Est autẽ Betri maximus & creberrimus apud Indos vsus. Id enim quotidie passim mandunt, in otio & negotio. Putant enim conferre multum secundæ valetudini, robur augere, sufficere vires in Venerem, corroborare cor & cerebrum, blennam è ventriculo tollere. Labia ex eo rubicundiora, dentes nigri fiunt. Cum iis in mensa etiam fructum esitant, quem Coffol dicunt, Palmulæ similem, pro bellariis. Quæ fructum fert hunc arbor, palmæ item similis est, & Areca nominatur. Folium Betre, si largius edatur mentem mouet. Idcirco fœminæ Tarnassari in defuncti mariti rogum seipsas iniecturæ, tãtum illius folii deuorant, vt amentes efficiantur. In Calecut viri & fœminæ incedentes passim hoc folium masticant, at in funeribus, & ieiuniis suis illo abstinent. Rex Calecutii quandóque superstitione impulsus ad annum à re venerea abstinẽs simul à Betri esu abstinet. Hæc Barbosa, Vartomanus, Aloysius Cadamustus, Scaliger, & alij. Betrum ergo, vt concludam, alii volunt esse idem quod Malabathrum, quod alii pernegant, alii de eo dubitant. Mihi quidem Betrum Malabathri quædam species videtur esse.

Betri vsus.

Betri luxus pestiferus.

Betri vsus in Calecutio.

F I N I S.

DEDERAMVS IAM HOC OPVS excudendum Typographo: interea quædam loca in vtriusque nauigationis versione accuratius inspecta castigauimus: ea nunc ad operis calcem adijcienda curauimus, ne nostra diligentia lector fraudaretur: Ac primum in Pontum Euxinum.

Prior numerus paginam, secundus lineam notat

Sunt etiam equites viginti quos & ipsos, &c. ἡ γὰρ τάξις αὕτη ὡς οἶσθα, πεζῶν ἐστιν, καὶ ἱππέας εἴκοσιν ὅσον ἐς διακονίαν ἔχει, ἀλλὰ καὶ τούτους τὰς λόγχας ἀκοντίσαι ἐδέησεν: hoc est. Cohors enim ista vt scis, est peditum, & habet equites viginti, ministerii tantum causa: veruntamen hos quoque oportuit hastas iaculari. pagina 2. linea 27.

pag. 2. lin. 33. Primo quidem auris simul, &c. τὰ μὲν πρῶτα ταῖς αὔραις ταῖς ἐκ τῶν ποταμῶν πνεούσαις ἕωθεν, καὶ ἅμα ταῖς κώπαις διαχρώμενοι. id est primo quidem aura quam matutino tempore flumina spirant, & simul remigio vtentes.

pag. 2. lin. 35. Frigidæ enim sunt, &c. vsque ad Deinde ψυχραὶ μὲν γὰρ ἦσαν αἱ αὖραι ὡς λέγει καὶ ὅμηρος, οὐχ ἱκαναὶ δὲ τοῖς ταχυναυτεῖν βουλομένοις: hoc est, frigidæ enim erant auræ vt ait Homerus. Sed ad conficiendum cursum celeriter minus idoneæ.

pag. 2 lin. 42. Id quod tantùm non exitii nobis causa extitit) ὅπερ καὶ μόνον ὤνησεν ἡμᾶς sic legitur in Græco, id quod & solùm nobis profuit: sed in margine legitur μονονουχὶ ὤλεσεν. id est, quod tantùm non nos perdidit. iudicium est liberum.

pag. 3. lin. 22. Quæ quum sub petram quandam appulisset, in tuto versabatur) αὕτη γὰρ πέτρα τινὶ ὑφορμοῦσα, ἀσφαλῶς ἐσάλευεν. hæc enim scopulum quendam subierat, & ibi tuto fluctuabat.

pag. 3. lin. 27. Quæ dum appellebat, fluctu ante tempus transuerso excepta ac in litus protrusa, afflicta, atque contrita fuit) ἥντινα ἐν τῷ ὁρμίζεσθαι, πρὸ τοῦ καιροῦ ἐπιστρέψαντα πλαγίαν, ὑπολαβὸν τὸ κῦμα ἐξήνεγκεν εἰς τὴν ἠιόνα, καὶ συνέτριψεν quam portum capientem, & latus ante tempus vndis conuertentem, fluctus abreptam in litus eiecerunt, eámque colliserunt.

pag. 3. lin. 37, Verum etiam claui, atque cera) ἀλλὰ καὶ οἱ ἧλοι, καὶ ὁ κηρὸς ἀπεξύσθη verum etiam claui: cera etiam derasa est.

pag. 3. lin. 38. Ita vt nihil præter ligna desideraretur, quorum, &c.) ὡς μηδενὸς ἄλλου ἢ ξύλων δεῖσθαι ναυπηγησίμων εἰς τὴν κατασκευὴν, ὧν τὰ πολλὰ ὡς οἶσθα ἀφθονία ἐστὶν κατὰ τὸν πόντον ita vt nulla re alia, quàm materia ad naues ædificandas apta, opus sit, cuius materiæ copiam ingentem in Ponto esse non ignoras.

pag. 4. lin. 12. Ibique mortuus fuisse fertur) φημίζεται, καὶ ἐνταῦθα νόσῳ ἀποθανεῖν ibiq; morbo interiisse dicitur.

pag. 4. lin. 24. A Calo siue Pulchro abest viginti stadia) ἑκατὸν εἴκοσι στάδια διέχων ἀπὸ τοῦ καλοῦ: qui à Calo centum & viginti stadia distat.

pag. 5: lin. 19. Quo potu magis etiam quàm aquæ dulcis illa iuuari communis fama obtinet) τάδε πίνοντα τε ἡδέως ὁρᾶται, καὶ λόγος κατέχει ὅτι καὶ ὠφέλιμον αὐτοῖς τοῦτο τὸ ποτόν ἐστιν τοῦ γλυκέος μᾶλλον, id est, illa verò (de pecoribus loquitur) cernuntur lubenter bibere, & eam aquam dulci salubriorem creduntur experiri.

pag. 5. lin. 21. Color autem Phasidis similis est plumbo aut stamno aquæ immerso, quod vbi constiterit purissimū, ac splēdidissimū solet esse) ἡ δὲ χρόα τῷ φάσιδι οἵα ἀπὸ μολίβδου, ἢ κασσιτέρου βεβαμμένου τοῦ ὕδατος καταστὰν δὲ καθαρώτατον γίνεται. id est, Color autem Phasidos est similis aquæ plumbo, vel stamno infectæ, quæ tamen vbi subsedit, purissima fit.

pag. 5. lin. 34. Nisi quod magis magis paulum dulcescit) πλὴν γε δὴ, ὅτι εἰς τὸ γλυκύτερον μεταβάλλει: dulcior tantùm fit.

pag. 5. lin. 36. Phasianæ deæ apparet) ἵδρυται ἡ φασιανὴ θεός. dea Phasiana sita est, vel Phasianæ deæ simulachrum apparet.

¶ .j.

pag. 5. lig. 53. Propugnaculum autem siue castrũ: *τὸ μέντοι φρούριον αὐτό.* ipsum tamen castrum loci situ & validissimum, & ad nauigantium securitatem opportunissimum mihi visum est. *τῇ τε φύσει τοῦ χωρίου ὀχυρώτατον εἶναι μοι ἔδοξεν, καὶ ἐν ἐπιτηδειοτάτῳ κεῖσθαι πρὸς ἀσφάλειαν τῶν ταύτῃ πλεόντων*, id est, Et loci natura munitissimum est, & ita opportunè situm, vt eos qui eò appellunt à barbarorum iniuria tueri facilè possit.

pag. 10. lig. 10. ad Phadisanam promontorium, *εἰς φαδισανὴν φρούριον*, Ad Phadisanã Castrum, vel Castellum.

pag. 10. lig. 12. ad Polemonium decem *εἰς πολεμώνιον πόλιν, στάδιοι δέκα* ad Polemoniũ vrbem stadia decem.

pag. 10. lig. 22. Cùm hodie vicus sit, non admodum magnus: *νῦν δὲ κώμη ἐστί, καὶ οὐδὲ αὐτὴ μεγάλη.* hodie verò pagus est, & ne is quidem magnus.

pag. 10. lig. 46. Qunm prior ille non nisi ad commorandum paulisper in salo, & anchoris certo anni tempore sit accommodatus *πάλαι γὰρ ὅσον ἀποσαλεύειν ὥρᾳ ἔτους, ὅρμος ἦν.* nam olim erat statio, in qua æstiuo tempore naues in salo, & in anchoris stari poterant.

ERRATA SIC CORIGITO.

Pagina 2, lignea 49. pro ea lege ex pag.23,lig. 47,felle p.24,l.51, *lege* spasmata p.26,l.45, in Ponto ficus tamen p.27, l. 3, hermodactylus & 27,eruginosas p.32,l.24,Bosporanos p.33,l.51,Manilia p.37,l.42,pro sanorum *lege* sacrorum p. 40,l. 39, Nacharis p. 8,l. 46, longè p.41,l.4, gratia sibi conciliauit p.8. l.21,testatur p.46,l.22,stirpe Galatarum p.48,l.40,Bospori Cimmerii l.47.pro Samaxohii *lege* Hamaxobii p.62, l.30,pro Archesiarcho Heresiarchæ *legendum* p.63,l.41. In Comanorum p.74,l.32, Ascræus p.85,l,21, castellorum p.90,l.21.vorticosus p.98,l.23,& Sebastopolis p.105,l.53,testatur Caucasum p.109, l.8,vorticem & vorticosum p.110,l.22, Similiter eum p.143,l.44,Lycophronem p.147,l.47,dominarum p.154 l.28,Tauroscytarum p.156,l.25. vorticibus p.158,l.47, Axiacásque p.162,l.51,Fluuius hic p.167,l.4,exhibuerunt remissa p.171,l.48, Moneant p.175,l.36,augetur,

DEDERAMVS IAM HOC OPVS excudendum Typographo: interea quædam loca in vtriusque nauigationis versione accuratius inspecta castigauimus: ea nunc ad operis calcem adijcienda curauimus, ne nostra diligentia lector fraudaretur:

Prior numerus paginam, secundus lineam notat

Speluncas) tuguria vertendum potius: vocabulum certè fuerit conuenientius τοῖς ἰχθυοφάγοις, qui pisces piscantur, & tuguria solent habere iuxta litora. Pagina 1. linea 20

pag. 1. lig. 26. Post Moschophagos) in Græco exemplari antecedit σῆς μικρὸν quodquũ mancum sit, puto suppleri posse id quod deest optimo sensu. sic ἀπέχουσα θαλάσσης μικρὸν vt referatur ad μεσόγειος, ἀπέχουσα, &c.

pag. 1. lig. 37. Scaphis tantummodo recipiendis aptus) in Græco exemplari est. καὶ σκάφαις μόνον τὴν ἀποδρομὴν ἔχων) Sed puto legendum esse ἐπιδρομὴν: vt sit sensus, locus autem ille est importuosus, & scaphis tantùm permeari potest.

pag. 1. lig. 38. Post Ptolemaida Theron tria circiter millia stadiorum interuallo) fortasse melius, stadiorum circiter ter millium interuallo.

pag. 1. lig. 40. Emporium legitimum) νόμιμον, legitimum (ni fallor) intelligit iam Arrianus Emporium in quo homines legibus vterentur, & natura moribúsque essent humaniores mansuetiorésque, vt opponat cæteris, quæ erant βαρβαρικὰ, in quibus erant homines immanes, & Barbari.

pag. 2. lig. 12. Elephantorum) in Græco exemplari est, τῶν φονευομένων ἐλεφάντων. Elephantorum qui cæduntur videlicet à venatoribus.

pag. 2. lig. 14. raró autem in locis) σπανίως δὲ καὶ ἐν τοῖς παρὰ θαλάσσαν: aliquando tamen quanquam raró in locis etiam maritimis.

pag. 3. lig. 35. Omnis generis fructus crudi, & immaturi: καὶ Διοπολιτικῆς ὄμφακος, id est, & immaturi racemi Diospolitani, est enim legendum Διοσπολιτικῆς.

pag. 3. lig. 47. Distans octingẽtis stadiis: πλοῦν ἀπέχουσα ὡς ὀκτακοσίων σταδίων: hoc est, maritimo cursu distans octingentis circiter stadiis.

pag. 3. lig. 48. Cuius portus est instabilis, & fluctibus obnoxius. ὁ δὲ ὅρμος ἐπισφαλὴς: statio autem eius est periculosa, & exposita tempestatibus.

pag. 3. lig. 49. Cui imminet promontorium orientem versus extensum: σκεπόμενο. ἀκρωτηρίῳ τῷ ἐξ ἀνατολῆς ἀνατείνοντι: ab ortu tamen Solis tegitur promontorio eminenti

pag. 4. lig. 5 Duobus itineribus: δύο δρόμους: fortasse melius bidui iter distat.

pag. 4. lig. 8. Continenti vicinam: ἔγγιστα est in Græco, proximam igitur potius.

pag. 4. lig. 14 Duorum aut trium dierum interuallo. ὁμοίως μετὰ δύο δρόμους, ἢ τρεῖς .i. æquè bidui triduíue itinere.

pag. 4. lig. 17. Ferrea sed pauciora, atque gemmea) σιδηρᾶ δὲ ἐλάσσω, καὶ λιθία, id est, ferrea verò pauciora, & lapilli, vel paruæ gemmæ.

pag. 4. lig. 24. Sed maior, ἐλέφας δέ, καὶ σμύρνα σπανίως. Ebur autem, & Myrrha, raró.

pag. 4. lig. 25. Post Mosyllum, quæ est duorum dierum nauigatio) ἀπὸ δὲ τοῦ μοσύλλου παραπλεύσαντα μετὰ δύο δρόμους: hoc est, à Mosyllo autem si præteruectus fueris, post bidui nauigationem, occurrunt, &c.

pag. 4. lig. 35. Est Aromatum Emporium: extremum verò Barbaricæ continentis est Emporium ortum versus ἀπόκοπον) τὸ τῶν ἀρωμάτων ἐμπόριον, καὶ ἀκρωτήριον τελευταῖον τῆς βαρβαρικῆς ἠπείρου πρὸς ἀνατολὴν, ἀπόκοπον. id est, est Aromatum Emporium, & promontorium extremum Barbaricæ illius continentis orientem versus, Apocopum vocatum. Stephanus tamen (si modò mendo caret) numero multitudinis vocat ἀπόκοπα: & non Promontorium, sed Sinum in Arabia esse ait.

pag. 4. lin. 45 Tutum atque securum) tutum tectúmque potius, σκέπην habet Græcum exemplar.

pag. 4. lin. 49. Pòst Tabę, &c) hæc clausula fortasse melius sic potest conuerti: ab hoc Emporio Tabæ si soluas & quadringentis stadiis confectis, maris æstum sequutus Chersonesum prætereuectus fueris, peruenies ad alterum Emporium Oponem nomine.

pag. 5. lin. 50. Duos dromos) δύο δρόμους bidui itinere: sic enim appellat Arrianus cursum vnius diei, vel iter, quem aliâs δρόμον ἡμερήσιον & δρόμους ἡμερησίους vbi paulò pòst facit mentionem τῶν δρόμων τῶν νυχθημέρων μετὰ δύο δρόμους νυχθημέρους, intelliges itinera, quæ non tantùm interdiu, sed noctu etiam conficiuntur:

pag. 6. lin. 31. Prætenta) prætentus, refertur enim ad Oceanum ὠκεανὸς παρεκτείνων est in Græco: fortasse rectius exporrectus.

pag. 6. lin. 52. Mandris, Speluncis) fortasse rectius tuguriis.

pag. 7. lin. 44. Vilis, vel vulgaris) χύδαιος copiosa potius iam quàm vilis, aut vulgaris: quî enim poterat esse eximia, si vilis, & vulgaris fuisset.

pag. 8. lin. 2. Ligna siue vasa ænea) καὶ χαλκουργήματα. & signa ænea, vel vasa ænea:

pag. 9. lin. 8 Ipsa porro vtitur) ἔχει δὲ καὶ αὐτὴ σύγκρισιν, id est porro ipsa quoque vtitur iisdem Emporiis, &c,

pag. 9. lin. 31. Ex arboribus thus producens) καὶ χώρα λιβανωτοφόρος ὀρεινὴ δὲ, καὶ δύσβατος ἀέρα παχὺν ἔχουσα, καὶ ὁμιχλώδη καὶ τῶν δένδρων φερόμενον τὸν λίβανον verba Græca referunt creationem thuris ad aërem crassum, & caliginosum, non ad regionem.

pag. 10. lin. 30. In eam incidunt) εἰς αὐτὰς ἐπιβάλλοντες, ad eam appellunt: εἰς αὐτὴν enim puto esse legendum in Gręco.

pag. 11. lin. 4. Minimè inde possit à portu soluere) in Græco est, οὐ δύναται πλεῦσαι τὸ πλοῖον ἀπὸ δαίμονος δίχα λιμένος sed illud δίχα λιμένος mendosè legitur, sic fortasse ἔξω λιμένος est legendum.

pag. 11. lin. 39. Non procul à Pasini regione) κειμένη καταπασίνου χώρα: sic legitur in Græco. Sed mendosè (ni fallor) fortasse legendum κατὰ πασίνου χώραν, vt sit sensus Emporium oppositum Pasini regioni.

pag, 13. lin. 4. Naues vorticibus, &c) ἀποκέλλειν τὰ πλοῖα est in Græco: est igitur dicendum, ita vt sæpenumero naues terra adhuc non apparente in breuia impingant, & raptæ interius vorticibus illis mergantur, & intereant.

pag. 13. lin. 15. Illi omnino est pereundum) ἀπόλλυνται: illi omnino pereunt.

pag. 13. lin. 38. Pecorum gregibus) βουκόλια δὲ ἐν αὐτῇ πλεῖστα, id est, armentorum autem maxima copia in ea est.

pag. 13. lin. 51. Boreā vergens) εἰς αὐτὸν ἐνδύνων τὸν βορέαν: Boreā versus ipsum vergens.

pag. 14. lin. 15. Aquæ impetum) διά τε τὸν ῥοιῶ τὸν περὶ αὐτὸν tum propter maris æstum. quo circum alluitur.

pag. 14. lin. 43. Crescunt, atque augentur) Hîc fuit omissum ἄχει τριῶν ἡμερῶν, quod est in Græco exemplari: vt sit crescunt, atque augentur per triduum.

pag. 15. lin. 53. Vnguentum pretiosum quidem sed non multum) μύρον οὐ βαρύτιμον, οὐδὲ πολύ. id est vnguentum neque magni pretii, neque multum.

pag. 16. lin. 29. Ea vtroque Emporio curribus, &c) κατάγεται δὲ ἐξ αὐτῶν πορείαις ἁμαξῶν, καὶ ἀνοδίαις μεγίσταις εἰς τὴν βαρύγαζαν, &c. Ex his autem Emporiis per loca inuia & difficillima, Barygazam plaustris conuehuntur, &c.

pag. 17. lin. 37. Parum vini) οἶνος δὲ οὐ πολύς vinum autem non multum: in Græco deinde exemplari sequuntur hæc verba σώζει δὲ τοσοῦτον, ὅσον ἐν βαρυγάζοις. quæ desiderantur in versione.

pag. 19. lin. 24. Attritis naribus) ἐκτεθλιμμένων τὴν ῥῖνα depressis naribus.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 1. linea 22. arena p. 10. l. 2. Taprobana p. 11. l. 34. Pseudopylas l. 42. in sulæ p. 12. l. 17. διοδώρου p. 18. l. 14. pro distat lege extat p. 19. l. 31. Plinium p. 20. l. 40. μολόχη p. 21. l. 37. in margine penetrauit l. 51. εἰς l. 52. pro σάλοις lege σαλοις p. 22. l. 11. σάλῳ & ὁμιλήσας l. 19. in margine pro ἐπίσαδς lege ἐπίσαδος p. 23. l. 21. Ioan. p. 32. l. 10. μονόξυλα l. 34. quæ intrant p. 37. l. 14 in margine pro regionis lege regio l. 27. Olysipponē p. 45. l. 32 non esse p. 51 l. 21. Sfacalath p. 54. l. 19. habent & 18. in marg. conuectum l. 49. cone p. 55. l. 10. dicendum p. 57. l. 30. Eratosthenem p. 66. l. 33. Gange p. 68. l. 26. appellans l. 38 volunt eundem p. 70. l. 14. Syrastrenam lege pro Syrastre: nam p. 77. l. 9. montanam p. 78. l. 4. animalia l. 6. innumeros pro numeros p. 86. l. 29. pro Colchicum & Cochicum pone Cochimum p. 91. l. 15. dele diginti p. 99. l. 6. in mar. patefacta.

RERVM MEMORABILIVM IN TOTO PERIPLO MARIS ERYTHRÆI COMPREHENSArum, index amplissimus: prior numerus paginam, secundus lineam notat.

Cyno-

K

L

M

Melinde

Q

R

S

incolæ

FINIS.

INDEX SECVNDVS PERIPLI MARIS ERYTRÆI Geographica continens.

D

E

F

G

H

Philo-

FINIS.

ARRIANI HISTORICI ET PHILOSOPHI MARIS

Erythræi Periplus ad Adrianum Imp. Romanum.

Nunc primùm è Græco sermone in Latinum versus, plurimísque mendis repurgatus. Accesserunt & Scholia, quæ luculẽtam Regionum, Gentium, Insularum, Oppidorum, Fluminum, Mercium, cæterarúmque rerum memorabilium vtriusque Peripli descriptionem continẽt, ex accurata veterum ac recentiorum authorum collatione, quorum nomina post Præfationem addita pagina indicabit.

Addita est præter loca, que solers Lusitanorum penetrauit nauigatio, omnium cùm Oppidorum, quæ Danubius irrigat: tum Fluuiorum, qui in eum deuoluuntur, diligens & iucunda obseruatio,

IO. GVILIELMO STVCKIO TIGVRINO AVTHORE.

Cum gemino indice rerum scitu dignarum quæ in vtroque Periplo explicantur.



LVGDVNI

APVD BARTHOLOMAEVM VINCENTIVM.

M. D. LXXVII.

CLARISSIMO ORNATISSIMOQVE VIRO
Domino, Hieronymo Manueli Amplissimæ Reipubl. Bernensis
Quæstori, Domino & affini suo plurimùm
obseruando.

CV'M vniuersa hæc rerum natura, atque machina, quæ ob admirabilem suam potius, quàm explicabilem speciem, ordinem, ornatum meritò à Græcis κόσμος, à Latinis Mundus appellatur, ipsius Dei Optimi Maximi qui eam ex nihilo, solo omnipotente suo verbo, ad nostrum vsum architectatus est, clarissima quædam sit imago: tum verò, atque in primis, ipsum mare immensum occultæ illius (vt Plinij verbis vtar) potentiæ, præclarum sanè est documentum, vt prorsus (sicuti idem inquit) nec aliud vltrà quæri deb[redacted]uidē numerosis modis, nec vllum par, aut simile queat inueniri. Quamobrem non sine causa apud Danielem in illo creaturarum diuinas laudes concinentium, atque celebrantiū Daniel.3.
choro ipsa quoque flumina & maria reponuntur. Meritò quoque sapientissimus ille Eccles.43.
operum diuinorum præco, mare, inquit, nauigantes pericula eius commemorant, quæ nos percepta nostris auribus vehementer admiramur. In mari præclara, & admirabilia opera Dei, varia bestiarum, atque belluarum genera. Itē David: Qui descendūt, Psal.107.
inquit, in mare nauibus, qui faciunt opus (hoc est negotiantur) in aquis magnis, ipsi vident opera Iehouæ, mirabilia eius in profundo. Quòd si quis igitur maris vim, naturam, motum atque impetum, innumera commoda pariter, atque incommoda, siue pericula enumerare tentet, is, meo quidem iudicio, in ipsum mare seu immensum quoddā pelagus ingredi videatur, cuius nullus sanè exitus, nullúsue portus reperiri queat. Nā primo omniū, quàm vasta, quæso, illius est moles, magnitudo, profunditas, nō Protheo nescio cui Ægyptio, sicuti Horatius finxit sed soli Deo inuestigatu facilis: vnde rectè Græcis ἄβυσσος, quasi ἄνευ τῆς βύσσης, hoc est, profundū, fundi omnis expers appellatur? Hinc eleganter sanè David mare latum manibus (quod septuaginta εὐρύχωρον Psal.104.
verterunt) hoc est amplum, latóque sinu spatiosum appellauit, quod suis quasi manibus siue brachijs (quæ Latinè sinus appellantur) terras longe latéque complectatur. Mare enim omnium fontium, riuorum, fluminum, aquarum denique siue terrestrium, siue cælestium commune quoddam est receptaculum, atque penu, vnde eleganter admodum à D. Ambrosio fluminum hospitium, imbriúmque fons esse dicitur. Nam, vt Ecclesiastes inquit, omnes fluuij in mare intrant, nec tamen impletur, indeq́ rursus exeunt. Cùm enim omnium animalium vitæ, cæterarúmque rerum salus, & incolumitas partim calore, partim humore temperato moderatóque constet, Deus pro

ij.

singulari sua sapientia vt Solē ignis omnis atque caloris communē quasi atq; perpetuā fornacē in cœlo, atque terra defixit, vnde omnis in cœlo calor proficiscitur: ita in terra ipsum mare ceu immensum quendā atque perennē omnis humoris, & aquarū fontem collocauit, vnde omnis humor ad calorem illū temperandū necessarius, per fontes, riuos, atque fluuios veluti per canales quosdam in vniuersam terrā deriuatur, atque diffunditur. Et, vt alio vtar simili, non secus atque in corpore animali omnis sanguis, ab hepate ceu illius fonte per venas quasdam maiores alias, alias minores singulis vniuersi corporis membris, quantū ad vitæ sustentationem sat est, distribuitur, & communicatur: ita à mari omnis humor ceu salutaris terræ sanguis atque succus per fluuios, quorum alij parui, alij magni, alij mediocres sunt, singulis terræ partibus irrigandis, atque fœcundandis dispensatur, atque subministratur. Non mirum est igitur aquas, Hebraicè מים *quasi* מן ים, *hoc est, à mari promanantes appellari. Quantus præterea est maris turbinibus & procellis agitati impetus? quāta vis? quantus furor? ita vt naues, quæ illo vehuntur celerrima quadam ac momentaria vicißitudine modò in cœlū ascendere, modò ad ima tartara descendere videantur. In quo sanè maris rabido, furiosóque impetu vel concitando, vel sedando ac compescendo admirabilis Dei ceu veri Neptuni virtus, potentia, iustitia, atque clementia nauigantibus sese manifestißimè conspiciendam præbet. Qua de re sic eleganter Dauid cecinit, interprete Buchanano* [redacted]

Qui mare fluctisonum sulcat, curuísque carinis
Admouet externas vaga per commercia gentes,
Non ignota illi diuina potentia: nec quæ
Monstrat in immenso miracula sæpe profundo,
Quam iubet, irrumpunt venti stridente procella.
Et mare nunc spumis cādentibus astra lacessit.
Et nunc tartarei subsidit ad ima Barathri.
Pallent ora, metus trepidantia pectora pulsat,
Et velut oppreßis vino vestigia nutant.
Calida nec cani iuuat ars, aut cura magistri,
At Dominum vt mœstis implorauere querelis
Exaudit trepidos, & opis miseratur egenos.
Iam venti ponunt, stratáque æqualiter vnda.
Arrident taciti tranquilla silentia Ponti.
Iam posita læti gaudent formidine nautæ.
Ergo canam Dominúmque bonum facilémque parentem

Iob.26. Eccles.48. Ierem.5. *His similia videre licet apud Iobum & Ecclesiast. Ieremias quoque maris: licet furiosi comparatione, populi omne Dei imperium aspernantis, repudiantísque furorem amplificat. Quis quæso est, qui piscis Echeneidis, naues maximas, & remorum ventorúmque impulsu incitatißimas, naues vel subitò retinendi vim non summopere admiretur? Ruant (vt eleganter inquit Plinius) venti licet, & sæuiant procellæ imperat furori, viréſque tantas compescit, & cogit stare nauigia, quæ non vincula vlla non anchoræ pondere irreuocabili iactæ. Infrænat impetus, & domat mundi rabiem nullo suo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantilla* Plin. lib.32. cap.1.

est satis

est satis contra tot impetus, vt vetet ille nauigia. Hæc ille. Quod si tantillo igitur pisci, semipedali nimirum, tanta vis est, quanta quæso ipsius Dei creatoris ad maris ventorum, nauium vim, ac impetum vehementem cohibendum, reprimendúmque, virtus atque potentia iudicari debet?

Ut autem mare ventorum vi concitatum, quasiq́ ira & furore inflammatum horribili, quam præ se fert specie, sonitu atque fragore nauigantibus præsentissima mortis pericula intentans, ingentem timorem ac metum incutit: ita contrà summa quadam hominum aures oculosq́ dulcedine perfundit, & demulcet, quando, vt D. Ambrosius loquitur blandum & crispans serenæ tranquillitatis, purpurascentē præ se fert colorem & vicina litora non violatis tundit fluctibus, sed veluti pacificis ambit, & salutat amplexibus? quàm dulcis sonus est, quàm iucundus fragor? quàm grata & consonans resultatio? Quid dicam de mirabili eo vario quidem ac multiplici, sed certo, & fixo maris modò accedentis, modò recedentis æstu, reciprocæ animalium respiratione simillimo, cui Luna potissimùm dominatur? Unde Plin. Æstus maris recedere & reciprocare maximi mirū est. Pluribus quidem modis accidit, verùm causa in Sole Lunáque. Quanta admiratione digni sunt eiusdem termini, qui sunt scopuli, non montes alti: sed humile potius & arenosum littus, quo Deus illud terra licet altius ceu virgula quadam circumscripsit, ne in terram erumpere, illamq́ obruere possit? Hi termini, quos Deus mari circundedit, quibusq́ illud ceu vinculis, & carcere frænat eleganter in sacris literis vectes, obices, repagula, ostia appellantur, de quibus multa sanè egregia Isai. cap. 5. & Iob. cap. 12. differūt. Hos tamē nonnunquā Deus, hominū scelera & flagitia vlciscendi puniendiq́ gratia, quibusdam in locis tollit, ac rumpit vnde horrendæ, miserandæq́ hominū, pecorū, vrbiū, atq́ regionū strages, vastitates atque ruinæ cōsequuntur. Huius rei inferior Germania nobis, eheu, plurima nostra ætate stupenda, miserādáque exempla suppeditauit. Quæ quidē maris inundationes calamitosissimæ quid præterea malorū portēderint quid opus est multis verbis? res pròh dolor, ipsa loquitur. Iam verò, vt ad propositum redeam, maris quoque tumor ad salutarem illam animantium generi diei, noctísque vicissitudinem efficiendam ipsi terræ mutuas quasi tradit operas. Magna præterea maris est in regionibus, atque gentibus vel à se inuicem distinguendis & separandis, vel, si ita vsus, necessitásque illarum ferat, rursus compendiosissima quadam via coniungendis copulandísque commoditas. Hinc scitè admodum Ambrosius hisce verbis expressit: illo, inquit, distantes populi copulantur, præliorum pericula remouentur, barbarus furor clauditur. Illud subsidium in necessitatibus, refugium in periculis separatorum coniunctio, itineris compendium, transfugium laborantium. Hæc ille. Ad hæc maris salsugo cùm fructuosissima (nam secundum tritum illud, & vsitatum sine sale, & Sole viui non potest) tùm valde est admirabilis, in cuius causa, & ratione explicanda plurimùm se omnium temporū Philosophi exercuerunt, ipsiq́ poetæ idcirco mare Saturni esse lachrymam fictis suis fabulis prodiderunt. Quis præterea non summopere admiretur singularem maris vim atque naturam, ab omnibus sordidis, impuris, & immūdis rebus ita abhorrentē, vt illas minimè diu ferre possit, protinúsq́ in littora atq́ terras eijciat? Annō quæso Deus ipsum mare ceu clarū & illustre puritatis, castitatisq́ colendæ, quasi exēplar nobis atq́ documentū ante oculos videtur proponere? Unde

Lib. 9.

Isa. 5. Iob. 12. & 31

Plin. omnia,inquit,maria plenilunio purgantur, quædam & stato tempore. Circa Messanam,& Mylas fimo similia exponuntur in littus purgamenta, vnde fabula Solis boues ibi stabulari. Atque hinc quidem apparet cur veteres illi idololatræ tantùm mari, hominum animos pariter atque corpora peccatis polluta & contamino de parricidarum pœna verba faciens, ea potissimum de causa insui eos culeo dicit, ne cùm in flumen abiecti,delati essent in mare,ipsum polluerent,quo cætera, quæ violata,expiari putantur. Huc quoque facit illud Euripidis θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά: Hoc est,mare cuncta abluit mortalium mala. Et Aristophanis inter-
lib.22,de. ciuitate Dei cap.24. pres: Mos olim,inquit,erat mare καθαίρειν τοὺς ἀφωσιωμένους,hoc est, expiare pollutos Eandem ob causam Lycophron in Alexandra nonnullis videtur ἁγνίτην ἅλα, hoc est, lustralen salem appellasse. Quanta præterea est maris, cùm sese diuersis coloribus, vt Augustinus, inquit, veluti vestibus induit, modò nascente Fauonio, purpurei modò cerulei,mane flaui,modò viridis, modò quando à Sole collucet,albescentis & vibrantis,denique Iridis instar mille colores trahentis pulchritudo aspectu sanè iucundissima? Quæ præterea insularum, quas elegantissimè Ambrosius maris monilia, Theodoretus nauigantium commodas stationes,seu mansiones appellauit, multitudo, & varietas? Iam verò si quis ad ea,quæ in mari continentur atque nascuntur, animũ cogitationémque conuertat, fieri profectò non potest,quin præ admiratione, stupore quodam obruatur. Quanta enim(pròh Deum immortalem) quàm varia, & multiplex, quàm monstrosa in illo est beluarum partim submersarum, partim fluitantiũ, & innatantium, partim ad saxa natiuis testis inhærentium multitudo? Qua de re sic eleganter Dauid Psal. 104. interprete Buchanano.

Sed & æquora ponti
Fluctibus immensas circunplectentia terras
Tum laxo spatiosa sinu: tot millia gentis
Squãmigeræ,tremula per stagna liquentia cauda,
Exultant,tot monstra ingentia,& horrida visu,
Veliferas circumnant puppes, grandia cete.
Effingunt molles vitreo sub marmore lusus

Nec verò vastissimarum solum beluarum, quas balænas Latini, atque cetos, Hebræi לויתן, & תנים appellant, magnitudo, & ferocitas, verùm etiã minimorum animaliũ maritimorũ solertia,astutia,robur(vt nihil de vtilitate dicã)valde est admirabile. Quid dicã de innumeris,quæ in illo nascuntur,portentosis plantis, de gemmis ac
lib.9.cap.1. margaritis,quas verò eleganter Q. Curtius maris æstuantis purgamẽta appellauit. O miseros igitur, vanos & ridiculos nos mortales,qui hisce maris excrementis ceu maximis quibusdam ornamentis,tantopere delectamur,vt in ijs comparandis non modò nullis sumptibus atque laboribus,sed ne vitæ quidẽ nostræ parcamus. Denique quoad ea quæ in mari reperiuntur, vera est,inquit Plinius,vulgi opinio, vt quicquid nascatur in parte naturæ vlla, & in mari prætereáque multa, quæ nusquam alibi. Rerum quidem, non solum animalium simulachra esse licet intelligere intuentibus vuam,gladium,serras,cucumim verò colore & odore similem. Hæc ille. Iam verò nauigationis maritimæ & incommoda, molestias,pericula & commoda emolumentáque maximas

maxima quis cogitatione, nedum oratione complecti queat? Mari enim præpotens ille Deus exercituum, ceu maximo & potentissimo suæ vel clementiæ, ac beneficentiæ, vel seueritatis atque iustitiæ erga homines exercendæ instrumento vtitur. Quàm enim primò omnium graues, atroces, ærumnosæ, periculosæq; sint maritimæ nauigationes quotidiana experientia testis locupletissima. Rectè igitur Anacharsis tantùm abesse à morte nauigantes dicit, quanta sit tabularum maximarum spissitudo. Idémq; nauigãtes vtrũ inter viuos, an inter mortuos sint referẽdi dubitasse fertur. Verùm cùm Deus (vt sapienter ille dixit) hominibus omnia vendat laboribus, & (vt sacris literis docemur) hæc à Deo hominibus ob primorum nostrorum parentum grauissimam culpam, lex lata pœnáque irrogata sit, vt panem suum quotidianum, hoc est, omnia quæ ad vitæ cultum victúmque pertinent, maximis suis laboribus atque sudoribus quærere cogantur: mirum non est, vt humana alia omnia, ita nauigationes quoq; hasce maritimas ad caducam hanc nostram fragilémque vitam tuendam, at sustentandã accommodatissimas maximis laboribus, atque periculis esse implicatas. Ceterùm inter omnia maritimæ nauigationis commoda principem locum facile obtinet Euangelij ac Christianæ Religionis, ad quasuis vel remotissimas gentes propagatio, quæ per illam, vt olim, ita hodie, quoque potissimè fieri consueuit. Testes sunt huius rei cùm in primis D. Pauli summi illius Gentium doctoris, tum cæterorum quoque sanctissimorum Apostolorum fœlicissimæ nauigationes. Illi enim ceu veri Argonautæ atque Heroes, non tam ventis, remis, velísque, quàm Sancti spiritus ceu salutaris atque secundi venti impulsu, ductu, auspicijs celerrimè, breuissimóque tempore plurimis gentibus atque nationibus trasmarinis Euangelium illud salutiferum, consolationis, letitiæq; plenissimũ attulerunt, legitimámq; Deũ colendi, & æternæ salutis adipiscendæ rationem tradiderunt. Et hac quidem ratione antiquissima illa Prophetarum, de insularum maris ad veram religionem vocatione oracula, ipsa re euentúque fuerunt comprobata. Isai.50.51 *Deinde nauigationum maritimarum maximus, & vberrimus fructus sunt & mercaturæ, & negotiationes, sine quibus (vt sapientissimè Baldus summus Iurisconsultus inquit) mundus non potest viuere.* In rubric. extra de cle. peregr. *Nam & rerum, quæ apud nos non nascuntur, & sine quibus minus benè, commodéque viui potest, importatio, & earum contrà, quibus abundamus, exportatio, vitæ societatísque humanæ colendæ, tuendæ, & conseruãdæ, apprimè est necessaria. Optima igitur ratione sanè Euripides in Supplicibus inter prouidẽtiæ diuinæ opera, negotiationes quoq; maritimas (quas* ναυκληρείας *propriè appellant) commemorat, cùm inquit,* πόντου τε ναυστολήμαθ᾽ ὡς διαλλαγὰς ἔχοιμεν, ἀλλήλοισιν ὧν πένοιτο γῆ. *Et Seneca, inter cætera, inquit, prouidentiæ diuinæ opera, hoc quoque dignum est admiratione, quod natura ventos dederit incitatores nauigationis, vt commoda cuiusque regionis fierent communia.* lib.5.nat. quest. *Sed in primis Dauid Psal. 107. vbi multa præclarè de mirabilibus diuinæ prouidentiæ operibus differit, luculentam quoq; huius rei mentionem facit.* Ezech. *Huiusmodi autem, vt olim Poenorum, Phoenicum, Tyriorum atque Sidoniorum, ita hodie Portugalensium in primis atque Castillonensium celeberrimæ sunt fructuosissimæq; mercaturæ. Præterea nauigationes maritimæ multarum regionum, atque Gentium antehac planè incognitarum hisce potissimum extremis temporibus inuentrices extiterunt, cuius rei Lusitanorum in primis & Castilliensium nauigationes magno sunt argumento, quibus nouus & antehac incognitus orbis fuit*

patefactus, in quo non tantùm aurum & res aliæ pretiosæ, sed aromata, atque multæ res nouæ, quarum in victu & medicina maximus est vsus, aduehuntur. Quid dicam quod nauigatio maritima præstantißimarum artium, Astrologiæ nimirum atque Physicæ vniuersæ optima est fidelißimáque magistra. Non enim multis literis atque libris sed ipsa potius experientia quæ, vt Aristoteles & rationibus, & Poli cuiusdam authoritate probat, omnium artium est effectrix, immensum hoc pelagus sulcantes cœli, & astrorum situm motúmque didicerunt, & ad illum nauigationum suarum incertos, ancipites, difficiléſque cursus ab initio direxerunt, atque etiamnum hodie dirigere coguntur. Iidem ventos quoque suarum nauigationum rectores ac immoderatores, ac omnem hunc cœli inferioris quod aer dicitur, affectum atque naturam aßidua obseruatione optimè cognitam perspectámque habent: fuuræ vel serenitatis vel tempestatum signa ex astris, ex aere, ex mari, ex animalibus marinis, aliíſque rebus aucupantur. Nautas itaque licet rudes idiotas, illiteratóſque homines veros Philosophos, hoc est, rerum cælestium atque naturalium contemplatores, verißimè dixeris. Nec enim illi astrorum tantùm (vti dictum est) ventorum, aliorum meteoron, verùm etiam ipsius maris omniúmque rerum quæ in eo fiunt ac continentur, vt beluarum, conchylium, gemmarum, margaritarum maximam quotidiana experientia cognitionem adipiscuntur. Atque hîc mihi in mentem venit in primis mirari solertißimum illud artificiosißimúmque directorium instrumentum nauticum, Amalphis in Campania Oppido à Flauio quodam excogitatum, quod Latinè Normam nauicularïam, item pixidem versatilem siue pyxidiculam magnetis atque versorium vulgò compas appellant, cuius vsu & commoditate etiam intempesta nocte, ac densißimis tenebris, atráque caligine, clauo affixi nauem dirigunt. Hoc instrumentum, quod alij vetustum, alij recens inuentum esse putant, in quo ventorum regiones, mundíque cardines quatuor interiectæq; inter hos terminos regiones exactißimè descriptæ continentur, ipsius Astrologiæ, Cosmographiæ, atque vniuersæ Physicæ, quasi Epitomen quandam nec non organum organorum, imò θαῦμα θαυμάτων, meritò appellare poßis, quod tamen quia ordinarium quotidianóque vsu ac consuetudine tritum est, mirabile videri non solet. Huius autem instrumenti inuentionem, non tam humanam, quàm diuinam, quis non videt maritimæ nauigationi acceptam esse ferendam. Quid dicam de plurimis alijs, imò innumeris artibus mechanicis, nauibus multiplicibus, instrumentíſque nauticis ipsius cui inseruiunt nauigationis beneficio solertißimè inuentis & excogitatis. Ac omnino ipsa ars nauigandi (quam ναυκληρείαν Græci appellant) quanta quæso? est tanta certè, vt illa nulla ferè maior, solertior, subtilior, ingeniosiórque excogitari queat, quæ quidem non nisi longo vsu, & experientia, multarúmque rerum cognitione addisci potest. Quamobrem Poetæ non hominem aliquem, sed Neptunum & maris Deum, & artis nauigandi primum inuentorem finxerunt cui idcirco tridentem tanquam mochlerum attribuerunt, ipsúmque μοχλευτὴν hoc est vestiarium nominarunt. Alij Mineruam primùm naues molitã esse tradunt, quod cum Poetis Tertullianus in eo qui est, de corona militis, prodidit. Alij Athlantem in Lybia, vt Clemens Alexandrinus testatur, naues primò excogitasse

excogitasse volunt. Sed quid de Poetis loquor? nos ex sacrarum literarum testimonio vsum nauium diuinitus primum Noacho monstratũ fuisse affirmare possumus. Quin etiam Spiritus sanctus per Dauidem non dubitauit ipsam nauigandi artem sapientiam appellare cùm in magnis tempestatibus omnem dicit mortalium sapientiam absorberi. Psal.104.

Nec verò solùm artium, & mechanicarum, & liberalium, vti adhuc dictum est, inuentrix. verùm etiam temperantiæ, continentiæ, sobrietatis, fortitudinis, patientiæ, cæterarúmque virtutum optima, fidelissimáque magistra & exercitatio maritima nauigatio optimo iure censeri debet. Nauigantes enim in naui, ceu in cœnobio, siue Gymnasio quodam deserto & ab omni hominum celebritate, frequentiáque disiunctissimo constituti, ab omnibus mundi delitijs & voluptatibus perniciosissimis, malorũ illecebris abstracti, cultu victúque non solum tenui & frugali, verùm etiam duro contenti, laboris, sitis, famis, caloris, frigoris, omnium denique malorum patientissimam vitam agunt. Unde scitè admodum D. Ambrosius, ipsum mare secretum temperantiæ, exercitium continentiæ, grauitatis secessum portum securitatis, tranquillitatẽ seculi, mundi huius sobrietatem appellauit. Verùm cùm omnium virtutum regina atque domina sit religio, quæ quidem in Dei vera agnitione, cognitióq; debito legitimóq; cultu consistit, quænam quæso res naturalis hominem ad maiorem illustrioremq; Dei cognitionẽ quasi manu deducit, & ad eũ amandũ, timendũ, honorandũ, inuocandũ, omnem denique spem in illo solo defigendam vehementius impellit, & incitat, quàm maritima nauigatio? Nã & ipsum mare vniuersum, & quæcunq; in eo cõtinẽtur, quæcunq; oculis, auribus, cæterisq; sensibus vsurpantur, maxima, & stupẽda Dei miracula illius maiestatẽ, potentiã, virtutẽ nauigantibus, ceu in speculo quodã lucidissimo apertè cognoscendã, cognitámq; suscipiendã, celebrandãq; exhibẽt. Præterea creberrima præsentissimáque mortis pericula modò à prædonibus atq; pyratis modò à tẽpestatibus atq; procellis intentata, nauigantes omnẽ socordiam securitatemq; deponere, de sua salute vitáque æterna sedulo cogitare, ad Deum confugere, in illo solo omnem salutis spem ponere, ab illo solo supplicibus ardentissimísque votis peccatorum veniam, opem, auxiliúmque petere, denique vbi periculis perfuncti, eidem gratias toto pectore habere, & agere discunt, quemadmodum egregie & Dauid & Ecclesiastes docent. Hæc autem quæ commemorata sunt, quis dubitat præcipua Christianæ religionis esse membra atque neruos? Quamobrẽ ipsa quoque vniuersa Christianorũ vita sæpenumero à sacris scriptoribus, & quidem per quàm accommodata maritimæ nauigationis similitudine adumbratur, in qua ipsa quidem Ecclesia vniuersa nauis est, singula eius membra siue Christani, vectores, Christus gubernator, mundus mare: venti, vela, remi, astra qui bus nauis hæc spiritualis mouetur, impellitur, regitur, sunt Spiritus sanctus, eiúsque dona, verbum Dei, Sacramenta, Ecclesiæ Ministri, portus denique, sedes vbi fata quietem ostendunt, est vita æterna. Enumeratæ adhuc à me sunt aliquot maritimæ nauigationis commoditates quibus Colophonis loco illud quoque addatur, quod corporis quoque valetudini plurimum conducant. Plinius certè nauigationes phthisi lib.31.cap.6. affectis, ac sanguinem egerentibus plurimùm prodesse Anei Gallionis Proconsulis exemplo docet. Unde subiungit AEgyptum non propter se peti, sed propter lon-

ginquitatem nauigandi. Quin & vomitiones, inquit idem, instabili volutatione commota plurimis morbis capitis, & oculorum, pectoris medentur, omnibúsque propter quæ elleborum bibitur. Et Auicenna tertia primi, lepræ, hydropisi, apoplexiæ, stomachi frigiditati, necnon inflationibus, eiusdem vomitus ratione, magno esse adiumento nauigationem maritimam docet. De aquæ autem maritimæ maximo in medicina vsu multa præclarè Plinius, Dioscorides, aliíque medici disserunt. Plato quoque cùm in AEgyptũ ad Sacerdotes ac Prophetas illorum mysteria discendi cognoscendíq; gratia sese recepisset, grauissimo, periculosissimóque morbo aqua marina liberatus, pristinæq; sanitati restitutus fuisse fertur. Etsi autem cuncta orbis terrarum maria, his quæ eo commemorata sunt, plurimísque alijs nominibus valde sunt admiranda, tamen mare illud in primis quod Erythræum à Græcis, à Latinis Rubrum, ab Hebræis סוף *hoc est, iuncosum siue procellosum ob iuncorum nimirum, & procellarum copiam appellatur, atque adeò vniuersum quoque mare Eoum, seu Indicum (quod Erythræum sæpe à veteribus dicitur) plurimis maximísque rerum miraculis scatet. Nam primò omnium, vt inde potissimum exordiar, mare hoc sacris non minus, quàm prophanis literis celebratissimũ, quã admirabili, seu potius stupendo miraculo à Deo fuit insignitum, quando exiccatis vno quasi momento illius aquis, populo Israelitico per illud medium sicco pede transeundi, & Pharaonis exercitum illum funestissimum suis ceruicibus imminentem, hoc est certissimam præsentissimámque mortem effugiendi potestatem fecit? Quamobrem mare hoc Erythræum siue Arabicum (ô miraculum perpetuis laudibus celebrandũ) licet teste Mela, seu ipsa potius quotidiana experientia, valde sit procellosum æstuosum (vnde* סוף *ab Hebræis dicitur) breuibus & cautibus occultis asperum, profundum, belluis marinis infestum, ac proinde nauigatu periculosissimum, tamen singulari admirabilíque Dei beneficio Israelitis in illo extremo vitæ periculo atque discrimine constitutis optimum tutissimúmque refugium, atque præsidium extitit. Vnde scitè admodum S. Augustinus illud Israelitis quidem refugium, Pharaoni verò eiúsque exercitui laqueum fuisse dicit. Iam verò vniuersum hoc mare plurimis rebus monstrificis, maximísque opibus atque diuitijs abundat: in mari rubro, Indicóue inquit Cicero, maximæ belluæ nascuntur. Mela, idem mare magnorum animalium magis quàm cætera, capax esse scribit. Cochleas, Citharoedos, Oxyrynchos, Pardales, alиósque huiusmodi vt nominibus ita natura atque figura admirabiles pisces (quos pluribus describit) in mari rubro nasci, testis est AElianus. Plinius denique quem inexhausta rerum naturalium cognitione præditum fuisse, ipsius volumina testantur, in Cadara rubri maris peninsula ingentes beluas, ad immobilem magnitudinem adolescere scribit. Idem plurima, inquit & maxima in Indico mari sunt animalia, è quibus balenæ quaternum iugerum, pisces ducentorum cubitorum, locustæ quaternorum cubitorum, anguillæ in Gange amne tricenorũ pedũ. Has in mari beluas circa solstitia maximè videri dicit quando turbinum, imbrium, procellarum vi ex profundo pulsante cum fluctibus voluuntur. Idem author cetos sexcentorum pedum longitudinis & 360. latitudinis in flumen Arabiæ intrasse scribit: vnde magnitudo immanium illarum beluarum æstimari potest, ex quarum etiam pellibus vestiri Indos fuisse solitos*

Plin. lib. 31. cap. 6. Diosc. lib. 5. cap. 15

Exod. 14. Iosu. 4. & 24. Psal. 114, 136, 66. Isa. 51. Heb. 11.

August. de mirabil. sac. script. lib. 1. cap. 11. lib. de natu. deor.

Ælian. lib. 11 Plin. l. 9. c. 1.

in Epistola Alexandri Magni ad Aristotelē legitur. Hac de re audiuntur hodie sermones nautarum penè incredibiles. His adde purpuras, Conchas, quas in mari rubro acutissima labiorum acie, quamcunque apprehenderint natantis hominis partē amputare AElianus testatur. Item corallia, vniones, seu margaritas, gemmas præstantissimas, quarum copiam in vniuerso illo Oceano reperiri inter omnes antiquos pariter, atque recentes authores satis supérque constat. Quid dicam quod Plinius lib. 13. cap. 25. nec non lib. 2. cap. 103. mare rubrum, & totum orientis Oceanum syluis esse refertum, & in eo Bdellium, oleas, virentésque frutices nasci scribit? Atque hoc quidem summa mihi videtur admiratione dignū, quippe cùm in ipsa terra (eodem teste) omnis locus, in quo sal reperitur, sterilis sit, nihílque gignat. Quid dicam de innumerabilibus penè ac infinitis Oceani huiusce insulis quarum plurimæ multis antè sæculis incognitæ, hodie Portugallensium atque Castiliensium opera, industria, labore, periculis inuentæ sunt, atque patefactæ? Præterea regionibus hoc mare quaquauersus, maximis, amplissimis, omniúmque rerum & monstrosissimarū & ad vitæ huiusce vtilitatem, commoditatem, voluptatémque spectantium affluentissimis cinctum est atque distinctum. Huiusmodi est AEthiopia, Troglodithice, Arabia, Persia: India, denique rectè à Poetis diues cognominata, ex quibus vt olim Romani florente imperio, ita hodie quoque plurimæ res ad victum & medicinam vtiles quotidie aduehuntur. Huiusce porrò maris ad omnes illas modò commemoratas oras atq; gentes nauigatio, Romano stante atque florente imperio (vt antiquiora taceam) frequentissima celeberrimáque extitit, ita vt ferè illæ omnes gentes transmarinæ cum Europæis summa, arctissimáque commercij, hospitij, atque religionis consuetudine fuerint coniunctæ. Huius rei summus ille Geographus Strabo, qui Augusti, & Tiberij temporibus floruit, testis est cùm in alijs suæ Geographiæ locis, tum verò atque in primis lib. 16. vbi de AEgypti vectigalibus verba faciens, maxima sua ætate, & quidem, infesto prædonibus mari armatas classes in Indiam, & extremas AEthiopiæ oras à Romanis mitti, indéque plurimas, preciosissimásque res in Alexandriam & AEgyptum deportari solitas fuisse scribit, vnde Europæ postea ac reliqui orbis partibus communicabantur. Harum quoque mercium portorijs AEgypti vectigalia mirum in modum aucta & amplificata fuisse testatur. Eandem nauigationem Plinius quoque libro sexto capite tricesimo tertio diligenter admodum, accuratéque descripsit: diu, inquit ille inter alia, nauigatum est, donec compendia inuenit mercator, lucróque India admota est. Quippe omnibus annis nauigatur, sagittariorum cohortibus impositis. Etenim pyratæ maximè infestabant. Nec pigebit totum cursum ab AEgypto exponere, nunc primum certa notitia patescente. Digna res, nullo anno imperij nostri, minus quingenties exhauriente India, & & merces remittente, quæ apud nos centuplicato veneunt. Hæc ille, qui Vespasiani temporibus vixit. Hoc idem testatur quartum volumen legum ciuilium, in quo maris rubri merces, ex quibus maxima olim Romanis portoria persoluebantur Marci & Commodi imperatorum iussu, atque mandato, literis tabulísque diligenter consignatæ leguntur. Præterea gentes illas ijsdem temporibus cùm in primis Sancti Thomæ, atque Bartholomæi Apostolorū, quorum illic adhuc viuit

Æl.l.10.c.13 Plin.l.9.c.34 & l.32.c.35

lib.31.cab.7

vigétque memoria, tum aliorum quoque pietate doctrináque præstantißimorum hominum opera, vera religione institutas atque imbutas fuisse Ecclesiastica historia testis est locupletißima. Atque hic quidem fuit in illo Romani imperij flore, gentiũ illarum status, atque conditio, hæc nauigandi per mare rubrum ad illas gentes trita atque vsitata consuetudo. At verò post Roman. Imperij creberrimis, funestißimísque Barbararũ Gentiũ incursionibus labefactati casumcùm cõmunis quædã teterrimaq; vniuerso orbi, literarum, artium, humanitatis, religionis caligo atque nox fuisset offusa, simul quoque nauigationum, mercimonij, literarum, hospitij communio atque societas cum gentibus illis fuit sublata. Adhæc vera illorum religio, quam à sanctißimis illis Apostolis hauserant in idololatriam, atque superstitiones varias & multiplices vanas, atque futiles paulatim degenerauit, ita vt vix tenuia quædam pristinæ veræq; religionis vestigia ibi remanserint. Nam, qua hodie vulgò vtũtur, religio, sicuti Orientalium nauigationum scriptores, oculatíque testes significant, partim ex Iudaicarum ceremoriarum vmbris, partim ex Gentilium atque Saracenicæ siue Mahumeticæ sectæ tenebris, partim denique ex antiquarum hæreseon diris reliquijs conflata est: ita vt non tam religio, quàm omnium superstitionum colluuies quædam atque sentina dici mereatur. Calecutiensium, quàm dira atque funesta sit, superstitio qui ipsißimũ Diabolum colunt ac venerantur, satis supérque notum est. Nec tamen interea (vt hoc quoque dicam) dubitandum quin misericors Deus in illis densißimis tenebris, atque in illo superstitionum gurgite reliquias quasdã atque semen (vt Sacræ scripturæ verbis vtar) sibi reliquerit, eorum scilicet qui non incuruarunt genu suum ante Baal, hoc est, qui à diris illis atque tristißimis superstitionibus alieni, & immunes, Deum piè sanctéque in spiritu & veritate coluerunt, atque etiamnum hodie colunt. Cùm itaque sicuti dictum est post Romani Imperij obitum interitúmq; mare hoc Erythræũ diutißimè clausum, aditúsque ad regiones illas atque gentes, omnino interclusus & interruptus fuisset, extremis demum hisce nostris temporibus, quibus non modò literæ ac disciplinæ liberales, verùm etiam religio ex diuturnis, quibus sepulta iacuit tenebris in lucem rursus emersit, cùm in primis singulari Dei beneficio, tum clarißimorum Lusitaniæ Regum, vt Henrici, Ioannis Emmanuelis opera effectum est, vt mare hoc rursus patefactum, aßiduis hodie mercatorum nauigationibus magis ferè quàm olim, frequentetur & celebretur, pérque illud omnis generis aromata, thymiamata, plantæ, animalia, gemmæ, margaritæ, aurum, argentum, res denique multæ veteribus ignotæ in Christianum orbẽ importentur. Nam cùm terrestri itinere sine summis difficultatibus, vitæq; discrimine loca illa adiri non possent, nec quisquam ferè reperiretur, qui tam difficilem, periculosámque peregrinationem suscipere auderet, Portugallenses mactè virtutes viri ornatißimis instructißimísque claßibus extrema legentes Affricæ littora per meridiem, & Hesperidum littora, tropicúmque cancri transeuntes, demúmq; per Arabicũ, Persicúmq; sinũ ad Indiæ iuxta Gangem littora, vbi Calecutiũ est, delati sunt. Inde ad Chersonesum aureã, quæ hodie Malaca dicitur, & Taprobanã, hodie Sumatram siue Samotrã dictam peruenerunt. Deniq; per Sinum Magnũ olim appellatũ Sinarũ regionẽ hodie China appellatã præteruecti ad ipsum Iaponis ingentẽ compluribus adiacẽtibus minoribus insulã, Zipangrim ex quorumdam sententia veteribus dictam, in Serico Oceano haud procul à continente sitam

inuicto quodam animi robore penetrarunt. Ad alia autem innumera commoda atque emolumenta, quæ ex hac maris Erythræi, atque illarum nunc patefactione, atq; lustratione in vniuersum Christianum orbem redundarunt, illud quoque accessit ingens sanè commodum, quòd misellæ illæ gentes, quæ multis antehac sæculis in densissimis atque mortiferis superstitionum tenebris immersæ fuerant, nunc veræ, hoc est, Christianæ religionis lucem salutarem ad æternam vitam illis prælucentem aspicere, eáque summo cum animi gaudio frui incipiunt. Deum precemur, vt bonũ quod cœpit in illis opus perficiat, & ad bonũ & ad salutarẽ finem exitúmque perducat. Atque hæc quidem cùm de vniuerso mari, tum de mari Erythræo atque Indico, nõ quidem pro rei ipsius amplitudine ac dignitate, sed ingenij mei tenuitate à me dicta eò spectant, ac pertinent, vt ipse pariter atque alij ad Dei gloriam ac maiestatem debitis meritísque laudibus celebrandum, gratias illi pro tot tantísque beneficijs agendum, denique illum summo cultu atque veneratione prosequendum incitemur. Horum autem ferè omnium cùm egregius sanè testis sit maris Erythræi Periplus, Græcè ante multos annos ab Arriano summo Historico atque Philisopho conscriptus: facile in animum induxi meum, vt illum abhinc aliquot annis Rhamnusii clarissimi, doctissimíque viri versione, atque annotatiunculis Italicis illustratum, in Latinum sermonem conuerterem, scholiísque paulò vberioribus explicarem. Græcum exemplar Basileæ anno M.D.XXXIII. à Frobenio typis excusum, quod mihi [redacted] Volffius ex Gesneri, quam possidet, vberrima bibliotheca depromptum communicauit, multis in locis mancum est, & mutilum, plurimísque mendis deformatum. Itaque vt Rhamnusio, quemadmodum ipsemet conqueritur, ita mihi quoq; vel manuscripti, vel emendatioris alicuius exemplaris, ex quo & lacunas illas supplere & menda corrigere possem, facultas defuit. Nihil tamen prætermisi operæ quò loca quædam corrupta pro ingenij mei tenuitate emendarem. Est enim (vt ille inquit) aliquid prodire tenus, si non datur vltra. Dedi etiam sedulò operam vt & mercium, quarum in hoc periplo fit mentio, nomina explicarem (ex quarum tamen nonnullis me expedire non potui) & locorum, regionum, gentium (quarum Arrianus in hoc suo periplo meminit) vocabula atque descriptiones veterum cum recentibus conferrem, quæ quidem omnia doctiorum me iudicio æquitatíque subijcio. Ac mea quidem sententia hic periplus si accuratiùs, quàm adhuc factum est à doctis examinetur, ad multa loca in veterum geographorum atque medicorum libris illustrandum apprimè conducit, vt cùm ex ipso, tùm hisce meis perexiguis in illum annotatiunculis colligi poterit. Hosce autem meos qualescunque labores, vt tibi potissimũ, Venerande Domine affinis, dedicarem, hæ me iustæ, meo iudicio satis atque idoneæ causæ impulerunt. Prima est egregia tua multis mihi antè annis optimè perspecta, atque cognita literarum & scientia, & amor atque studium. Nam cùm ante aliquot annos eodem tempore, quo tu Lausanensi prouinciæ summa cum laude, ac dignitate præfuisti, ego illic literis operam nauarem, optimè adhuc memini quantum tuum in illa literarum ac literatorum virorum tunc temporis affluentissima Academia lustranda atque tuẽda studium extiterit. Quanta præterea sermonis grauitate cùm præceptores nostros atq; magistros, tum nos quoque discipulos ad diligentiam, officijq; mutui sedulam, assiduámque perfunctionem incitaris, optimè adhuc memini. Atque huius quidem rei,

ornatissimum amicissimúmque virum Io. Serranum testem appello, qui tunc temporis in iisdem illis mecũ vnà Mineruæ castris versabatur, nunc verò singulari quodam Dei consilio eidem illi Scholæ ceu almæ quondam studiorum nostrorum matri atque nutrici quasi ἀντιπελαργῶν diligentissimam fidelissimámque operam nauat. Quàm verò esset optandum Ornatissime affinis, vt illa, qua vales plurimùm copiosè loquente sapiẽtia Amplissimo tuo Senatui persuadere posses, vt ad Lausannensem illã Academiã magis magísque augendã & amplificandã animũ suum appelleret. Magna inde proculdubiò ad vestram gloriam & dignitatem accessio fieret, maximus in vniuersum orbem Christianum, vberrimusq́ fructus redundaret. Nosti enim optimè quãtam omni tempore Christiani Reges & Principes (vt nihil de Ethnicis dicam) multis præclaris scholis vel instituendis, vel ampliandis, atque tuendis & sibimet ipsis gloriam eámque perennem, atq́ perpetuam & Ecclesiæ, Rebusq́ publicis vtilitatẽ pepererint. Atque hanc quidem potissimum ob causam Reges illi atque Principes Ecclesiæ nutricii siue alumni, optimo sanè meritissimoq́ iure fuerunt appellati, quippe cùm ipsæ Scholæ quas fundarunt, Ecclesiarũ, Rerumq́ publicarũ nutriculæ atque alumnæ meritò censeri debeant. Sed hæc forsan ἀπροσδιονύσως, ne tamen id importunè dici videatur, facit commune studium pietatis & eruditionis propagandæ, quod in nemine debet aut potest importunum videri. Itaque vt ad propositum redeam secunda [redacted] tibi potissimum dedicandi causa, mihi fuit affinitas, qua Deus me tibi iunctum esse voluit. Sic enim singulari quadam Dei prouidentia [redacted] minimarum, quàm maximarum rerum moderatrice sapientissima factum est, vt quo de aliquot annis studiorum meorum (sicuti dictum est) rectore ac moderatore sapientissimo, fidelissimoq́ vsus sum, eodem te nunc affine, & quidem amicissimo, fidelissimoq́ affine vtar. Egregia enim iam per aliquot annos me, meosq́ qui illic sunt, humanitate bonitateq́ es prosequutus. Nam & Guilielmus à Stein, & Ioannes ab Erlach honorandi nostri affines, necnon quæ illis nuptæ sunt charissimæ meæ sorores, quantum, quamq́ fidele tuum in illorum honoribus atque commodis omni modo augẽdis, & promouendis studium extiterit, sæpius iam mihi significarunt. Gratum itaque meum erga te animum hoc qualicunque munusculo meo publicè testificari volui. Fateor equidem, id quod res est tuam doctrinam, sapientiam, vitæ dignitatem ac splendorem, singularem denique, qua erga me meósque vsus es beneficentiam, multò maiora & præstantiora requirere, quàm vel hæc sint præsentia vel præstare omnino tibi possim. Verùm te pro singulari tua humanitate summopere rogo & oro, vt non opusculi huiusce mei tenuitatem, sed meum potius illud tibi offerentis animum, tui (ita me Deus benè amet) amore obseruantiáque flagrantissimum spectare, & hoc quantulumcunque est, in bonam partem accipere digneris. Rogo etiam te, vt tuam illã erga me meósque, qui iidem tui sunt, humanitatem ac beneficentiam continuare semper velis. Vale. Deus Opt. Max. te Reipub. tuæ cui natus es, nobisq́ omnibus quàm diutissimè saluum incolumémque conseruet. Datum Tiguri Calendis Martiis. M.D. LXXVII.

Tui obseruantiss.

IO. GVILIELMVS STVCKIVS.

CATALOGVS AVTHORVM QVI
in huius Peripli explicatione citantur.

Antiqui sunt.

Herodotus
Plato
Aristoteles
Cicero
Diodorus Siculus
Strabo
Plinius
Mela
Solinus
Ælianus
Ptolomæus
Stephanus
Apollonius
Gellius
Virgilius
Homerus
Hippocrates
Theophrastus
Galenus
Serapio
Auicenna
Dioscorides
Arrianus de rebus
gestis Alexandri
Arnobius
Q. Curtius
Pollux
Phauorinus

Hesychius
Procopius
Eusebius
Nicephorus Calli-
R. Ioseph (stus
R. Agen
R. Dauid Kimchi
R. Abenezra
R. Beniamin Tur-
(delensis
Dionysius Alexan-
(drinus
Agatarchides de
(mari rubro
Ionatan
Ctesias de Indicis
Basilius
Epiphanius
Tertullianus
Lactantius
Hieronymus
Ambrosius
Am. Marcellinus
Plutarchus de flu-
(minibus
Dionysius Afer
Martianus
Propertius

Recentes.

Emmanuel Rex
(Portugalliæ
Ioan. Leo Affrica-
(nus
Aloysius Cadamu-
(stus, Venetus
Vascus Gama, Lusi-
(tanus
Petrus Aluarus Lu.
Thomas Lopezus
(Lusit.
Ioann. Empoli Flo-
(rentinus
Ludouicus Varto-
(manus Boloniẽsis
Andreas Corsalius
(Florentinus
Franciscus Aluare-
(zus Lusitanus
Comitus Venetus
Odoardus Barbosa
(Lusit.
Nicolaus Contius
(Venetus
Hieronymus S. Ste-
(phani Genouensis
Maximilianus Trã-
(syluanus
Ioan. Barrosus Lusi-
(tanus
Ioan. Gaetanus Ca-
(stilonæus
Hier. Osorius Lusi-
(tanus
M. Antonius Pi-
(gafeta Vincẽtinus
Ioannes Baptista
(Rhamnusius
Scaliger }
Belleforestus } Galli.
Bellonius }

Garcias ab Horto
(Lusit.
Andreas Theuetus
Franciscus Rueus
(insulanus
Mathiolus
Amatus Lusitanus
Brasauolus
Martyr de Indijs
(Occid.
P. Martyr [redacted]
Dominicus Marius
(Niger Venetus
Gesnerus
Simlerus
Gerardus Mercat.
Iacob. Castaldus
Abr. Ortelius
Alph. Adrianus
Bayfius
Anthonius Thyle-
Consentinus (sius
Math. Beroaldus
Commentarius re-
(rum Indicarum
Summarium Oriẽ-
(tale.
M. Paulus Venetus
Io. Langius Lẽber-
(gius
Cœlius Rhodigin.
Calcaguinus
Gyllius
Picus Mirandula
Georgius Fabricius
Anton. Thylesius
Rombertus Cæna-
Lazius (lis
Leuinus Lemnius

ΕἸΣ ΤῸΝ ΤΟΥ͂ ἈῤῬΙΑΝΟΥ͂

περίπλουν τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης λατινιστὶ μεθερ-
[redacted] μηνευθέντα, καὶ ἐξηγηθέντα ὑπὸ Γυ-
λιέλμου τοῦ Στουκίου.

Δῖε Λαερτιάδη, σὺ μὲν ἤδη πολλὰ πεπονθὼς
ἄλγεα, καὶ καμάτους, κύμασι, καὶ πολέμῳ,
Αἰπὺ πολυτροπίης κλέος ἤραο, ἄμμε δ' ἕκηλοι
Δώμασ' ἕκαστος ἑοῖς νῦν τὰ διδασκόμεθα:
Ἀντολαὶ ἠελίοιο, μυχοί θ' ἁλὸς οἷοι ἐρυθρᾶς.
Ἤθεα παντοδαπῶν θ' οἷα πέλει μερόπων.
Ὅσσα τ' ἐπηετανὸν φορέει πολυδαίδαλος αἶα
Ἐς βίον ἀνθρώποις ἐσθλὰ πολυσπερέσιν
Ἀῤῥιανὸς τάδ' ἔγραψε διακριδὸν ἑλλάδι φωνῇ,
Βάσκανος ἀλλὰ χρόνος ξύμφυρ' ἀεὶ κηλίσας.
Νῦν δ' ἱερὸς μουσῶν θεράπων μάλα πολλὸν ἱδρώσας,
Στούκιος ἀνταπέδω τὴν πάρος ἀγλαΐην.
Πάντα μεθαρμόσσας κατὰ κόσμον γ' αὔσονι γλώττῃ
Εὐφραδίης, πολλῶν ἔμπλεα καὶ χαρίτων.
Ἑλλὰς ὦ αὐσονίη τε. τίς οὖν χάρις ἄξια τοῖον
Φῶτα μένει χαλεπῶν ἀντὶ τόσων ἀέθλων,

Φραγκίσκου Πόρτου τοῦ Κρητός.


PONTVS EVXINVS
MAR MAGGIOR
MAEOTIS PALVS
SEPTENTRIO
MERIDIES
PODOLIA
TARTACOSIA
MOLDAVIA
DANVBIVS FL
TAVRICA
CHERSONESVS
CORAX MONS
COPA FL.
RHOMBITES FL
CINCOPA
MAPETA
ZENONIS CHERSONESVS
BOSPHORVS CIMMERIVS
ACHÆI
HERMONASA
ZYGY
PHASIS
ARIETIS FRONS PROMONT
THRACIA
BYZANTI
CALCEDON
PROPONTIS
NICOME
HELESPONT
MARE AEGEVM
MYSIA
EPICTETVS
GALATIA
PAPHLAGONIA
OLGASIS MONS
HERACLEA
PONTVS
ARMENIA MINOR.PARS
CAPPADOCIA
TRAPEZVS
SYRFIA
VARNA
APOLLONIA
SALMIDISS
AMASTRIS
CARAMBIS
ZAGORA
IVLIOPOLIS
OTROAS

ΑΡΡΙΑΝΟΥ ΕΠΙΣΤΟΛΗ
ΠΡΟΣ ἈΔΡΙΑΝΟΝ ἘΝ Ἧι ΚΑΙ
περίπλους Εὐξείνου Πόντου.

EPISTOLA ARRIANI AD
ADRIANUM, IN QUA PONTI EU-xini periplus, hoc eſt, itinerum, regionum, gentium, oppidorum, portuum, promontoriorum, fluminum, &c. quæ Pontum Euxinum circumquaque attingunt, atque ambiunt, deſcriptio continetur.

Αὐτοκράτορι Καίσαρι Τραϊανῷ Ἀδριανῷ σεβαστῷ, Ἀρριανὸς χαίρειν.

Arrianus Adriano Traiano Imperatori, Cæſari Auguſto. S.

Εἰς τραπεζοῦντα ἥκομεν πόλιν ἑλληνίδα, ὡς λέγει ὁ ξενοφῶν ἐκεῖνος, ἐπὶ θαλάττῃ ᾠκισμένην, σινωπέων ἄποικον. καὶ τὴν μὲν θάλασσαν τὴν τοῦ εὐξείνου, ἄσμενοι κατείδομεν, ὅθεν περ καὶ ξενοφῶν, καὶ σύ. καὶ οἱ βωμοὶ ἀνεστᾶσιν ἤδη, λίθου μέντοι γε τοῦ τραχέος. καὶ τὰ γράμματα διὰ τοῦτο, οὐκ εὔδηλα κεχάρακται. τὸ δὲ ἑλληνικὸν ἐπίγραμμα, καὶ ἡμαρτημένως γέγραπται, οἷα δὴ ὑπὸ βαρβάρων γραφέν. ἔγνωκα οὖν τούς τε βωμοὺς, λίθου λευκοῦ ἀναθεῖναι, καὶ τὰ ἐπιγράμματα ἐγχαράξαι, εὐσήμοις τοῖς γράμμασιν ὁ μὲν γὰρ ἀνδριὰς ἕστηκεν ὁ σὸς, τῷ μὲν σχήματι, ἡδέως. ἀποδείκνυσι γὰρ τὴν θάλατταν. τὴν δὲ ἐργασίαν, οὔτε ὅμοιός σοι, οὔτε ἄλλως καλός. ὥς τε πέμψον ἀνδριάντα, ἄξιον ἐπονομάζεσθαι σὸν, ἐν τῷ αὐτῷ τούτῳ σχήματι. τὸ γὰρ χωρίον, ἐπιτηδειότατον εἰς μνήμην αἰώνιον. πεποίηται δὲ καὶ ὁ νεὼς, λίθου τετραγώνου, οὐ φαῦλος. ἀλλὰ τὸ τοῦ ἑρμοῦ ἄγαλμα, οὔτε τοῦ νεὼ ἄξιόν ἐστιν, οὔτε αὐτοῦ τοῦ χωρίου. εἰ δέ σοι δοκεῖ, πέμψον μοι πεντάπουν μάλιστα ἑρμοῦ ἄγαλμα. τηλικοῦτον γάρ

Trapezuntem peruenimus, vrbem, vt Xenophon ille inquit, Græcam, in mari ſitam, Sinopenſium coloniam. Ac ipſum quidem mare Euxinum ſumma cũ voluptate colluſtrauimus eodem ex loco, vnde Xenophon quoque, & tu illud olim fuiſtis contemplati. Stántque ibi adhuc aræ erectæ quanquam ex aſpero ac impolito lapide, quô fit vt literæ illis inciſæ minus ſint notæ atque illuſtres. Ipſum quoq; epigramma Græcum vt à barbaris, mendoſè vitioſéq; inſcriptum cernitur. Statui igitur & aras albo lapide dedicare, ipſáque epigrammata perſpicuis atque illuſtribus literarum notis inſculpere. Nam tua ſtatua, quæ ibi poſita eſt, forma quidem atq; figura admodum bella eſt, manu ſiquidem extẽſa mare demõſtrat, at verò ipſo opere atq; artificio nec tui eſt ſimilis, neque aliâs multùm elegãs. Quamobrẽ aliã fac mittas ſtatuã, nominis tui inſcriptione dignã, quæ quidem cõſimili ſit habitu, atq; forma, regio enim hæc ad memoriæ æternitatẽ per quàm eſt accõmodata. Fanũ quoq; ibi eſt affabrè admodũ artificioſéq; ex quadrato lapide conſtructũ: at Mercurij ſimulachrũ neq; fanum, neq; locum illum decet. Quocirca ſi ita tibi videatur, aliud mihi Mercurii ſimulachrũ mittas, quod quidẽ quinq; ſit ad ſummũ pedũ, tãtę enim magni-

Trapezus.

Euxini maris contemplatio iucunda.

Aræ.

Adriani ſtatua.

Fanum. Simulachrum Mercurij.

tudinis videtur mihi fano illi proportione aptum fore, atq; cõueniens, atq; etiã aliud Philesii, quod quatuor sit pedum. Haud enim mihi à ratione videtur alienũ, hunc eiusdẽ cum progenitore suo aræ, templíque societate cõiungi. Sic enim fiet vt dũ alius quidẽ Mercurio, alius Philesio, alius vtrisq; sacra faciet, hi pariter atq; illi & Mercurio & Philesio simul gratificentur: Mercurio quidẽ, dum illius nepotẽ atq; prolẽ, Philesio autẽ, dum illius progenitorẽ honore, cultúq; prosequũtur. Quãobrem ipse quoque bouem illic immolaui, nõ quidem, vt Xenophõ olim ad Calpes portũ fecit, boue ex plaustro arrepto hostiarum penuria, sed ipsis potius Trapezuntinis magnificã splẽdidámq; hostiã adornantibus. Ibidẽ quoq; extis inspiciẽdis atq; consulendis, necnon viscerationibus, atq; libationibus operã nauauimus. Pro quo autẽ primo omniũ vota sint à nobis nuncupata, nequaquã te latet, cui & mos consuetudóq; nostra probè est cognita, quíque tibimetipsi optimè es conscius, te dignũ esse, pro cuius salute omnes etiã qui minoribus quàm ego, beneficiis à te sunt affecti, vota faciant. Ex Trapezunte autẽ cùm soluissemus primo quidẽ die in Hyssi portũ appulimus, ac pedites qui ibi sunt, exerceri curauimus. Est enim quẽadmodũ nosti, peditũ illic cohors collocata: sunt etiam equites viginti, quos & ipsos hastis eiaculãdis, atq; vibrandis exerceri fecimus. Inde nauigauimus primò quidẽ auris simul, quę matutino tẽpore è fluminibus spirãt, simul etiã remigio vsi. Frigidæ enim sunt aurę illę, vt Homerus inquit, minus tamẽ ad celerẽ nauigationis cursũ cõficiẽdũ aptę atq; idoneæ. Deinde trãquillitas fuit subsecuta, ita vt remigio tantùm, vsi simus. Hinc nubes derepẽtè exorta in Eurũ potissimũ erupit, ventúmq; violentũ, nobísque planè aduersum excitauit, id quod tantùm nõ exitii nobis causa extitit. Mare siquidẽ paulatim fecit intumescere, ita vt magna vis aquarũ non ex ea tãtum parte, vbi remi sunt, verùm etiã ex superiore quę inter puppim remósq; interiacet, in naues passim irruperit. Res planè tragica atq; horrenda fuit. hinc quidem aquas nobis exantlantibus, illinc verò iisdem affatim copiosè in naues influentibus. Sed quia non transuersi erant fluctus, hinc vix atque ægrè tandem remorum vi atque cõtentione, eluctati, plurimísque laboribus perfuncti

Philesius. Bouis sacrificiũ. Exta. Viscerationes. Libationes. Vota. Hyssi portus. Peditum cohors. Exercitationes militares. Auræ matutinæ è fluminibus exhalantes. Tempestatis periculosæ descriptio. Eurus.

μοι δοκεῖ ἔσεσθαι, ὥς γε πρὸς τὸν νεὼν σύμμετρον. καὶ ἄλλο τοῦ Φιλησίου, τετράπουν. οὐ γὰρ ἀπὸ τρόπου, δοκεῖ μοι σύνναος καὶ σύμβωμος ἔσεσθαι τῷ προπάτορι. καὶ ὁ μέν τις τῷ Ἑρμῇ, ὁ δὲ τῷ Φιλησίῳ, ὁ δὲ καὶ ἀμφοῖν, θύσει παριών. χαριοῦνται δὲ καὶ οὗτοι κἀκεῖνοι, τῷ τε Ἑρμῇ, καὶ τῷ Φιλησίῳ. τῷ μὲν Ἑρμῇ, ὅτι τὸν ἔγγονον αὐτοῦ τιμῶσιν. τῷ δὲ Φιλησίῳ, ὅτι τὸν αὐτοῦ προπάτορα. ὥς ἔγωγε, καὶ ἐβουθύτησα ἐνταῦθα. οὐχ ὥσπερ ὁ Ξενοφῶν ἐν Κάλπης λιμένι, ὑφ' ἁμάξης βοῦν λαβὼν, δι' ἀπορίαν ἱερείων, ἀλλὰ τῶν Τραπεζουντίων αὐτῶν, παρασκευασάντων ἱερεῖον, οὐκ ἀγεννές. καὶ ἐσπλαγχνευσάμεθα αὐτόθι, καὶ ἐπὶ τοῖς σπλάγχνοις ἐπεσπείσαμεν. ὅτῳ δὲ πρώτῳ τἀγαθὰ ηὐχόμεθα, οὐ λανθάνομέν σε, τόν τε τρόπον τὸν ἡμέτερον οὐκ ἀγνοοῦντα, καὶ σαυτῷ συνειδότα, ὅτι ἄξιος εἶ ὑπὲρ ὅτου πάντες εὔξαιντο τἀγαθὰ, καὶ ὅσοι ἡμῶν ἔλαττον ὑπὸ σοῦ εὖ πεπόνθασιν. ἐκ Τραπεζοῦντος δὲ ὁρμηθέντες, τῇ μὲν πρώτῃ, εἰς Ὕσσου λιμένα κατήραμεν, καὶ τοὺς πεζοὺς τοὺς ταύτῃ ἐγυμνάσαμεν. ἡ γὰρ τάξις αὕτη ὡς οἶσθα, πεζῶν ἐστιν. καὶ ἱππέας εἴκοσιν, ὅσον εἰς διακονίαν ἔχει. ἀλλὰ καὶ τούτους, τὰς λόγχας ἀκοντίσαι ἐδέησεν. ἐνθένδε ἐπλέομεν, τὰ μὲν πρῶτα ταῖς αὔραις ταῖς ἐκ τῶν ποταμῶν πνεούσαις ἕωθεν, καὶ ἅμα ταῖς κώπαις διαχρώμενοι. ψυχραὶ μὲν γὰρ ἦσαν αἱ αὖραι, ὡς λέγει καὶ Ὅμηρος. οὐχ ἱκαναὶ δὲ, τοῖς ταχυναυτεῖν βουλομένοις. εἶτα, γαλήνη ἐπέλαβεν, ὥς τε καὶ ἡμεῖς τῇ εἰρεσίᾳ μόνῃ ἐχρώμεθα. ἔπειτα δὲ ἄφνω νεφέλη ἐπαναστᾶσα, ἐξεῤῥάγη κατ' εὖρον μάλιστα, καὶ ἐπήνεγκεν πνεῦμα ἐξαίσιον, καὶ τοῦτο ἀκριβῶς ἐναντίον, ὅπερ καὶ μόνον ὤνησεν ἡμᾶς. κοίλην μὲν γὰρ δι' ὀλίγου τὴν θάλατταν ἐποίησεν, ὡς μὴ κατὰ τὰς κώπας μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ τὰς παρεξειρεσίας ἐπεισρεῖν ἡμῖν ἑκατέρωθεν ἀφθόνως τοῦ ὕδατος, τοῦτο δὴ τὸ τραγικόν: καὶ τὴν μὲν ἐξηντλοῦμεν, ἡ δ' ἐπεισέρρει. ἀλλ' οὐ πλάγιόν γε ἦν τὸ κλυδώνιον. ταύτῃ καὶ ἠνύτομεν μόγις καὶ χαλεπῶς τῇ εἰρεσίᾳ. καὶ μέντοι πολλὰ παθόντες, ἥκομεν εἰς τὰς

Athenas

ἀθήνας. ἔστιν γάρ τοι καὶ ἐν πόντῳ εὐξείνῳ, χωρίον οὕτω καλούμενον. καὶ ἀθηνᾶς ἱερόν ἐστιν αὐτόθι ἑλληνικόν, ὅθεν μοι δοκεῖ καὶ τὸ ὄνομα εἶναι τοῦτο τῷ χωρίῳ. καὶ φρούριόν τι ἐστὶν ἠμελημένον. ὁ δὲ ὅρμος, οἷος ὥρᾳ ἔτους δέχεσθαι οὐ πολλὰς ναῦς, καὶ σκέπην ταύταις παρέχειν ἀπὸ νότου ἀνέμου, καὶ αὐτοῦ τοῦ εὔρου. σώζοιτο δ' ἂν καὶ ἀπὸ τοῦ βορρᾶ, τὰ ὁρμοῦντα πλοῖα. ἀλλὰ οὐ τοῦ γε ἀπαρκτίου. οὐδὲ τοῦ θρασκίου μὲν ἐν τῷ πόντῳ, σκίρωνος δὲ ἐν τῇ ἑλλάδι καλουμένου. εἰς δὲ τὴν νύκτα, βρονταί τε σκληραὶ καὶ ἀστραπαὶ κατεῖχον. καὶ πνεῦμα οὐ τὸ αὐτὸ ἔτι, ἀλλὰ εἰς νότον μεθειστήκει. καὶ δι' ὀλίγου ἀπὸ τοῦ νότου, εἰς λίβα ἄνεμον. καὶ ταῖς ναυσὶν, οὐκ ἔτι ἀσφαλὴς ὁ ὅρμος ἦν. πρὶν οὖν παντάπασιν ἀγριωθῆναι τὴν θάλασσαν, ὅσας μὲν αὐτὸ τὸ χωρίον αἱ ἀθῆναι δέξασθαι ἠδύναντο, ταύτας αὐτοῦ ἀνεωλκήσαμεν, πλὴν τῆς τριήρους, αὕτη γὰρ πέτρᾳ τινὶ ὑφορμοῦσα, ἀσφαλῶς ἐσάλευεν. τὰς δὲ πολλὰς, ἐδόκει πέμπειν εἰς τοὺς αἰγιαλοὺς τοὺς πλησίον νεωλκηθησομένας. καὶ ἀνεωλκήθησαν, ὥς τε ἀπαθεῖς διαγενέσθαι πάσας, πλὴν μιᾶς. ἥν τινα ἐν τῷ ὁρμίζεσθαι, περὶ τοῦ καιροῦ ἐπιστρέψασαν πλαγίαν, ὑπολαβὸν τὸ κῦμα, ἐξήνεγκεν εἰς τὴν ἠιόνα καὶ συνέτριψεν. ἀπεσώθη μέν τοι πάντα. οὐ τὰ ἱστία μόνον καὶ τὰ σκεύη τὰ ναυτικὰ καὶ οἱ ἄνθρωποι, ἀλλὰ καὶ οἱ ἧλοι καὶ ὁ κηρὸς ἀπεξύσθη, ὡς μηδενὸς ἄλλου, ἢ ξύλων δεῖσθαι ναυπηγησίμων εἰς τὴν κατασκευήν. ὧν παμπόλλη (ὡς οἶσθα) ἀφθονία ἐστὶν, κατὰ τὸν πόντον. ἐπεὶ δὲ ὁ χειμὼν ἐπὶ δύο ἡμέρας κατεῖχεν, καὶ ἦν ἀνάγκη μένειν. ἐχρῆν γὰρ ἄρα μηδὲ τὰς ἐν τῷ πόντῳ ἀθήνας, παραπλεῦσαι ἡμᾶς, ὥσπερ τινὰ ὅρμον ἔρημον καὶ ἀνώνυμον. ἐνθένδε ἄραντες ὑπὸ μὲν τὴν ἕω, πλαγίου τοῦ κλύδωνος ἐπειρώμεθα. περιϊούσης δὲ τῆς ἡμέρας βορρᾶς ἐπιπνεύσας ὀλίγος, κατέστησε τὴν θάλατταν, καὶ διατρεμῆσαι ἐποίησεν. καὶ ἤλθομεν περὶ τῆς μεσημβρίας, σταδίους πλείονας ἢ πεντακοσίους εἰς ἄψαρον, ἵνα περ αἱ πέντε σπεῖραι εἰσὶν ἱδρυμέναι. καὶ τὴν μισθοφορὰν τῇ στρατιᾷ ἔδωκα. καὶ τὰ ὅπλα εἶδον, καὶ τὸ τεῖχος, καὶ τὴν τάφρον, καὶ τοὺς κάμνοντας, καὶ τοῦ σίτου τὴν παρασκευὴν τὴν ἐνοῦσαν. ἥν τινα δὲ ὑπὲρ αὐτῶν τὴν

Athenas peruenimus. Eſt enim in Ponto quoque Euxino locus ſic dictus, vbi Mineruæ eſt fanum, Græco modo ædificatum, à quo vniuerſus ille locus nomen hoc videtur accepiſſe. Illic caſtellum quoque eſt deſertum, ac pro derelicto habitum, necnon portus haudquaquam pro anni tempore multarum nauium capax, qui tamen eas à Noti, ipſiúſque Euri vi ac impetu facile protegat atque tueatur. Fuerint etiam naues eò appellentes à Borea tutæ, at non ab Aparctia, neque eo vento, qui in Ponto Thraſcias, in Græcia Sciron appellatur. Sub noctem tonitrua dira, atque fulgura mari incubuere, nec ventus amplius idem, ſed in Notum, ac paulatim ex Noto in Affricum fuit conuerſus, nec amplius nauibus fidus atque tutus portus extitit. Itaque priuſquam mare magis efferueſceret, quaſcunque Athenæ naues capere potuerunt, eò ſubduximus, præter vnam triremem quæ cùm ſub petram quandam appuliſſet in tuto verſabatur. Pleráſque verò in vicina littora miſimus ſubducendas, quę quidem omnes ſaluæ, incoluméſque euaſerunt, vna excepta, quæ dum appellebat fluctu ante tempus tranſuerſa excepta, ac in littus protruſa, afflicta atque contrita fuit. Omnia tamen ſalua euaſerunt, non tantum vela, inſtrumenta nautica, atque homines, verùm etiam claui atque cera, ita vt nihil præter ligna deſideretur, quorum, quæ quidem nauibus ſint fabricandis apta, magnam ſcis in Ponto eſſe copiam. Hæc autem tempeſtas per biduum durauit, ita vt neceſſariò nobis illic fuerit manendum. Nec etiam videbatur eſſe conueniens Athenas nec etiam in Pōto Euxino ſitas ceu portum quendam deſertum, obſcurum atque ignobilem præternauigare. Inde cùm ſub auroram ſoluiſſemus tranſuerſis vſi fluctibus mare tentauimus. Procedente autem die Boreas leniter ſpirans mare quietum ac tranquillum reddidit: & quidem ante meridiem confectis pluſquàm quingentis ſtadiis Apſarũ peruenimus, vbi quinque cohortes commorãtur. Stipendia itaq; militibus perſoluimus, necnon arma, murũ, foſſam, ęgrotos, rei frumẽtariæ apparatũ inſpeximus. De quibus omnibus quæ

Athenæ Pontica.
Mineruæ fanum.
Boreas.
Aparctias.
Thraſcias, ſiue Sciron.
Triremis vnius naufragium.
Lignorum nauticorum in Ponto copia.
Boreas.
Apſarus.
Cohortes quinque.

Apsarus olim dictus Apsyrtus. *Apsyrti mors, sepulchrum.* *Tyana vrbs Cappadociæ.* *Thoas rex Taurorum.* *Fluuiorum catalogus.* *Hyssus & fluu. & portus.* *Ophis.* *Thiannica.* *Psychrus fl.* *Calus fl.* *Rhizius fl.* *Ascurus fl.* *Adienus.* *Athenæ.* *Zagatis.* *Prytanis.* *Anchiali regia.* *Pyxites.* *Archabis.* *Apsarus.* *Acampsis.* *Bathys.* *Acinasis.* *Isis.* *Mogrus.* *Phasis.* *Phasidis descriptio.*

mea sit opinio, Latinis literis perscriptum est. Apsarum autem regionem Apsyrtum olim aiunt fuisse appellatum ab Apsyrto ibi à Medea occiso, cuius ibidem sepulchrum monstratur, nomine postea, sicuti in multis aliis fieri consueuit, à barbaris corrupto. Sic enim Tyana quoque vrbs Cappadociæ olim Thoana fuit appellata, à Thoante rege Taurorum, qui in Oreste atque Pylade persequendis ad illum vsque locum peruenisse, ibique mortuus fuisse fertur. Fluuii autem, quos post nostrum à Trapezunte discessum, prædernauigauimus, hi sunt. Hyssus, vnde ipse quoque portus fuit cognominatus, qui à Trapezunte distat centum & octoginta stadia. Ophis, qui ab Hysso portu ad summum abest nonaginta stadia. Colchorúmque regionem à Thiannica separat. Psychrus (*hoc est, Frigidus*) ab Ophi distans circiter triginta stadia. Calus, hoc est, Pulcher à Psychro distans similiter triginta stadia. Psychro autẽ vicinus est Rhizius à Calo (*siue Pulchro*) abest centũ viginti stadia. Ab hoc triginta stadia Ascurus alter fluuius. Ab Ascuro Adienus sexaginta. Inde Athenas vsque sunt centum & octoginta stadia. Athenis septem ad summum stadiorũ interuallo finitimus est Zagatis. Athenis autẽ quum soluissemus Prytanim prætervecti sumus, vbi Anchiali est regia, qui ab Athenis quadraginta stadia abest. Prytani finitimus est Pyxites nonaginta stadiorum spatio interposito. A Pyxite ad Archabin similiter sunt nonaginta stadia. Ab Archabi ad Apsarum sexaginta stadia. Ab Apsaro quum noctu soluissemus Acampsin circiter quindecim stadia ab Apsaro distantem, præteriuimus. Ab Acampsi Bathys (*hoc est, Profundus*) septuagintaquinque: à Bathy Acinasis nonaginta: ab Acinasi Isis similiter nonaginta stadia abest. Acampsis autem atque Isis fluuii sunt nauigabiles, qui matutino tempore validas admodum auras emittunt. Ab Isi Mogrum, qui & ipse est nauigabilis, præteruecti sumus, inter quos duos fluuios nonaginta stadia intersunt. Inde Phasim sumus ingressi, qui nonaginta stadia à Mogro abest. Fluuii huius aqua præter cæteros, qui mihi quidem

γνώμην ἔσχον, ἐν τοῖς ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν γέγραπται. ὁ δὲ ἄψαρος τὸ χωρίον, λέγουσιν ὅτι ἄψυρτος ἐκαλεῖτο πάλαι ποτέ. ἐνταῦθα γὰρ τὸν ἄψυρτον ὑπὸ τῆς μηδείας ἀποθανεῖν. καὶ τάφος ἀψύρτου δείκνυται. ἔπειτα διαφθαρῆναι τὸ ὄνομα ὑπὸ τῶν περιοίκων βαρβάρων, καθάπερ καὶ ἄλλα πολλὰ διέφθαρται. ὁπότε καὶ τὰ τύανα τὰ ἐν τοῖς καππαδόκαις, θόανα λέγουσιν ὅτι οὕτως ὠνομάζετο, ἐπὶ θόαντι τῷ βασιλεῖ τῶν ταύρων. ὃς τοὺς ἀμφὶ ὀρέστην καὶ πυλάδην διώκων, ἄχρι τῆς δε τῆς χώρας ἐλθεῖν φημίζεται, καὶ ἐνταῦθα νόσῳ ἀποθανεῖν. ποταμοὺς δὲ παρημείψαμεν ἐν τῷ παράπλῳ τῷ ἀπὸ τραπεζοῦντος, τόν τε ὕσσον, ὅτου ἐπώνυμος ὕσσου λιμὴν, ὃς ἀπέχει τραπεζοῦντος σταδίους ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ τὸν ὄφιν, ὃς ἀπέχει ὕσσου λιμένος, ἐς ἐνενήκοντα σταδίους μάλιστα, καὶ ὁρίζει τὴν κόλχων χώραν ἀπὸ τῆς θιαννικῆς. ἔπειτα τὸν ψυχρὸν καλούμενον ποταμὸν, διέχοντα ὅσον τριάκοντα σταδίους ἀπὸ τοῦ ὄφεως. ἔπειτα, τὸν καλὸν ποταμόν. καὶ οὗτος τριάκοντα διέχει ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ. ἐχόμενος δὲ τοῦ ψυχροῦ ἐστιν ὁ ῥίζιος ποταμὸς, ἑκατὸν εἴκοσι στάδια διέχων ἀπὸ τοῦ καλοῦ. καὶ ἀπὸ τούτου, τριάκοντα ἄσκουρος ἄλλος ποταμός. καὶ ἀδίηνός τις ἀπὸ τοῦ ἀσκούρου, ἑξήκοντα. ἐνθένδε εἰς ἀθήνας, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. ταῖς δὲ ἀθήναις, ζάγατις ποταμὸς ἑπτὰ μάλιστα στάδια ἀπ' αὐτῶν διέχων προσοικεῖται. ἀπὸ δὲ τῶν ἀθηνῶν ὁρμηθέντες, τὸν πρύτανιν παρημείψαμεν, ἵνα περ καὶ τὰ ἀγχιάλου βασίλειά ἐστιν. καὶ οὗτος ἀπέχει τεσσαράκοντα στάδια ἀπὸ τῶν ἀθηνῶν. τοῦ πρυτάνεως δὲ ἔχεται, ὁ πυξίτης ποταμός. στάδιοι ἐνενήκοντα, ἐν μέσῳ ἀμφοῖν. καὶ ἀπὸ τοῦ πυξίτου ἐς ἄρχαβιν, ἄλλοι ἐνενήκοντα. ἀπὸ δὲ ἀρχάβιος εἰς ἄψαρον, ἑξήκοντα. ἀπὸ δὲ ἀψάρου ἄραντες, τὸν ἄκαμψιν παρημείψαμεν νύκτωρ, ἐπὶ πεντεκαίδεκα σταδίους ἀπέχοντα τοῦ ἀψάρου. ὁ δὲ βαθὺς ποταμὸς ἑβδομήκοντα καὶ πέντε ἀπέχει τούτου, καὶ ὁ ἀκίνασις ἀπὸ τοῦ βαθέος, ἐνενήκοντα. ἐνενήκοντα δὲ καὶ ἀπὸ ἀκινάσου, ὁ ἶσις. ναυσίποροι δὲ εἰσὶν ὅ τε ἄκαμψις καὶ ὁ ἶσις, καὶ αὔρας τὰς ἑωθινὰς ἰσχυρὰς ἐκπέμπουσιν. ἀπὸ δὲ ἴσιος, τὸν μῶγρον παρημείψαμεν. ἐνενήκοντα στάδιοι μεταξὺ τοῦ μώγρου εἰσὶν, καὶ τοῦ ἴσιος. καὶ οὗτος, ναυσίπορος. ἐνθένδε εἰς τὸν φᾶσιν εἰσεπλεύσαμεν, ἐνενήκοντα τοῦ μώγρου διέχοντα. ποταμῶν ὧν ἐγὼ ἔγνων, κουφότατον ὕδωρ παρεχό-

παρεχόμενον, καὶ τὴν χροιὰν μάλιστα ἐξηλλαγμένον. τὴν μὲν γὰρ κουφότητα, τῷ τε σταθμῷ τεκμήραιτο ἄν τις. καὶ περὶ τούτου, ὅτι ἐπέπλει τῇ θαλάσσῃ, οὐχὶ δὲ συμμίγνυται. καθάπερ τῷ πηνειῷ τὸν τιταρήσιον λέγει ἐπιρρεῖν ὅμηρος καθ' ὕπερθεν ἠΰτ' ἔλαιον. καὶ ἦν, κατὰ μὲν τοῦ ἐπιρρέοντος βάψαντα, γλυκὺ τὸ ὕδωρ ἀνιμήσασθαι. εἰ δὲ εἰς βάθος τις καθῆκεν τὴν κάλπιν, ἁλμυρόν. καίτοι ὁ πᾶς πόντος, πολύ τι γλυκυτέρου τοῦ ὕδατός ἐστιν, ἤπερ ἡ ἔξω θάλασσα. καὶ τούτου τὸ αἴτιον, οἱ ποταμοί εἰσιν, οὔτε πλῆθος οὔτε μέγεθος σταθμητοὶ ὄντες. τεκμήριον δὲ τῆς γλυκύτητος, εἰ τεκμηρίων δεῖ ἐπὶ τοῖς αἰσθήσει φαινομένοις, ὅτι πάντα τὰ βοσκήματα οἱ προσοικοῦντες τῇ θαλάσσῃ, ἐπὶ τὴν θάλασσαν κατάγουσιν καὶ ἀπ' αὐτῆς ποτίζουσιν. τὰ δὲ, πίνοντά τε ἡδέως ὁρᾶται, καὶ λόγος κατέχει ὅτι καὶ ὠφέλιμον αὐτοῖς τοῦτο τὸ ποτόν ἐστιν τοῦ γλυκέος μᾶλλον. ἡ δὲ χρόα τοῦ φάσιδι, οἵα ἀπὸ μολίβδου ἢ καττιτέρου βεβαμμένου τοῦ ὕδατος: καταστὰν δὲ καθαρώτατον γίγνεται. οὐ τοίνυν νενόμισται εἰσκομίσαι ὕδωρ εἰς τὸν φᾶσιν τοὺς εἰσπλέοντας. ἀλλ' ἐπειδ' ἂν εἰσβαίνωσιν ἤδη εἰς τὸν ῥοῦν, παραγγέλλεται πᾶν ἐκχέαι τὸ ἐνὸν ὕδωρ ἐν ταῖς ναυσίν. εἰ δὲ μὴ, λόγος κατέχει ὅτι οἱ τούτου ἀμελήσαντες, οὐκ εὐπλοοῦσιν. τὸ δὲ ὕδωρ τοῦ φάσιδος οὐ σήπεται, ἀλλὰ μένει ἀκραιφνὲς καὶ ὑπὲρ δέκατον ἔτος. πλήν γε δὴ, ὅτι εἰς τὸ γλυκύτερον μεταβάλλει. εἰσβαλλόντων δὲ εἰς τὸν φᾶσιν, ἐν ἀριστερᾷ ἵδρυται ἡ φασιανὴ θεός. εἴη δ' ἂν ἀπό γε τοῦ σχήματος τεκμαιρομένῳ, ἡ ῥέα. καὶ γὰρ κύμβαλον μετὰ χεῖρας ἔχει. καὶ λέοντας ὑπὸ τῷ θρόνῳ. καὶ κάθηται, ὥσπερ ἐν τῷ μητρῴῳ ἀθήνησιν, ἡ τοῦ φειδίου. ἐνταῦθα, καὶ ἡ ἄγκυρα δείκνυται τῆς ἀργοῦς. καὶ ἡ μὲν σιδηρᾶ, οὐκ ἔδοξέ μοι εἶναι παλαιά. καίτοι τὸ μέγεθος, οὐ κατὰ τὰς νῦν ἀγκύρας ἐστὶν, καὶ τὸ σχῆμα ἁμηγέπη ἐξηλλαγμένη. ἀλλὰ νεωτέρα μοι ἐφάνη εἶναι τοῦ χρόνου. λιθίνης δέ τινος ἄλλης θραύσματα ἐδείκνυτο παλαιὰ, ὡς ταῦτα μᾶλλον εἰκάσαι ἐκεῖνα εἶναι τὰ λείψανα τῆς ἀγκύρας τῆς ἀργοῦς. ἄλλο δὲ οὐδὲν ὑπόμνημα ἦν ἐνταῦθα τῶν μύθων, τῶν ἀμφὶ τὸν ἰάσονα. τὸ μέν τοι φρούριον αὐτὸ,

noti ſunt, & leuis eſt imprimis, atque colore mutabilis. Leuitatem autem illius vel ſtatera quis deprehendat; vel ex eo quod mari innatat, nec cum eo commiſcetur. Eodem planè modo Titareſium Peneo innatare teſtis eſt Homerus his verbis καθ' ὕπερθεν ἠΰτ' ἔλαιον, hoc eſt, olei inſtar ſupernatat. Phaſidis præterea aquã ſi quis à ſummo hauriat, dulcem; ſin ab imo vrna aquaria in profundum demiſſa, ſalſam experietur. Quamuis vniuerſus Põtus longè dulcioris eſt aquæ, quàm mare externum propter immenſam ferè fluminum in illum ſeſe exonerantium magnitudinem atque multitudinem. Dulcedinis autem huius argumentum (ſi modo argumentis opus eſt in iis quæ ſenſu percipiuntur) quòd omnes maris accolæ pecora ad mare potatum ducunt, quo potu magis etiam quàm aquæ dulcis illa iuuari, communis fama obtinet. Color autẽ Phaſidis ſimilis eſt plumbo aut ſtamno aquæ immerſo, quod vbi conſtiterit puriſſimum ac ſplendidiſſimum ſolet eſſe. Quamobrem lege quoque ſancitum eſt, ne ingredientes Phaſim, quicquam aquæ inuehant, atque importent, ac ſtatim ſimulatque flumen ingreſſi fuerint, edicitur, vt quicquid in nauibus eſt aquæ, effundatur. Quod qui negligunt illos opinio eſt incommoda aduerſaq; nauigatione vti. Aqua Phaſidis à putredine eſt immunis, ac pluſquam decem annis ſyncera incorruptáque manet, niſi quod magis paulatim dulceſcit. Intrantibus Phaſim à ſiniſtris Phaſiana dea apparet, quam ex eius ſpecie atque forma Rheam eſſe cõiicere licet. Manibus enim tenet cymbalum, leones habet ſub throno, ſedétque vt illa Phidiæ Athenis in Metroo (*hoc eſt, templo Matris illi conſecrato.*) Anchora quoque nauis Argûs ibidem oſtenditur, quæ quum ſit ferrea non mihi viſa eſt antiqua. (licet magnitudine pariter atque forma nonnihil ab anchoris noſtrorum temporum differat, tamen videtur eſſe recentior. At alterius cuiuſdam lapideæ anchoræ fragmenta peruetuſta ibidem viſuntur, quæ quidem veriſimilius eſt antiquiſſimæ illius anchoræ Argonauticæ reliquias eſſe. Nullum præterea ibi eorum quæ de Iaſone fictis fabulis fuerunt prodita, monumentum apparet. Propugnaculum autem ſiue caſtrum, in

Aquæ leuitas.

Titareſius fl.
Peneus fl.
ἰλιάδ. β.

Phaſidis aqua ſuperne dulcis, inferne ſalſa.

Pontus dulcis.

Aqua Ponti potatu pecoribus vtilis.

Phaſidis color.

Aquam in Phaſim importare nefas.

Aqua Phaſidis à putrefactione immunis.

Dea Phaſiana.

Anchora Argus.

Caſtri ad Phaſim deſcriptio.

quo quadringenti electi milites sunt collocati, loci situ & validissimum, & ad nauigantium securitatem opportunissimum, mihi visum est. Murus duplici eáque lata fossa cinctus olim terrenus fuit, vt & turres ligneæ. At nunc murus pariter atque turres ex latere coctili sunt extructæ: ipse murus probè fundatus, machinísque bellicis, ac, vt breui dicam, omnibus rebus ita instructus atque munitus, vt nullus aditus barbaris pateat, illiúsque custodes ab omni sint oppugnationis periculo immunes. Quoniam autem ipsum quoque portum videbatur tutum esse oportere, necnon cætera loca, quæ extra castrum ab iis qui à militia sunt immunes, quíque mercaturas, negotiationésque exercent incoluntur, visum mihi est à duplici illa fossa murum cingente, aliam quoque ad flumen vsque ducere, quæ & ipsum portum, & cætera, quæ sunt extra murum, ædificia contineat atque complectatur.

Chariens fl.

A Phaside autem digressi Charientem fluuium, qui & ipse est nauigabilis, præteruecti sumus, qui à Phasi nonaginta stadiis abest.

Chobus fl.

A Chariente in Chobum nauigauimus, qui duo similiter fluuii nonaginta stadiis à se inuicem distant. Ibi appulimus: qua autem de causa, quídque illic egerimus, ex Latinis literis cognosces.

Singames fl.

A Chobo Singamem fluuium nauigabilem præteruecti sumus, qui à Chobo ad summum ducentis & decem stadiis abest.

Tarsuras fl.

Singami vicinus Tarsuras: stadia autẽ inter vtrunque fluuiũ sunt cxx.

Hippus fl.

A Tarsura Hippus centum quinquaginta stadiis.

Astelephus fl.

Ab Hippo Astelephus xxx. stadiis abest. Astelephum autem præteruecti Sebastopolim peruenimus ante meridiem à Chobo digressi confectis centum & viginti stadiis: tot enim sunt ab Astelepho. Quamobrem eodem die & militibus stipendia persoluendi, & equos, arma, equites sui exercendi gratia equis insilientes, ægros, annonam, murum, fossámque perlustrandi nobis facultas fuit.

Sebastopolis olim Dioscurias dicta.

Stadia à Chobo Sebastopolim vsque sunt trecenta & sexaginta: à Trapezunte autem ad Sebastopolim, duo millia ducenta & sexaginta. Hæc olim Dioscurias fuit nominata, Milesiorum colonia.

Populorum catalogus.

Trapezuntini.

Gentes autem, quas præternauigauimus hæ sunt. Ac

ἵνα περ κάθηνται τετρακόσιοι στρατιῶται ἐπίλεκτοι, τῇ τε φύσει τοῦ χωρίου ὀχυρώτατον εἶναί μοι ἔδοξεν, καὶ ἐν ἐπιτηδειοτάτῳ κεῖσθαι, πρὸς ἀσφάλειαν τῶν ταύτῃ πλεόντων. καὶ τάφρος διπλῆ περιβέβληται τῷ τείχει, εὐρεῖα ἑκατέρα. πάλαι μὲν οὖν γήϊνον τὸ τεῖχος ἦν, καὶ οἱ πύργοι ξύλινοι ἐφεστήκεσαν. νῦν δὲ, ἐκ πλίνθου ὀπτῆς πεποίηται καὶ αὐτὸ καὶ οἱ πύργοι, καὶ τεθεμελίωται ἀσφαλῶς, καὶ μηχαναὶ ἐφεστᾶσιν, καὶ ἐν ὀλίγῳ πᾶσιν ἐξήρτυται, πρὸς τὸ μηδὲ πελάσαι ἄν τινα αὐτῷ τῶν βαρβάρων, μήτιγε δὴ εἰς κίνδυνον καταστῆσαι πολιορκίας τοὺς ἐν αὐτῷ φρουροῦντας. ἐπειδὴ δὲ καὶ τὸν ὅρμον ἐχρῆν ἀσφαλῆ εἶναι ταῖς ναυσὶ, καὶ ὅσα ἔξω τοῦ φρουρίου κατῳκεῖτο ὑπό τε τῶν πεπαυμένων τῆς στρατιᾶς. καί τινων καὶ ἄλλων ἐμπορικῶν ἀνθρώπων, ἔδοξέ μοι ἀπὸ τῆς διπλῆς τάφρου ἣ περιβέβληται τῷ τείχει, ἄλλην τάφρον ἐκβαλεῖν ὡς ἐπὶ τὸν ποταμόν. ἣ τό τε ναύσταθμον περιέξει, καὶ τὰς ἔξω τοῦ τείχους οἰκίας. ἀπὸ δὲ τοῦ φάσιδος, χαρίεντα ποταμὸν παρημείψαμεν ναυσίπορον. στάδιοι μεταξὺ ἀμφοῖν, ἐνενήκοντα. καὶ ἀπὸ τοῦ χαρίεντος, ἐς χῶβον ποταμὸν εἰσεπλεύσαμεν, ἄλλοις ἐνενήκοντα, ἵνα περ καὶ ὡρμίσθημεν. ὧν δὲ ἕνεκα καὶ ὅσα ἐνταῦθα ἐπράξαμεν, δηλώσει σοι τὰ ῥωμαϊκὰ γράμματα. ἀπὸ δὲ χώβου, σιγγάμην ποταμὸν παρημείψαμεν ναυσίπορον. διέχει δὲ τοῦ χώβου σταδίους ἐς δέκα καὶ διακοσίους μάλιστα. ἔχεται δὲ τοῦ σιγγάμου, ταρσούρας ποταμὸς, στάδιοι εἴκοσι καὶ ἑκατὸν μεταξὺ ἀμφοῖν. ὁ δὲ ἵππος ποταμὸς τοῦ ταρσούρου. πεντήκοντα σταδίους καὶ ἑκατὸν διέχει. καὶ τοῦ ἵππου ὁ ἀστέλεφος, τριάκοντα. παραμείψαντες δὲ τὸν ἀστέλεφον, εἰς σεβαστόπολιν ἥκομεν πρὸ μεσημβρίας ἀπὸ χώβου ὁρμηθέντες σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατὸν, τοὺς ἀπὸ ἀστελέφου. ὡς καὶ τὴν μισθοφορὰν τοῖς στρατιώταις δοῦναι τῆς αὐτῆς ἡμέρας, καὶ τοὺς ἵππους, καὶ τὰ ὅπλα ἰδεῖν, καὶ τοὺς ἱππέας ἀναπηδῶντας ἐπὶ τοὺς ἵππους, καὶ τοὺς κάμνοντας, καὶ τὸν σῖτον, καὶ τὸ τεῖχος περιελθεῖν, καὶ τὴν τάφρον. στάδιοι ἀπὸ μὲν χώβου εἰς σεβαστόπολιν, τριάκοντα καὶ ἑξακόσιοι. ἀπὸ τραπεζοῦντος δὲ εἰς σεβαστόπολιν, ἑξήκοντα καὶ διακόσιοι καὶ δισχίλιοι. ἡ δὲ σεβαστόπολις πάλαι διοσκουριὰς ἐκαλεῖτο, ἄποικος μιλησίων. ἔθνη δὲ παρημείψαμεν, τάδε. τρα-

δε. τραπεζουντίοις μὲν καθάπερ καὶ ξενοφῶν λέγει, κόλχοι ὅμοροι. καὶ οὓς λέγει τοὺς μαχιμωτάτους καὶ ἐχθροτάτους εἶναι τοῖς τραπεζουντίοις, ἐκεῖνος μὲν δρίλλας ὀνομάζει. ἐμοὶ δὲ δοκοῦσιν, οἱ σάννοι οὗτοι εἶναι. καὶ γὰρ μαχιμώτατοί εἰσιν εἰς τοῦτο ἔτι, καὶ τοῖς τραπεζουντίοις ἐχθρότατοι. καὶ χωρία ὀχυρὰ οἰκοῦσιν. καὶ ἔθνος ἀβασίλευτον. πάλαι μὲν, καὶ φόρου ὑποτελὲς ῥωμαίοις, ὑπὸ δὲ τοῦ λῃστεύειν, οὐκ ἀκριβοῦσι τὴν φοράν. ἀλλὰ νῦν γε διδόντος θεοῦ, ἀκριβώσουσιν, ἢ ἐξελοῦμεν αὐτούς. τούτων δὲ ἔχονται, μαχέλονες καὶ ἡνίοχοι. βασιλεὺς δὲ αὐτῶν, ἀγχίαλος. μαχελόνων δὲ καὶ ἡνιόχων, ἐχόμενοι ζυδρεῖται. φαρασμάνου οὗτοι ὑπήκοοι. ζυδρειτῶν δὲ λαζοί. βασιλεὺς δὲ λαζῶν μαλάσσας, ὃς τὴν βασιλείαν παρὰ σοῦ ἔχει. λαζῶν δὲ, ἀψίλαι ἔχονται. βασιλεὺς δὲ αὐτῶν, ἰουλιανός. οὗτος ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ σοῦ, τὴν βασιλείαν ἔχει. ἀψίλαις δὲ ὅμοροι, ἀβασκοί. καὶ ἀβασκῶν βασιλεὺς, ῥησμάγας. καὶ οὗτος παρὰ σοῦ τὴν βασιλείαν ἔχει. ἀβασκῶν δὲ ἐχόμενοι, σανίγαι. ἵναπερ καὶ ἡ σεβαστόπολις ᾤκισται. σανίγων βασιλεὺς σπαδάγας, ἐκ σοῦ τὴν βασιλείαν ἔχει. μέχρι μὲν δὴ ἀψάρου, ὡς πρὸς ἕω ἐπλέομεν, ἐν δεξιᾷ τοῦ εὐξείνου. ὁ δὲ ἄψαρος, πέρας ἐφάνη μοι εἶναι κατὰ μῆκος τοῦ πόντου. ἔνθεν γὰρ ἤδη πρὸς ἄρκτον ὁ πλοῦς ἡμῖν ἐγίνετο, ἔς τε ἐπὶ χῶβον ποταμόν. καὶ ὑπὲρ τὸν χῶβον, ἐπὶ τὸν σιγάμην. ἀπὸ δὲ σιγάμου, ἐκάμπτομεν εἰς τὴν λαιὰν πλευρὰν τοῦ πόντου, ἔς τε ἐπὶ τὸν ἵππον ποταμόν. ἀπὸ δὲ τοῦ ἵππου ὡς ἐπ' ἀστέλεφον καὶ διοσκουριάδα, κατείδομεν τὸν καύκασον τὸ ὄρος, τὸ ὕψος μάλιστα κατὰ τὰς ἄλπεις τὰς κελτικάς. καὶ τοῦ καυκάσου κορυφή τις ἐδείκνυτο. στρόβιλος τῇ κορυφῇ ὄνομα, ἵναπερ ὁ προμηθεὺς κρεμασθῆναι ὑπὸ ἡφαίστου κατὰ πρόσταξιν διὸς μυθεύεται. τὰ δὲ ἀπὸ βοσπόρου τοῦ θρακίου, ἔς τε ἐπὶ τραπεζοῦντα πόλιν, ὧδε ἔχει. τὸ ἱερὸν τοῦ διὸς τοῦ οὐρίου διέχει ἀπὸ βυζαντίου, σταδίους εἴκοσι καὶ ἑκατόν. καὶ ἔστιν στενότατον ταύτῃ τὸ στόμα τοῦ πόντου καλούμενον, καθότι εἰσβάλλει εἰς τὴν προποντίδα. ταῦτα μὲν, εἰδότι σοι λέγω. ἀπὸ δὲ τοῦ ἱεροῦ πλέοντι ἐν δεξιᾷ ῥήβας ποταμός, σταδίους διέχει τοῦ ἱεροῦ τοῦ διὸς ἐνενήκοντα. ἔπειτα, μέλαινα ἄκρα ὧδε καλουμένη, πεντήκοντα καὶ ἑκα-

Trapezuntiis quidem, vt Xenophon quoque inquit, finitimi sunt Colchi, necnon, quos idem bellicosissimos, ipsísque Trapezuntinis infestissimos esse dicit, Drillæ, sic enim ab eo nominantur, mihi autem videntur esse Sanni. Hi enim adhoc vsque temporis bellicosissimi, ac Trapezuntinis inimicissimi loca incolunt valde munita, rege carentes. Tributarii olim fuerunt Romanis, at nunc latrociniis dediti tributorum persolutionem negligunt, quæ quidem posthac, Deo iuuante, aut accuratè iustéque persoluent, aut illos exterminabimus. Hos attingunt Machelones, & Heniochi, quorum rex est Anchialus. His vicini Zidretæ Pharasmano subditi. Zidretis vicini Lazi, qui regi Malasso parent, is à te regnum habet. Lazis finitimi Apsilæ, quibus Iulianus imperat, qui à patre tuo regnum accepit. Apsilis Abasci quorum rex Rhesmaga, qui à te regnum obtinet. Abascis Sanigæ, vbi Sebastopolis sita, qui regi Spadagæ parent, qui à te regnum habet. Ad Apsarum vsque Orientem versus nauigauimus à dextra parte maris Euxini. Apsarus autem extremus mihi terminus Ponti secundum eius longitudinem visus est. Illinc enim ad Septentrionem nostræ fuit nauigatio ad Chobum vsque, indéque ad Singamem. A Singame autem defleximus ad sinistrum Ponti latus ad Hippum vsque fluuium: indéque ad Astelephum, & Dioscuriadem, vnde vidimus Caucasum montem, cuius eadem quæ Alpium Celticarum fertur esse altitudo. Montis quoque huiusce iugum visebatur, Strobilus dictum, in quo Prometheum à Vulcano Iouis iussu atque mandato suspensum affixúmque fuisse poëtæ fabulantur.

Locorum autem atque itinerum à Bosporo Thracio vsque ad Trapezuntem, ratio sic se habet. Fanum Iouis Vrii à Byzantio distat centum & viginti stadia. Atque hoc quidem (id quod tu minimè ignoras) ipsius Ponti os est strictissimum, per quod in Propontidem labitur. A fano autem hoc nauigantibus à dextra occurrit Rhebas fluuius, nonaginta stad. ab illo distans. Ab hoc Acra Melæna, *hoc est, promontorium nigrum*, abest centum & quin-

Colchi. *Drillæ iidem qui Sanni.* *Machelones.* *Heniochi.* *Zidretæ.* *Lazi.* *Apsilæ.* *Abasci.* *Sanigæ.* *Apsarus.* *Ponti longitudo.* *Chobus.* *Singames.* *Hippus.* *Astelephus.* *Dioscurias.* *Caucasus mons.* *Prometheus.* *Nauigatio à Bosporo Thracio Trapezuntē.* *Fanum Iouis Vrij.* *Ponti os angustissimum.* *Ponti dextra.* *Rhebas fl.* *Acra Melæna.*

Artanes fl. — Fanum Veneris. — Psilis fl. — Calpes portus. — Roe. — Apollonia insula. — Chelæ. — Sangarius fl. — Hyppius fl. — Lillium empor. — Elæum. — Cales promont. — Lycus fl. — Heraclea vrbs. — Metroum. — Posidæum. — Tyndarides. — Nymphæum. — Oxina fl. — Sandaraca. — Crenides. — Psylla empor. — Tios vrbs. — Billæus fl. — Parthenius fl. — Bithyni Thraces.

quaginta stadia. Ab Acra Melæna ad Artanem fluuium, vbi portus paruarum nauium propter templum Veneris, sunt centum & quinquaginta stadia. Ab Artane ad Psilim fluuium, vbi similiter exigua nauigia commodè atque tutò sub petra possunt appellere, non procul ab ipsius fluminis ostio, centum & quinquaginta stadia. A Psili ad portum Calpes ducenta & decem stadia. De cuius portus locíque natura atque situ, fonte quodam frigidæ, atque limpidæ aquæ, de syluis mari vicinis, quæ & lignis ad naues conficiendas, & feris abundant, satis supérque Xenophon senior literis, memoriæque prodidit. A Calpe portu ad Roem paruis aptum nauigiis sunt viginti stadia. A Roe ad Apolloniam insulam exiguam, non procul à continente remotam alia viginti. est autē portus in hac insulula. Hinc ad Chelas viginti stadia. A Chelis vsque ad id loci vbi Sangarius fluuius in Pontum influit, centum & octoginta. Inde ad Hyppii ostia alia centum & octoginta. Ab Hyppio ad Lillium emporium centum stadia. A Lillio ad Elæum sexaginta. Ab Elæo ad Caletem aliud emporium centum & viginti. A Calete ad Lycum fluuium octoginta. A Lyco ad Heracleam vrbem Græcam, Doricam, Megarensium coloniam viginti stadia, vbi portus nauium. Ab Heraclea ad Metroum octoginta & vnum stadia. A Metroo ad Posidæum quadraginta. Inde ad Tyndaridas quadraginta quinque. A Tyndaridis ad Nymphæum quindecim. Hinc ad Oxinam fluuium triginta. Ab Oxina ad Sandaracam, portum paruarum nauium, nonaginta. Inde ad Crenidas sexaginta. A Crenidibus ad Psylla emporium, triginta. A Psylla ad Tion vrbem Græcam, Ioniam in mari sitam, Milesiorum coloniam nonaginta. A Tio ad Billæum fluuium viginti stadia. A Billæo ad Parthenium fluuium centum stadia. Huc vsque Bithyni, qui quidem sunt Thraciæ populus, sese extendunt. Quorum Xenophon in suis monumentis mentionem facit, quos omnium Asiæ populorum bellicosissimos esse ait, à quibus Græcorum exercitum multa mala perpessum esse testatur, post-

τόν. ἀπὸ μελαίνης ἄκρης ἐς ἀρτάνην ποταμὸν, ἵνα καὶ ὅρμος ναυσὶ μικραῖς, πρὸς ἱερῷ ἀφροδίτης, πεντήκοντα ἄλλοι καὶ ἑκατόν. ἀπὸ δὲ ἀρτάνης εἰς ψίλιν ποταμὸν, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ πλοῖα μικρὰ ὁρμίζοιτο ἂν, πρὸς τῇ πέτρᾳ τῇ ἀνεχούσῃ, οὐ πόρρω ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τῶν ἐκβολῶν. ἐνθένδε εἰς κάλπης λιμένα, δέκα καὶ διακόσιοι στάδιοι. ὁ δὲ κάλπης λιμὴν, ὁποῖόν τι χωρίον ἐστὶν, καὶ ὁποῖος ὅρμος, καὶ ὅτι πηγὴ ἐν αὐτῷ ψυχροῦ καὶ καθαροῦ ὕδατος, καὶ ὅτι ὗλαι πρὸς τῇ θαλάσσῃ ξύλων ναυπηγησίμων, καὶ αὗται ἔνθηροι, ταῦτα ξενοφῶντι τῷ πρεσβυτέρῳ λέλεκται. ἀπὸ κάλπης λιμένος εἰς ῥόην, στάδιοι εἴκοσι. ὅρμος ναυσὶ μικραῖς. ἀπὸ ῥόης εἰς ἀπολλωνίαν νῆσον μικρὰν, ὀλίγον διέχουσαν τῆς ἠπείρου, ἄλλοι εἴκοσι. λιμὴν, ὑπὸ τῇ νησῖδι. καὶ ἔνθεν εἰς χηλὰς, στάδιοι εἴκοσιν. ἀπὸ χηλῶν, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατὸν, ἵναπερ σαγγάριος ποταμὸς ἐσβάλλει εἰς τὸν πόντον. ἐνθένδε εἰς τοῦ ὑππίου τὰς ἐκβολὰς, ἄλλοι ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. εἰς δὲ λίλλιον ἐμπόριον ἀπὸ τοῦ ὑππίου, στάδιοι ἑκατόν. καὶ ἀπὸ τοῦ λιλλίου εἰς ἔλαιον, ἑξήκοντα. ἐνθένδε ἐς κάλητα ἄλλο ἐμπόριον, εἴκοσι καὶ ἑκατόν. ἀπὸ κάλητος ἐς λύκον ποταμὸν, ὀγδοήκοντα. ἀπὸ δὲ λύκου, εἰς ἡράκλειαν πόλιν ἑλληνίδα δωρικὴν μεγαρέων ἄποικον, στάδιοι εἴκοσι. ἐν ἡρακλείᾳ ὅρμος ναυσίν. ἀπὸ δὲ ἡρακλείας, ἐπὶ μὲν τὸ μητρῷον καλούμενον, στάδιοι ὀγδοήκοντα. ἔνθεν δὲ εἰς τὸ ποσίδειον, τεσσαράκοντα. καὶ ἔνθεν εἰς τυνδαρίδας, πέντε καὶ τεσσαράκοντα. πέντε δὲ καὶ δέκα ἔνθεν, ἐπὶ τὸ νυμφαῖον. καὶ ἀπὸ τοῦ νυμφαίου, ἐπὶ τὸν ὀξίναν ποταμὸν, τριάκοντα. καὶ ἀπὸ ὀξείνου εἰς σανδαράκην, ἐνενήκοντα. σανδαράκη, ὅρμος ναυσὶ μικραῖς. ἐνθένδε εἰς κρηνίδας, ἑξήκοντα. καὶ ἀπὸ κρηνίδων εἰς ψύλλαν ἐμπόριον, τριάκοντα. ἐνθένδε, εἰς τίον πόλιν ἑλληνίδα ἰωνικὴν ἐπὶ θαλάττῃ οἰκουμένην, μιλησίων καὶ ταύτην ἄποικον, ἐνενήκοντα. ἀπὸ δὲ τίου, εἰς βιλλαῖον ποταμὸν, στάδιοι εἴκοσιν. ἀπὸ δὲ βιλλαίου ἐπὶ τὸν παρθένιον ποταμὸν, στάδιοι ἑκατόν. μέχρι τοῦδε, θρᾷκες οἱ βιθυνοὶ νέμονται. ὧν καὶ ξενοφῶν ἐν τῇ συγγραφῇ μνήμην ἐποιήσατο, ὅτι μαχιμώτατοι εἶεν τῶν κατὰ τὴν ἀσίαν. καὶ τὰ πολλὰ κακὰ ἡ στρατιὰ τῶν ἑλλήνων, ὅτι ἐν τῇδε τῇ χώρᾳ ἔπαθεν, ἐπειδὴ ἀπεχωρίσθη-

σαν

σαν οἱ ἀρκάδες, ἀπό τε τῆς χειρισόφου
καὶ τῆς ξενοφῶντος μερίδος. τὰ δὲ ἀπὸ
τοῦδε ἤδη, παφλαγονία. ἀπὸ παρθενίου
ἐς ἄμαστριν πόλιν ἑλληνίδα, στάδιοι ἐ-
νενήκοντα. ὅρμος ναυσίν. ἔνθεν εἰς ἐρυ-
θίνους, ἑξήκοντα. καὶ ἀπὸ ἐρυθίνων εἰς
κρῶμναν, ἄλλοι ἑξήκοντα. ἐνθένδε εἰς
κύτωρον, ἐνενήκοντα. ὅρμος ναυσὶν ἐν
κυτώρῳ. καὶ ἀπὸ κυτώρου εἰς αἰγιαλοὺς,
ἑξήκοντα. ἐς δὲ θύμηνα, ἐνενήκοντα. καὶ
εἰς κάραμβιν, εἴκοσι καὶ ἑκατόν. ἐνθέν-
δε εἰς ζεφύριον, ἑξήκοντα. ἀπὸ δὲ ζεφυ-
ρίου εἰς ἀβώνου τεῖχος πόλιν σμικρὰν,
πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. ὅρμος ναυσίν,
οὐκ ἀσφαλὴς. ἀλλ' ὅρμοιεν ἂν ἀπα-
θεῖς, εἰ μὴ μέγας χειμὼν κατέχοι. ἀπὸ
δὲ ἀβώνου τείχους ἐς αἰγινῆτιν, ἄλλοι
πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε εἰς κί-
νωλιν ἐμπόριον, ἄλλοι ἑξήκοντα. καὶ ἐν
κινώλει σαλεύοιεν ἂν νῆες, ὥρᾳ ἔτους.
ἀπὸ δὲ κινώλιος ἐς στεφάνην, ὀγδοήκον-
τα καὶ ἑκατόν. ὅρμος ναυσὶν ἀσφαλής.
ἀπὸ δὲ στεφάνης εἰς ποταμοὺς, πεντήκον-
τα καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε εἰς λεπτὴν ἄκραν,
ἑκατὸν καὶ εἴκοσι. ἀπὸ δὲ λεπτῆς ἄκρας
ἐς ἁρμένην, ἑξήκοντα. λιμὴν αὐτόθι.
καὶ ξενοφῶν, τῆς ἁρμένης ἐμνημόνευ-
σεν. καὶ ἔνθεν εἰς σινώπην, στάδιοι τεσσα-
ράκοντα. σινωπεῖς, μιλησίων ἄποικοι.
ἀπὸ δὲ σινώπης εἰς κάρουσαν, πεντή-
κοντα καὶ ἑκατόν. σάλος ναυσίν. ἐνθέν-
δε εἰς ζάγωρα, ἄλλοι αὖ πεντήκοντα
καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε εἰς τὸν ἅλυν ποτα-
μὸν, τριακόσιοι. οὗτος ὁ ποταμὸς, πάλαι
μὲν ὅρος ἦν τῆς κροίσου βασιλείας καὶ
περσῶν. νῦν δὲ, ὑπὸ τῇ ῥωμαίων ἐπι-
κρατείᾳ ῥέει οὐκ ἀπὸ μεσημβρίας ὡς
λέγει ἡρόδοτος, ἀλλὰ ἀπὸ ἀνίσχοντος ἡ-
λίου. καθότι δὲ εἰσβάλλει εἰς τὸν πόν-
τον, ὁρίζει τὰ σινωπέων καὶ ἀμισηνῶν
ἔργα. ἀπὸ δὲ ἅλυος ποταμοῦ ἐς ναύ-
σταθμον, στάδιοι ἐνενήκοντα. ἵνα περ καὶ
λίμνη ἐστίν. ἐνθένδε ἐς κωνωπεῖον ἄλ-
λην λίμνην, ἄλλοι αὖ πεντήκοντα. ἀπὸ
δὲ κωνωπείου ἐς εὐσήνην, ἑκατὸν καὶ
εἴκοσι. ἐνθένδε εἰς ἀμισὸν, ἑκατὸν καὶ
ἑξήκοντα. ἀμισὸς, πόλις ἑλληνὶς ἀθη-
ναίων ἄποικος, ἐπὶ θαλάττῃ οἰκεῖται.
ἀπὸ δὲ ἀμισοῦ εἰς ἀγκῶνα λιμένα, ἵνα
περ καὶ ὁ ἶρις εἰσβάλλει εἰς τὸν πόντον,
στάδιοι ἑξήκοντα καὶ ἑκατόν. ἀπὸ δὲ τοῦ
ἴριος τῶν ἐκβολῶν ἐς ἡράκλειον, ἑξή-

quam Arcades à Chirosophi atque Xenophōtis partibus defecerunt. Hinc Paphlagoniæ est initium. A Parthenio ad Amastrim vrbem Græcam, vbi nauium portus nonaginta stadia. Inde ad Erythinos sexaginta. Ab Erythinis ad Cromnam sexaginta. Hinc ad Cytorum, vbi portus, nonaginta. A Cytoro ad Ægialos sexaginta. Ad Thymena nonaginta: ad Carambin centum & viginti. Inde ad Zephyrium sexaginta. A Zephyrio ad Aboni mœnia, quæ vrbs est exigua, centum & quinquaginta. Portus illic nauibus non admodum tutus, vbi tamen, si non magna sit tempestas, à damno immunes commorari queant. Ab Aboni mœnibus ad Æginetim, centum & quinquaginta. Totidem ab Ægineti ad Cinolim emporium, vbi naues certo anni tempore commodissimè versentur. A Cynoli ad Stephanem vbi portus nauium tutus centum & octoginta. A Stephane ad Potamos, centum & quinquaginta. Hinc ad Leptem Acram, centum & viginti. A Lepte Acra ad Harmenem sexaginta. Portus illic, Harmenæ autem à Xenophonte quoque fit mentio. Ab Harmena ad Sinopem Milesiorum coloniam quadraginta. A Sinope ad Carusam, vbi statio male fida nauibus, centum & quinquaginta. Hinc item ad Zagora, centum & quinquaginta. Inde ad Halym fluuium trecenta. Hic fluuius olim regni Crœsi & Persarum terminus fuit, qui nunc in Romanorum est potestate. Fluit autem, nō (vt Herodotus inquit) à Meridie, sed ab Ortu Solis: vbi autem se exoluit in mare, Sinopensium & Amisenorum rura agrósque separat. Ab Haly fluuio ad Naustathmum, vbi palus, nonaginta stadia. Hinc ad Conopeium aliam paludem, item quinquaginta. A Conopeio ad Eusenem, centum & viginti. Ab Eusene ad Amisum, centum & sexaginta. Est autem Amisus vrbs Græca, Athenienſium colonia, in mari sita. Ab Amiso ad Anconem portum, vbi Iris in Pontum exoneratur, centum & sexaginta stadia. Ab Iris ostio ad Heraclium portum trecenta & sexa-

Paphlagonia. Amastris vrbs. Erythini scop. Cromna vrbs. Cytorus vrbs. Ægiali. Thymena. Carabu prom. Zephyrium. Aboni mœnia vrbs. Æginetis. Cinolis empor. Stephana. Potami. Lepte acra. Harmena. Sinope. Carusa. Zagora. Halis fl. Naustathmus. Conopeium. Eusena. Amisus vrbs. Ancon portus. Iris fl.

ginta, vbi portus nauium. Hinc ad Thermodontem fluuium, quadraginta. Hic est ille fluuius, vbi Amazones olim sedem atque domicilium suum habuisse dicuntur. A Thermodonte ad Berim fluuium, nonaginta stadia. Inde ad Thoarim fluuium, sexaginta. A Thoari ad Oenoem triginta. Ab Oenoe ad Phigamuntem fluuium quadraginta. Inde ad Phadisanam promontorium centum & quinquaginta. Hinc ad Polemonium decem stadia. A Polemonio ad Acram (*hoc est, promontorium*) Iasonium vocatum, centum & triginta stadia. A Promontorio Iasonio ad insulam Cilicum, quindecim stadia. Ab hac insula ad Boona, vbi nauium portus septuagintaquinque. Hinc ad Cotyora, nonaginta. Huius à Xenophonte quoque fit mentio, qui eam vrbem appellat, & Sinopensium coloniam, quum hodie vicus sit, non admodum magnus. A Cotyoris ad Melanthium fluuium, ad summum, sexaginta stadia. Hinc ad Pharmatenum alium fluuium, centum & quinquaginta. A Pharmateno ad Pharnaciam, centum & viginti. Hæc olim Cerasus dicta, ipsa quoque Sinopensium est colonia. A Pharnacia ad insulam Arrhetiadem, triginta. Inde ad Zephyrium, centum & viginti, ibi portus nauium. A Zephyrio ad Tripolim, nonaginta stadia. A Tripoli ad Argyria viginti stadia. Hinc ad Philocaleam nonaginta. Hinc ad Coralla, centum. A Corallis ad Hieron oros (*hoc est, Sacrum montem*) centum & quinquaginta. A Sacro monte ad Cordylam, nauium portum, quadraginta. A Cordyla verò ad Hermonassam, hic rursus portus nauium, quadraginta quinque. Ab Hermonassa Trapezuntem vsque sexaginta stadia. Hic tu portum curas fieri, cùm prior ille nonnisi ad commorandum paulisper, in salo & anchoris certo anni tempore sit accommodatus. Locorum autem interualla, quæ inter Trapezuntem & Dioscuriadem sunt, secundum fluminum, quæ interiecta sunt; dimensionem, à nobis ante explicata sunt: quæ si simul colligamus, erunt à Trapezunte ad Dioscuriadem, quæ nunc dicitur Sebastopolis, stadia

Thermodon fl. *Amazones.* *Beris fl.* *Thoaris fl.* *Oenoe.* *Phigamus fl.* *Phadisana promont.* *Polemonium vrbs.* *Promontorium Iasonium.* *Insula Cilicum.* *Boon.* *Cotyora vrbs.* *Sinopensium colonia.* *Melanthius fl.* *Pharmatenus flu.* *Pharnacia vrbs olim Cerasus dicta.* *Arrhentias insula.* *Zephyrium portus.* *Tripolis vrbs.* *Argyria.* *Philocalea.* *Coralla.* *Hieron oros.* *Cordyla portus.* *Hermonassa vrbs.* *Trapezus.* *Interuallum inter Trapezuntē, & Dioscuriadē.*

κοντα καὶ τριακόσιοι. ὅρμος ναυσίν. ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸν θερμώδοντα ποταμὸν, τεσσαράκοντα. οὗτος ὁ θερμώδων ἐστὶν, ἵνα περ αἱ ἀμαζόνες οἰκῆσαι λέγονται. ἀπὸ δὲ θερμώδοντος εἰς βῆριν ποταμὸν, στάδιοι ἐνενήκοντα. ἐντεῦθεν εἰς θόαριν ποταμὸν, ἑξήκοντα. ἀπὸ δὲ θοάριος ἐς οἰνόην, τριάκοντα. ἀπὸ οἰνόης ἐς φιγαμοῦντα ποταμὸν τεσσαράκοντα. ἐντεῦθεν εἰς φαδισάνην φρούριον, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. ἐντεῦθεν εἰς πολεμώνιον πόλιν, στάδιοι δέκα. ἀπὸ πολεμωνίου εἰς ἄκραν ἰασόνιον καλουμένην, στάδιοι τριάκοντα καὶ ἑκατόν. ἐντεῦθεν εἰς κιλίκων νῆσον, πεντεκαίδεκα στάδιοι. ἀπὸ δὲ κιλίκων νήσου ἐς βοῶνα, πέντε καὶ ἑβδομήκοντα. ἐν βοῶνι, ὅρμος ναυσίν. ἐντεῦθεν εἰς κοτύωρα, ἐνενήκοντα. ταύτης, ὡς πόλεως ξενοφῶν ἐμνημόνευσεν, καὶ λέγει σινωπέων ἄποικον εἶναι. νῦν δὲ κώμη ἐστὶν, καὶ οὐδὲ αὐτὴ μεγάλη. ἀπὸ κοτυώρων ἐς μελάνθιον ποταμὸν, στάδιοι μάλιστα ἑξήκοντα. ἐντεῦθεν εἰς φαρματηνὸν ἄλλον ποταμὸν, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ ἔνθεν εἰς φαρνακείαν, εἴκοσιν καὶ ἑκατόν. αὕτη ἡ φαρνακεία, πάλαι κερασοῦς ἐκαλεῖτο, σινωπέων καὶ αὐτὴ ἄποικος. ἐντεῦθεν ἐς τὴν ἀρρητιάδα νῆσον, τριάκοντα. καὶ ἔνθεν ἐς ζεφύριον, εἴκοσι καὶ ἑκατόν. ὅρμος ναυσίν. ἀπὸ δὲ ζεφυρίου εἰς τρίπολιν, στάδιοι ἐνενήκοντα. ἐντεῦθεν ἐς τὰ ἀργύρια, στάδιοι εἴκοσι. ἐκ δὲ τῶν ἀργυρίων εἰς φιλοκάλειαν, ἐνενήκοντα. ἐντεῦθεν ἐς κόραλλα, ἑκατόν. ἀπὸ δὲ κοράλλων εἰς ἱερὸν ὄρος, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. ἀπὸ δὲ ἱεροῦ ὄρους εἰς κορδύλην, τεσσαράκοντα. ὅρμος ναυσίν. ἀπὸ δὲ κορδύλης ἐς ἑρμώνασσαν, πέντε καὶ τεσσαράκοντα. καὶ δεῦρο, ὅρμος. ἀπὸ δὲ ἑρμωνάσσης εἰς τραπεζοῦντα, στάδιοι ἑξήκοντα. ἐνταῦθα, σὺ ποιεῖς λιμένα. πάλαι γὰρ ὅσον ἀποσαλεύειν ὥρᾳ ἔτους, ὅρμος ἦν. τὰ δὲ ἀπὸ τραπεζοῦντος διαστήματα μέχρι διοσκουριάδος, προείρηται διὰ τῶν ποταμῶν ἀναμετρηθέντα. ἀθροίζοντες δὲ ἀπὸ τραπεζοῦντος εἰς διοσκουριάδα τὴν νῦν σεβαστόπολιν καλουμένην, στάδιοι δι-

χίλιοι διακόσιοι ἑξήκοντα. τάδε μὲν τὰ ἀπὸ βυζαντίου πλεόντων ἐν δεξιᾷ, ὡς ἐπὶ διοσκουριάδα. ἐς ὅπερ στρατόπεδον τελευτᾷ ῥωμαίοις ἡ ἐπικράτεια, ἐν δεξιᾷ ἐσπλεόντων εἰς τὸν πόντον. ἐπεὶ δὲ ἐπυθόμην κότυν τετελευτηκέναι τὸν βασιλέα τοῦ βοσπόρου τοῦ κιμμερίου καλουμένου, ἐπιμελὲς ἐποιησάμην καὶ τὸν μέχρι τοῦ βοσπόρου πλοῦν δηλῶσαί σοι. ὡς εἴ τι βουλεύοιο περὶ τοῦ βοσπόρου, ὑπάρχοι σοι καὶ τόνδε τὸν πλοῦν μὴ ἀγνοοῦντι βουλεύεσθαι. ὁρμηθεῖσιν οὖν ἐκ διοσκουριάδος, πρῶτος ἂν εἴη ὅρμος ἐν πιτυοῦντι, στάδιοι τριακόσιοι πεντήκοντα. ἐνθένδε ἐς τὴν νιτικὴν, στάδιοι πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. ἵνα περ πάλαι ᾤκει ἔθνος σκυθικὸν, οὗ μνήμην ποιεῖται ὁ λογοποιὸς ἡρόδοτος. καὶ λέγει τούτους εἶναι τοὺς φθειροτρωκτέοντας. καὶ γὰρ εἰς τοῦτο ἔτι ἡ δόξα ἡ αὐτὴ ὑπὲρ αὐτῶν κατέχει. ἐκ δὲ νιτικῆς εἰς ἄβασκον ποταμὸν, στάδιοι ἐνενήκοντα. ὁ δὲ βόργυς τοῦ ἀβάσκου διέχει, σταδίους ἑκατὸν καὶ εἴκοσιν. καὶ ὁ νῆσις τοῦ βόργυος, ἵνα περ καὶ ἡράκλειον ἄκραν ἔχει, σταδίους ἑξήκοντα. ἀπὸ δὲ νήσιος ἐς μασαϊτικὴν, στάδιοι ἐνενήκοντα. ἐνθένδε εἰς ἀχαιοῦντα, στάδιοι ἑξήκοντα. ὅσπερ ποταμὸς διορίζει ζίκχους καὶ σάνιγας. ζικχῶν βασιλεὺς σταχέμφαξ. καὶ οὗτος, παρὰ σοῦ τὴν βασιλείαν ἔσχεν. ἀπὸ ἀχαιοῦντος εἰς ἡράκλειαν ἄκραν, πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν στάδιοι. ἐνθένδε εἰς ἄκραν, ἵνα περ σκέπη ἐστὶν ἀνέμου θρασκίου καὶ βοῤῥᾶ, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε εἰς τὴν καλουμένην παλαιὰν λαζικὴν, εἴκοσιν καὶ ἑκατὸν στάδιοι. ἐνθένδε ἐς τὴν παλαιὰν ἀχαΐαν, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ ἔνθεν ἐς πάγρας λιμένα, πεντήκοντα καὶ τριακόσιοι. ἀπὸ δὲ πάγρας λιμένος, εἰς ἱερὸν λιμένα, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε εἰς σινδικὴν, τριακόσιοι. ἀπὸ δὲ σινδικῆς, εἰς βόσπορον τὸν κιμμέριον καλούμενον, καὶ πόλιν τοῦ βοσπόρου παντικάπαιον, τεσσαράκοντα καὶ πεντακόσιοι. ἐνθένδε ἐπὶ τάναϊν ποταμὸν, ἑξήκοντα. ὃς λέγεται ὁρίζειν ἀπὸ τῆς ἀσίας, τὴν εὐρώπην. καὶ ὁρμᾶται μὲν, ἀπὸ λίμνης τῆς μαιώτιδος. ἐσβάλλει δὲ, εἰς θάλασσαν τὴν τοῦ εὐξείνου πόντου. καίτοι αἰσχύλος ἐν προμηθεῖ λυομένῳ, τὸν φάσιν ὅρον τῆς εὐ-

dia bis mille, ducenta, & ſexaginta. Atque hæc quidem itineris, à Byzantio Dioſcuriadem vſque, quod caſtrum imperii Romani terminus eſt, à dextris Pontum ingredientibus ſeſe offert ratio. Poſtquam autem Cotys regis Boſpori Cimmerii dicti obitum cognoui, dedi operam, vt hanc tibi quoque ad Boſporum nauigationis, itineríſque rationem notam facerem, vt ſi quid forſan de Boſporo capere velis conſilii, facilius id atque commodius hac tibi nauigatione cognita, facere poſſis. Soluentibus itaque à Dioſcuriade primus ſeſe offert portus in Pityunte, trecenta & quinquaginta ſtadia interuallo. Inde ad Niticam centum & quinquaginta ſtadia, vbi olim gens Scythica fertur habitaſſe, cuius Herodotus quoque meminit, quam ait pediculis veſci fuiſſe ſolitam, quæ certè in hodiernum vſque diem de illis eſt opinio. A Nitica ad Abaſcum fluuium, nonaginta ſtadia. Ab Abaſco diſtat Borgys, centum & viginti ſtadia. A Borgy ad Neſim, vbi Herculeum promontorium eſt, ſexaginta ſtadia. A Neſi ad Maſæticam, nonaginta ſtadia. Inde ad Achæunta fluuiũ, qui Zicchos atque Sanichas ſeparat, ſexaginta ſtadia. Zicchorum rex eſt Stachemphaz, qui à te regnum habet. Ab Achæunte ad promõtorium Heracleum, centum & quinquaginta ſtadia. Inde ad aliud quoddam promontorium, vbi tuta aduerſus Thraſciam, atque Boream ventos ſtatio, centum & octoginta. Inde ad eam quæ dicitur vetus Lazica, centum & viginti ſtadia. Hinc ad Achaiam antiquam centum & quinquaginta. Inde ad portum Pagræ, trecenta & quinquaginta. A portu Pagræ ad portum Hierum (*hoc eſt, Sacrum*) centum & octoginta. Inde ad Sindicam trecenta. A Sindica ad Boſporum Cimmerium, & Panticapæum vrbẽ Boſpori, quingenta & quadraginta. A Panticapæo ad Tanaim fluuium, qui Europam ab Aſia dicitur diſterminare ſexaginta. Hic quidẽ erumpit ex palude Mœotide, ac influit in mare Ponti Euxini. Quãuis Æſchylus in Tragœdia, quæ inſcribitur Prometheus ſolutus, Phaſim

Cotys rex Boſpori Cimmerij.
Pityus vrbs.
Nitica.
Phthirophagi Scythæ.
Abaſcus fl.
Borgys.
Neſis.
Herculeum promont.
Maſætica.
Achæus fl.
Zicchos & Sanichas ſeparat.
Heracleum promont.
Palæa Lazica.
Achaia antiqua.
Portus Pagræ.
Portus Hieros.
Sindica.
Boſporus Cimmerius.
Panticapæum vrbs.
Tanais fl. Europæ & Aſiæ terminus.
Tanais ex Mœotide, in Euxinũ Pontum.
Æſchylus Phaſim facit Europæ & Aſiæ terminum.

Mœotidis ambitus. *Cazeca vicus.* *Theodosia vrbs.* *Portus Tauroscytharum desertus.* *Halmitis Taurica.* *Symboli portus.* *Cherronesus Taurica.* *Cercinetis.* *Calus portus.* *Tamyraca.* *Eones.* *Borysthenes fl.* *Olbia vrbs.* *Insula anonymos.* *Odessus.* *Istrianorum portus.* *Isiacorum portus.* *Psilum os Istri.* *Solitudines.* *Insulæ Achilleæ descriptio.*

Europæ atque Asiæ terminum facit: sic enim Titanas loquentes introducit. Huc nos venimus, ô Prometheu hos tuos labores, vinculorúmque dolores visendi gratia. Deinde commemorant quantam regionem peragrarint. Hac Europæ geminum, & ingentem, illac Asiæ terminum, Phasim. Ipsius verò paludis Mœotidis ambitus fertur esse circiter nouem millia stadia. A Panticapæo ad vicum quendam, cui nomen Cazeca, in mari situm, quadringenta & viginti stadia. Inde ad Theodosiam vrbem desertam, ducenta & octoginta stadia. Hæc olim fuit vrbs Græca, Ionica, Milesiorum colonia multis passim literarum monumentis celebrata. A Theodosia ad portum quendam Tauroscytharum desertum, ducenta stadia. Hinc ad Halmitida Tauricam, sexcenta stadia. A Lampade ad Symboli portum Tauricum, quingenta & viginti stadia. Inde ad Cherronesum Tauricam, centum & octoginta. A Cherroneso ad Cercinetim, sexcenta stadia. A Cercineti ad Calum, portum Scythicum, septingenta. A portu Calo ad Tamyracam, trecenta. Intra Tamyracam palus est non admodum magna. Inde ad ostia paludis, trecenta. Ab ostiis paludis ad Eonas, trecenta & octoginta. Hinc ad Borysthenem fluuium centum & quinquaginta. Propter Borysthenem à parte superiore vrbs est Græca Olbia dicta. A Borysthene ad paruam quandam, nominéque carentem insulam, sexaginta stadia. Ab hac ad Odessum, vbi nauium portus, octoginta. Odesso proximus, ducenta & quinquaginta stadia interuallo Istrianorum portus. Huic proximus Isiacorum portus, quinquaginta stadia interuallo. Inde ad Psilum os Istri, mille & ducenta. Quæ verò loca sunt interposita, ea deserta sunt, nomine carentia, atque obscura. Huic autem Istri ostio, insula adiacet, quæ alicui rectà secundum ventum Aparctiam, siue Septentrionalem nauiganti occurrit, quam alii Achillis insulam, alii Dromon (*hoc est, cursum*) Achillis, alii Leucam (*hoc est, albam*) à colore appellant. Hanc Thesis

εὐρώπης καὶ τῆς ἀσίας ποιεῖ. λέγουσιν γοῦν αὐτῷ οἱ τιτᾶνες, πρὸς τὸν προμηθέα. ὅτι ἥκομεν τοὺς σοὺς ἄθλους τούσδε προμηθεῦ, δεσμοῦ τε πάθος τόδ' ἐποψόμενοι. ἔπειτα, καταλέγουσιν ὅσην χώραν ἐπῆλθον. τῇ μὲν δίδυμον χθονὸς εὐρώπης μέγαν τῇ δ' ἀσίας τέρμονα φᾶσιν. τῆς δὲ λίμνης τῆς μαιώτιδος περίπλους ἐν κύκλῳ λέγεται, σταδίων ἀμφὶ τοὺς ἐνακισχιλίους. ἀπὸ δὲ παντικαπαίου, εἰς κώμην καζέκα ἐπὶ θαλάττῃ ᾠκισμένην, στάδιοι εἴκοσι καὶ τετρακόσιοι. ἐνθένδε ἐς θεοδοσίαν πόλιν ἐρήμην, στάδιοι ὀγδοήκοντα καὶ διακόσιοι. καὶ αὕτη πάλαι ἦν ἑλληνίς, πόλις ἰωνική, μιλησίων ἄποικος. καὶ μνήμη ἐστὶν αὐτῆς ἐν πολλοῖς γράμμασιν. ἐνθένδε εἰς λιμένα σκυθοταύρων ἔρημον, στάδιοι διακόσιοι, καὶ ἔνθεν εἰς ἀλμῖτιδα τῆς ταυρικῆς, στάδιοι ἑξακόσιοι. ἀπὸ δὲ λαμπάδος, εἰς συμβόλου λιμένα ταυρικὸν καὶ τοῦτον, στάδιοι εἴκοσι καὶ πεντακόσιοι. καὶ ἔνθεν ἐς χερρόνησον τῆς ταυρικῆς, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. ἀπὸ δὲ χερρονήσου ἐς κερκινῆτιν στάδιοι ἑξακόσιοι, καὶ ἀπὸ κερκινήτιδος ἐς καλὸν λιμένα σκυθικὸν καὶ τοῦτον, ἄλλοι ἑπτακόσιοι. ἐκ δὲ καλοῦ λιμένος ἐς ταμυράκην, τριακόσιοι. ἔσω δὲ τῆς ταμυράκης, λίμνη ἐστὶν οὐ μεγάλη. καὶ ἔνθεν εἰς τὰς ἐκροὰς τῆς λίμνης, ἄλλοι τριακόσιοι. ἐκ δὲ τῶν ἐκροῶν τῆς λίμνης ἐς ἠόνας, στάδιοι ὀγδοήκοντα καὶ τριακόσιοι. καὶ ἔνθεν ἐς ποταμὸν βορυσθένην, πεντήκοντα καὶ ἑκατόν. κατὰ δὲ τὸν βορυσθένην ἄνω πλέοντι, πόλις ἑλληνὶς, ὄνομα ὀλβία πεπόλισται. ἀπὸ δὲ βορυσθένους, ἐπὶ νῆσον σμικρὰν ἐρήμην καὶ ἀνώνυμον, στάδιοι ἑξήκοντα. καὶ ἔνθεν εἰς ὀδησσὸν, ὀγδοήκοντα. ἐν ὀδησσῷ, ὅρμος ναυσίν. ἀπὸ δὲ ὀδησσοῦ, ἔχεται ἰστριανῶν λιμὴν, στάδιοι ἐς αὐτὸν, πεντήκοντα καὶ διακόσιοι. ἐνθένδε ἔχεται ἰσιακῶν λιμὴν, στάδιοι ἐς αὐτὸν πεντήκοντα. καὶ ἔνθεν εἰς τὸ ψιλὸν καλούμενον στόμα τοῦ ἴστρου, διακόσιοι καὶ χίλιοι. τὰ δὲ ἐν μέσῳ, ἔρημα καὶ ἀνώνυμα. κατὰ τοῦτο μάλιστα τὸ στόμα, ἐπ' εὐθὺ πλέοντι ἀνέμῳ ἀπαρκτίᾳ ἰδίως τὸ πέλαγος, νῆσος προσκεῖται ἥν τινα, οἱ μὲν, ἀχιλλέως νῆσον. οἱ δὲ, δρόμον ἀχιλλέως, οἱ δὲ λευκὴν, ἐπὶ τῆς χροιᾶς ὀνομάζουσιν. ταύτην λέγεται

λέγεται Θέτις ἀνεῖναι τῷ παιδί. καὶ ταύ-
την οἰκεῖν τὸν Ἀχιλλέα. καὶ νεώς ἐστιν ἐν
αὐτῇ, τοῦ Ἀχιλλέως. καὶ ξόανον, τῆς πα-
λαιᾶς ἐργασίας. ἡ δὲ νῆσος, ἀνθρώπων
μὲν ἐρήμη ἐστίν. νέμεται δὲ αἰξὶν οὐ πολ-
λαῖς, καὶ ταύτας ἀνατιθέναι λέγονται
τῷ Ἀχιλλεῖ ὅσοι προσίσχουσι. καὶ ἄλλα
πολλὰ ἀναθήματα ἀνάκειται ἐν τῷ
νεῷ, φιάλαι καὶ δακτύλιοι, καὶ λίθοι τῶν
πολυτελεστέρων. ταῦτα σύμπαντα χα-
ριστήρια τῷ Ἀχιλλεῖ ἀνάκειται. καὶ ἐπι-
γράμματα τὰ μὲν ῥωμαϊκῶς, τὰ δὲ ἑλ-
ληνικῶς, πεποιημένα ἐν ἄλλῳ καὶ ἐν
ἄλλῳ μέτρῳ, ἔπαινοι τοῦ Ἀχιλλέως. ἔστιν
δὲ ἃ, καὶ τοῦ Πατρόκλου. καὶ γὰρ καὶ τὸν Πά-
τροκλον τιμῶσιν σὺν τῷ Ἀχιλλεῖ, ὅσοι
τῷ Ἀχιλλεῖ χαρίζεσθαι ἐθέλουσιν. ὄρνι-
θες δὲ πολλοὶ, αὐλίζονται ἐν τῇ νήσῳ.
λάροι καὶ αἴθυιαι καὶ κορῶναι αἱ θαλάσ-
σιοι, τὸ πλῆθος οὐ σταθμητοί. οὗτοι οἱ ὄρνι-
θες, θεραπεύουσι τοῦ Ἀχιλλέως τὸν νεών.
ἕωθεν ὁσημέραι, καταπέτονται εἰς τὴν
θάλασσαν. ἔπειτα ἀπὸ τῆς θαλάσσης
βεβρεγμένοι τὰ πτερὰ, σπουδῇ αὖ εἰ-
σπέτονται εἰς τὸν νεὼν, καὶ ῥαίνουσιν τὸν
νεών. ἐπειδὰν δὲ καλῶς ἔχῃ, οἱ δὲ ἐκ-
καλλύνουσιν αὖ τὸ ἔδαφος τοῖς πτεροῖς.
οἱ δὲ, καὶ τάδε ἱστοροῦσιν. τῶν προσεσχη-
κότων τῇ νήσῳ, ἱερεῖα τοὺς μὲν ἐξεπίτη-
δες πλέοντας ἐς αὐτὴν, ἐπὶ ταῖς ναυσὶν
κομίζειν, καὶ τούτων, τὰ μὲν καταθύειν,
τὰ δὲ ἀφιέναι τῷ Ἀχιλλεῖ. τοὺς δέ τινας
ὑπὸ χειμῶνος ἐξαναγκασθέντας, προ-
σέχειν. καὶ τούτους, παρ' αὐτοῦ τοῦ θεοῦ αὐ-
τεῖν ἱερεῖον, χρωμένους ἐπὶ τῶν ἱερείων,
εἰ λῷον σφίσιν καὶ ἄμεινον θῦσαι, ὅ, τι
περ αὐτοὶ τῇ γνώμῃ ἐπιλέξαιντο νεμό-
μενον, τιμὴν ἅμα καταβάλλοντες τὴν
ἀξίαν σφίσιν δοκοῦσαν. εἰ δὲ ἀπαγορεύοι
ὁ χρησμὸς, εἶναι γὰρ χρησμοὺς ἐν τῷ νεῷ,
προσβάλλειν τῇ τιμῇ. εἰ δὲ ἔτι ἀπαγο-
ρεύοι, ἔτι προσβάλλειν. συγχωρήσαντος
δὲ, γιγνώσκειν ὅτι ἀποχρῶσα ἡ τιμή ἐστιν.
τὸ δὲ ἱερεῖον ἵστασθαι ἐπὶ τῷδε αὐτόμα-
τον, μηδὲ ἀποφεύγειν ἔτι. καὶ τοῦτο δὴ πο-
λὺ ἀνακεῖσθαι τὸ ἀργύριον τῷ ἥρῳ τὰς
τιμὰς τῶν ἱερείων. φαίνεσθαι δὲ ἐνύπνιον
τὸν Ἀχιλλέα. τοῖς μὲν προσχοῦσι τῇ
νήσῳ. τοῖς δὲ καὶ πλέουσιν ἐπειδὰν οὐ πόρ-
ῥω αὐτῆς ἀποσχῶσιν. καὶ φράζειν ὅπου

tis filio suo concessisse, eámque Achilles
inhabitare fertur, in qua ei templum, si- *Achillis templum, ac simulachrum.*
mulachrúmque antiquo opere sunt cō-
secrata. Deserta est ab hominibus, eámq; *Capræ Achilli sacræ.*
capræ non admodum multæ depascun-
tur, quas qui illuc appellunt Achilli of-
ferre dicuntur. Multa prӕterea alia sacra *Anathemata.*
dona, in templo illo reposita cernũtur,
vt phialæ, annuli, gemmӕ pretiosissimӕ:
hęc omnia donaria Achilli suspẽsa sunt:
Epigrammata quoq; ibi sunt Græca at-
que Latina variis modis atque metris in
Achillis pariter atq; Patrocli laudẽ cō- *Patroclus.*
posita. Nam qui Achillem, ij Patroclum
simul eadem opera colunt, atque vene-
rantur. Aues quoque innumerabiles, vt *Aues marinæ templi adituæ.*
lari, mergi siue fulicæ, cornices mariti-
mæ, in insula illa degunt. Hæ aues tem-
plum Achillis curant. Manè enim sin-
gulis diebus mare petunt, indéque alis
aqua madefactis ad tẽplum aduolantes,
& templum aspergũt: vbi autem hume-
ctatum fuerit, eædẽ aues rursus alis, ceu
scopis verrũt, atque purgant. A quibus-
dam huiusmodi quoq; nonnulla tradun
tur. Illos quidem qui data opera ad insu
lam accedunt, bestias secũ ad immolan- *Sacrificandi mos.*
dum in nauibus portare, quarũ alias ma-
ctent, alias verò viuas Achilli offerãt. At
verò qui tempestate quadam fortè for-
tuna eò sunt delati eos ab ipso Deo pe-
tere hostiam, eúmque consulere expe-
diátne vtiléque sit eam hostiam immo-
lare, quam pascentem ipsi delegerint
pretium simul, quod illis iustum vide-
tur, pendentes, atque ad altare abii-
cientes. Quod si oraculum renuat (sunt
enim oracula in illo templo) pretio sem
per aliquid addunt atque adiiciunt, do- *Oracula.*
nec illud, oraculo permittente atq; an-
nuente, iustum esse cognoscãt. Quo fa-
cto, ipsa deinde bestia coempta atq; im-
molanda, sua se sponte in templo sistit,
nec amplius aufugit. Magna itaque vis
pecuniarum ex immolandorum huius-
modi animalium pretio cõfecta atq; col
lecta, in templo illo reposita esse fertur.
Achillem prӕterea iis qui ad insulã iam
appellũt, vel ei appropinquãt, in somnis
aiunt apparere, iisque significare qua *Achilles nauigantibus apparet.*
nam ex parte ad insulam commodis-

ſimè appellere queant. Nonnulli quoq; non dubitãt affirmare ipſum Achillem non in ſomnis, ſed vigilantibus ſibi viſibili ſpecie atque forma, vt ſolent Dioſcuri, in mali, ſiue antennæ faſtigio apparuiſſe. Hoc ſolo volunt eum à Dioſcuris differre, quòd illi quidem paſſim atq; vbique nauigãtibus ſpecie euidenti atqueperſpicua appareant, & viſi ſalutiferi ſint, at verò Achilles iis tantùm, qui ad hanc inſulam accedunt. Nõnulli ipſum quoque Patroclum ſibi in ſomnis viſum eſſe aiunt. Atque hæc quidem de Achillis inſula refero audita tãtùm ab iis, qui vel ipſi illuc appulerũt, vel ab aliis intellexerũt, quæ mihi quidem fide digna vidẽtur eſſe. Achillem enim, ſi quẽ alium, Heroa fuiſſe facilè mihi perſuadeo his ductus coniecturis, quòd nimirùm & nobilitate, & pulchritudine, animiq; robore præſtans fuerit, & iuuenis admodum vitam cum morte cõmutarit, & ab Homero egregiè celebratus fuerit, deniq; quòd in amoribus atque amicitiis colẽdis atque tuendis ita fuerit conſtans ac firmus, vt mortem quoq; pro amoribus ſuis oppetere nõ dubitarit. A Pſilo Iſtri oſtio, ad ſecundum eiuſdẽ oſtiũ, ſexaginta ſtadia. Hinc ad oſtiũ appellatũ Calũ, quadraginta ſtadia. A Calo ad Naracũ, ſic nominatũ, qđ eſt quartũ eius oſtiũ, ſexaginta. Hinc ad quintum, centum & viginti. Ab hoc ad Iſtriam vrbem trecenta. Ab Iſtria ad Tomeas vrbem trecenta. A Tomeis ad Callantram vrbem, vbi portus, trecenta. Hinc ad portum Carorũ, centum & octoginta. Ipſa regio quę eſt circumcirca portum illum Caria appellatur. A portu Carorũ ad Tetriſiada, centum & viginti. Inde ad Bizũ locũ deſertũ, ſexaginta. A Byzo ad Dionyſipolim, octoginta. Hinc ad Odeſſum, vbi portus, ducenta. Ab Odeſſo vſque ad radices, ſiue latera montis Hæmi, quæ in Pontũ vſq; protẽduntur, vbi portus trecẽta & ſexaginta. Ab Hæmo ad Meſembriam vrbem, vbi portus, nonaginta. A Meſembria ad Anchialũ vrbẽ, ſeptuaginta. Ab Anchialo ad Apolloniam, centum & octoginta. Hæ omnes ſunt vrbes Græcæ in Scythia ſitæ, quę occurrunt à ſiniſtris in Pontum nauigãtibus.

Ab

Dioſcuri. — *Achillis & Dioſcurorum differentia.* — *Achillẽ eſſe Heroa quæ coniecturæ.* — *Secundum Iſtri oſtium.* — *Calum Iſtri oſtium.* — *Naracũ quartũ Iſtri oſtium.* — *Oſtium quintum Iſtri.* — *Iſtria vrbs.* — *Tomea vrbs.* — *Callantra vrbs.* — *Carorum portus.* — *Caria.* — *Tetreſias.* — *Bizus.* — *Dionyſipolis.* — *Odeſſus.* — *Hæmus mons.* — *Meſembria vrbs.* — *Anchialus.* — *Apollonia.* — *Siniſtra Ponti.*

προσσχεῖν τῆς νήσου ἄμεινον, καὶ ὅπου ὁρμίσασθαι. οἱ δὲ καὶ ὕπαρ λέγουσιν φανῆναί σφισιν, ἐπὶ τοῦ ἱστοῦ ἢ ἐπ' ἄκρῳ τοῦ κέρως τὸν ἀχιλλέα, καθάπερ τοὺς διοσκόρους. τοσόνδε μόνον τῶν διοσκούρων μεῖον ἔχειν, τὸν ἀχιλλέα, ὅσον οἱ μὲν διόσκουροι, τοῖς πανταχοῦ πλωϊζομένοις ἐναργεῖς φαίνονται. καὶ φανέντες, σωτῆρες γίνονται. ὁ δὲ τοῖς πελάζουσιν ἤδη τῇ νήσῳ. οἱ δὲ, καὶ τὸν πάτροκλον σφίσιν ὀφθῆναι ἐνύπνιον λέγουσιν. τάδε μὲν ὑπὲρ τῆς νήσου τῆς τοῦ ἀχιλλέως, ἀκοὴν ἀνέγραψα, τῶν ἢ αὐτῶν προσχόντων, ἢ ἄλλων πεπυσμένων. καί μοι δοκεῖ οὐκ ἄπιστα εἶναι. ἀχιλλέα γὰρ ἐγὼ πείθομαι, εἴπερ τινα καὶ ἄλλον ἥρωα εἶναι. τῇ τε εὐγενείᾳ τεκμαιρόμενος, καὶ τῷ κάλλει, καὶ τῇ ῥώμῃ τῆς ψυχῆς, καὶ τῷ νέον μεταλλάξαι ἐξ ἀνθρώπων, καὶ τῇ ὁμήρου ἐπ' αὐτῷ ποιήσει, καὶ τῷ ἐρωτικὸν γενέσθαι καὶ φιλέταιρον, ὡς καὶ ἐπαποθανεῖν ἑλέσθαι τοῖς παιδικοῖς. ἀπὸ δὲ τοῦ ψιλοῦ καλουμένου στόματος τοῦ ἴστρου, ἐς τὸ δεύτερον στόμα, στάδιοι ἑξήκοντα. ἐνθένδε ἐπὶ τὸ καλὸν καλούμενον στόμα. στάδιοι τεσσαράκοντα. καὶ ἀπὸ τοῦ καλοῦ, ἐπὶ τὸ νάρακον ὧδε ὀνομαζόμενον στόμα τέταρτον τοῦ ἴστρου, στάδιοι ἑξήκοντα. ἐνθένδε ἐπὶ τὸ πέμπτον, εἴκοσι καὶ ἑκατόν. καὶ ἔνθεν εἰς ἰστρίαν πόλιν, στάδιοι πεντακόσιοι. ἐνθένδε ἐς τομέας πόλιν, στάδιοι τριακόσιοι. ἀπὸ δὲ τομέας εἰς κάλλαντραν πόλιν, ἄλλοι τριακόσιοι. ὅρμος ναυσίν. ἐνθένδε ἐς καρῶν λιμένα, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. καὶ ἡ γῆ ἐν κύκλῳ τοῦ λιμένος, καρία κλήζεται. ἀπὸ δὲ καρῶν λιμένος, ἐς τετρισιάδα, στάδιοι εἴκοσι καὶ ἑκατόν. ἐνθένδε, εἰς βίζον χωρίον ἔρημον στάδιοι ἑξήκοντα. ἀπὸ δὲ βίζου εἰς διονυσόπολιν, στάδιοι ὀγδοήκοντα. ἐνθένδε εἰς ὀδησσόν, διακόσιοι. ὅρμος ναυσίν. ἐκ δὲ ὀδησσοῦ, ἐς τοῦ αἵμου τὰς ὑπωρείας αἳ δὴ εἰς τὸν πόντον καθήκουσιν, στάδιοι τριακόσιοι ἑξήκοντα. καὶ δεῦρο, ὅρμος ναυσίν. ἐκ δὲ τοῦ αἵμου εἰς μεσημβρίαν πόλιν, ἐνενήκοντα. ὅρμος ναυσίν. καὶ ἐκ μεσημβρίας εἰς ἀγχίαλον πόλιν, στάδιοι ἑβδομήκοντα. καὶ ἐξ ἀγχιάλου εἰς ἀπολλωνίαν, ὀγδοήκοντα καὶ ἑκατόν. αὗται πᾶσαι αἱ πόλεις, ἑλληνίδες εἰσίν, ᾠκισμέναι ἐν τῇ σκυθίᾳ ἐν ἀριστερᾷ ἐσπλέοντι εἰς τὸν πόντον.

ἐκ δὲ ἀπολλωνίας ἐς χεῤῥόνησον, στάδιοι ἑξήκοντα. ὅρμος ναυσίν. καὶ ἐκ χεῤῥονήσου ἐς αὐλαίου τεῖχος, πεντήκοντα καὶ διακόσιοι. ἐνθένδε ἐς θυνιάδα ἀκτὴν, εἴκοσιν καὶ ἑκατόν. ἀπὸ δὲ θυνιάδος εἰς σαλμυδησσὸν, στάδιοι διακόσιοι. τούτου τοῦ χωρίου μνήμην πεποίηται, ξενοφῶν ὁ πρεσβύτερος. καὶ μέχρι τούτου λέγει τὴν στρατιὰν ἐλθεῖν τῶν ἑλλήνων, ἧς αὐτὸς ἡγήσατο, ὅτε τὰ τελευταῖα σὺν σεύθῃ τῷ θρᾳκὶ ἐστράτευσεν. καὶ περὶ τῆς ἀλιμενότητος τοῦ χωρίου πολλὰ ἀνέγραψεν, ὅτι ἐνταῦθα ἐκπίπτει τὰ πλοῖα χειμῶνι βιαζόμενα. καὶ οἱ θρᾶκες οἱ πρόσχωροι, ὅτι ὑπὲρ τῶν ναυαγίων ἐν σφίσιν διαμάχονται. ἀπὸ δὲ σαλμυδησσοῦ εἰς φρυγίαν, στάδιοι τριάκοντα καὶ τριακόσιοι. ἐνθένδε ἐπὶ κυανέας, εἴκοσι καὶ τριακόσιοι. αὗται δὲ αἱ κυάνεαι εἰσὶν, ἃς λέγουσιν οἱ ποιηταὶ πλαγκτὰς πάλαι εἶναι. καὶ διὰ τούτων, πρώτην ναῦν περάσαι τὴν ἀργὼ, ἥ τις ἐς κόλχους ἰάσονα ἤγαγεν. ἐκ δὲ κυανέων ἐπὶ τὸ ἱερὸν τοῦ διὸς τοῦ οὐρίου, ἵνα περ τὸ στόμα τοῦ πόντου, στάδιοι τεσσαράκοντα. ἐνθένδε εἰς λιμένα δάφνης τῆς μαινομένης καλουμένης, στάδιοι τεσσαράκοντα. ἀπὸ δὲ δάφνης εἰς βυζάντιον, ὀγδοήκοντα. τάδε μὲν καὶ τὰ ἀπὸ τοῦ βοσπόρου τοῦ κιμμερίου, ἐπὶ βόσπορον τὸν θρᾴκιον, καὶ πόλιν βυζάντιον.

Ab Apollonia ad Cherroneſum, vbi portus nauiũ, ſexaginta ſtadia. A Cherroneſo ad Aulæi mœnia, ducenta & quinquaginta. Hinc ad Thyniada actam, ſiue littus, centum & viginti. A Thyniade ad Salmydeſſum, ducenta ſtadia. Huius regionis à Xenophonte quoque fit mentio, qui huc vſque Græcorum exercitum penetraſſe ſcribit, cuius ipſe dux extiterit, quando poſtremo cum Seutha Thrace fecit ſtipendia. Multis quoque idem deſcribit, quàm difficilis illa ſit ac importuoſa regio, quòd naues vi tempeſtatis eò eiectæ pereũt: ac quomodo Thraces accolę pro naufragio inter ſe digladiantur. A Salmydeſſo ad Phrygiam, trecenta & triginta ſtadia. Inde ad Cyaneas, trecenta & viginti. Hæ ſunt Cyaneæ illæ, quas poëtæ olim finxerunt vagas, atque errantes fuiſſe, per quas prima nauis Argo tranſierit, qua Iaſon in Colchos vectus fuit. A Cyaneis ad fanum Iouis Vrij, vbi os Ponti, quadraginta ſtadia. Inde ad portum Daphne quæ inſana dicitur, quadraginta ſtadia. A Daphne Byzantium vſque, octoginta. Atque hæc ſeſe offerunt in nauigatione illa quæ eſt à Boſporo Cimmerio, ad Boſporũ Thracium, ipſámque vrbem Byzantium.

Cherroneſus.
Aulæi mœnia.
Thynias.
Salmydeſſus.
Seutha Thrax.
Thraces.
Phrygia.
Cyaneæ.
Fanum Iouis Vrij.
Os Ponti.
Portus Daphne inſanum.
Byzantium.

ΕἸΣ ΤΌΝ ΤΟΥ͂ ἈΡῬΙΑΝΟΥ͂

περίπλουν τοῦ Εὐξείνου Πόντου λατινιστὶ μεθερμηνευθέντα, καὶ ἐξηγηθέντα ὑπὸ Γουλιέλμου τοῦ Στουκίου.

Ἀῤῥιανὸς βασιλεῦσιν ἔγραψέ ποτ' αὐσονίων
  Ἱστορίην πολίων, ἔθνεα, καὶ ποταμούς,
Πόντος ὅσους κόλποισιν ἀπειρεσίοισιν ἐέργει
  Ἄξενος ἃ ναύταις πρίν ποτε δὴ μελέοις.
Φωναῖς δ' ὀθνείοις συνετάξατο Καίσαρι βίβλον,
  Φθόγγοις ἀλλοδαποῖς ἐνθέμενος σελίσιν.
Στούκιος ἀμπλακίην ἐνόησεν τὴν πυκινόφρων,
  Καὶ μέτα Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι ῥυθμίσατο:
Φεῦ ὅσον ἀγλαΐης, τιμῆς, χαρίτων τ' ἐρατεινῶν,
  Προσθεὶς νουνεχέως εἴδει τῷ προτέρῳ.
Τῷ Ῥώμης βασιλεὺς εἰ νῦν ἔην ἑπταλόφοιο,
  Στούκιε, τοῦ δ' ἀέθλου σοὶ πόρε τὸν στέφανον.

Φραγκίσκου Πόρτου τοῦ Κρητός.

AD VIRVM CLARISS.
& Polyhistora D. Io. Guilielmum Stukium Tigurinum.

Quas antiqua tibi, quas grates iunior ætas
  Tantis pro meritis, ingenióq; canet?
Quæ tibi vel Pontus, vel quæ, Clarißime Stuki,
  Munera pro scripto digna rependet Arabs?
Tu renouas illus veteres vrbésque sinúsque:
  Atque nouos veteri nomine restituis.
Nam maris Euxini portus, ac oppida pingis,
  Certior vt nullus nauita scire velit.
Tu quoque per pelagi scopulos & littora Erythræi
  Das, & inoffensa currere posse rate.
Sed quicquid longis Macedo perquisyt annis:
  Quicquid Romanus regna Sabæa domans.
Quicquid & Hispanis, Lusitanísque, repertum est,
  Hoc dant, hoc pingunt, hoc tua scripta docent.
Ergo me horrisono, duce te, committere Ponto
  Ausim, ac Eoo pandere vela freto.

Lamb. Danæus B.

I.G.S.

Io. Guilielmi Stukij Scholia in

PERIPLVM PONTI Euxini.

ARRIANI hæc ad Adrianum Imperatorem epiſtola græca breuis licet admodum ſit, atque exigua, tamen hiſtorica planè eſt atque philoſophica, rerúmque plurimarum, quæ in ea breuiſsimè perſtringuntur, cognitu non modo iucundiſsimarum, verum etiam vtiliſsimarum copia, varietatéque referta, ac proinde ſcitu digniſsima, quam equidem eò libentius D. Ioſiæ Simleri præceptoris, compatris atque collegæ mei obſeruãdi, honorandique ſuaſu, hortatu atque opera non modo latinè vertendam, verùm etiam ſcholiis quibuſdam ſiue commentatiunculis non auſus ſim dicere illuſtrandã, vel certè aliquo modo adumbrandam ſuſcepi. Quos meos labores, ſiue conatus laborioſos lectoris cuiuſuis, qui in eos inciderit, non tam iudicio, quàm æquitati, humanitatíque commendo. *Epiſtolæ commẽdatio*

Videtur autem, vt omiſſa longiore verborum circuitione rem ipſam aggrediamur, in duas commodè partes principes diſtribui poſſe. Pars prior illius eſt quaſi caput ſiue procemium vſitatam quibuſvis in literis inſcriptionem, ſubſcriptionem, ſalutationémque complectens: pars altera eſt quaſi reliquum ipſius epiſtolæ corpus. Quoad priorem duo ſunt in illa potiſsimum obſeruatu animaduerſionéque digna, perſonæ nimirum, inter quas epiſtolare hoc colloquium extitit, & ipſius epiſtolæ materia, ſiue ſubiectum præcipuum. Ac perſonæ quidem non viles & obſcuræ, ſed clariſsimæ atque illuſtriſſimæ fuerunt, quæ merito quemuis ad diligentẽ accuratámque epiſtolæ huiuſce lectionem, animaduerſionémque commouere debeant, Arrianus nimirum, qui eam miſit, & Adrianus imperator Ro. ad quem miſsa fuit, quíque eam accepit. Fuit autem Arrianus hic (quemadmodum ex Suida, Euſebio in annalibus, Heliconio, Luciano in Alexandro ſeu Pſeudomante cognoſcere licet) patria Nicomedienſis, Epicteti philoſophi Stoici diſcipulus, eximia quadã atque inſigni omnium doctrinarum diſciplinarúmque liberalium cognitione eloquentia, vitæ morúmque integritate præditus atque ornatus. Quæ quidem virtutes tã præclaræ atque eximiæ tandem illi apud Romanos ad Conſularem dignitatem viã aditúmque patefecerunt, ad quam ab Adriano, & Antonino Pio Imperatoribus, quorum ille ſumma familiaritate, cõſuetudinéque floruit, euectus fuit. Itaque Pontum (vt ex hac quoque illius epiſtola colligere licet) non priuatus, ſed Proconſulari, ſiue alia quadam poteſtate illi ab Adriano data, atque conceſſa videtur obijſſe ſeu potius ei præfuiſſe. Quid ſi fuerit hic idem Flauius ille Arrianus, quem Dion Caſſius, in vita Adriani, Cappadociæ præfuiſſe, ac cuius metu Alanos (quos eosdem vult eſſe qui Maſſegetæ) ab armis, quæ Pharaſmano auctore cõtra Romanos mouerant, quieuiſſe affirmat. Ad hũc eundẽ ſeptẽ illæ, quæ extant, C. Plinij ſecundi Nouocomẽſis, qui ipſe quoque Arriani, Adrianíque temporibus floruit ac Bithyniæ Pontíque Procõſul extitit, epiſtolæ

Epiſtolæ partes 2. Prima. Secunda. Primæ partis 2. membra. 1. Perſona 2. Subiectum. Perſonæ 2 illuſtres. Arrianus. Patria Nicomedia. Epicteti diſcipulus. Doctrina, eloquẽtia. Conſularis dignitas. Ponti forſan pr conſ. ſeu præſes. Arrianus Cappadociæ præſes. Alani qui Maſſegetæ.

Arrianus cur Xenophõ iunior dictus. videntur esse perscriptæ. Fuit præterea hic noster Arrianus Xenophontis (cuius crebram admodum in hac sua epistola mentionem facit) siue vitæ genus, summorũ Regum atque Imperatorum familiaritatem, peregrinationis studiũ, siue eloquentiam orationisque studium, siue historiæ conscribendæ modum rationémque spectes, sedulus fœlixque imitator: vnde etiam Xenophontis iunioris cognomen meritò est adeptus. *Arriani literarum monumẽta.* Feracissimi denique illius ingenij pulcherrimos quasi fructus, literarúmque monumenta diligentissimè in D. Iosiæ Simleri bibliotheca notata atque designata videre licet. Lucianus in Pseudomãte suo hunc Tillibori quoque nobilissimi cuiusdam latronis vitam ait descripsisse. *Tillibori latronis vitam descripsit.* Stephanus in lib. de vrbibus (quod ipsum quoque videtur adiiciendũ) sæpe in Bithynicis præterea, & in Indicis in dictione Μάσσακα eo teste vtitur, eiusdem quoque decimum septimum librum Parthicorum citat, vnde facile ipsum Bithynica quoque Indica atque Parthica conscripsisse constat. *Parthica Bithynica, Indica scripsit.* quę vt alia quoque eiusdem opera temporum iniuria perierunt. Fuit alius quoque eiusdem nominis poeta, quo (teste Suetonio) Tiberius imperator vt & Euphorione atque Parthenio ita fuit delectatus, vt & illos in poematis conscribendis sedulò fuerit imitatus, & illorum scripta atque imagines publicis bibliothecis inter veteres, & præcipuos auctores dedicarit. *Arrianus poeta Tiberij temporibus.* Fuit item alius historicus græcus, qui (vt testis est Iulius Capitolinus) Maximinorum, Maximi, ac Balbini, & trium Gordianorum vitas descripsit. *Alius Arrianus historicus.* Arriani quoque insignis Iurisconſ. mẽtio fit & à Paulo Palauino in l. Arrian. ff. de actio. & obligat. & ab Vlpiano Tyrio in l. j. §. Qui autem. ff. quorum legatorũ Quem tamen hunc ipsum historicum, atque philosophum nostrum fuisse Alexander Gabuardus Turcellanus in sua quadam ad Thomam Plouatarium patricium Constantinopolitanum Iurisconſ. epistola hac meo indicio probabili admodum coniectura probat. *Arrianus iurisc. videtur idem qui historicus.* Citatur in Pandectis Iustiniani Imperat. inter alias lex quædam, eius omne delictum, de re militari §. Quis vulnerauerit, in qua Adrianum Imperatorem aduocat vnde eum & Adriani temporibus floruisse, & Imperatori huic familiarẽ fuisse constat. Sed de Arriano historico, philosopho, & (vt nonnulli volunt) Iurisconsulto quoque doctissimo atque eloquentissimo satis.

Adrianus Impe. Adrianum autem Imperatorẽ ad quem scripta hæc fuit epistola, hisce nominibus atque titulis insignit αὐτοκράτορι, hoc est Imperatori, Cæsari, Traiano, Adriano σεβαςῷ hoc est, venerando siue Augusto. *Αὐτοκράτωρ. Cæsar. Augustus.* Horum illa quidẽ, Αὐτοκράτωρ seu imperator, Cæsar, Σεβαςὸς siue Augustus, communes fuerunt omnium Imperatorum Ro. tituli à C. Iulio Cæsare, & eius successore Augusto primum profecti. *Traianus dictus quia à Traiano adoptatus.* Nomen Traiani est adoptitium pro more populi Ro. quo adoptatus sui adoptatoris nomẽ, prænomẽ atque cognomina assumebat, de quo vide pluribus Sigonium in libro de nominibus. *Adoptio. An Adrianus à Traiano adoptatus.* Adrianum autem à Traiano auunculo fuisse adoptatum historici testantur, licet nonnulli eam non tam factam, quàm fictam mortuo Traiano, Plotinę Traiani vxoris artibus atque technis fuisse existimẽt, quò facilior nimirum illi ad imperium aditus pateret. *Adrianus vnde dictus.* Adrianus siue Hadrianus dictus ab Hadria vrbe, vnde maiores suos fuisse oriundos ipsemet, teste Ælio Spartiano, in Syluis vitæ suæ prodidit. *Aelius, inde Hierosolyma Aelia dicta.* Prænomen quoque illius atque nomen fuit Publius Ælius vnde Hierosolyma ab eo instaurata Ælia fuit dicta. Imperatoris huiusce sicuti Dion Cassius, Ælius Spartianus diligentes eius vitæ scriptores testantur, insignes virtutes pariter atque vitia fuerunt. *Virorum illustrium vitia pariter atque virtutes illustres.* Nam quemadmodũ loca ædita atque excelsa, quæque in iis sunt posita, multò magis visui patent, quàm quæ sunt depressa atque humilia ita hominũ quoque qui in excelso aliquo atque sublimi dignitatis gradu sunt positi, virtutes pariter atque vitia longè conspectiora illustrioráque solent esse quàm eorum qui tenuis humilis, abiectæq; sunt sortis atque conditionis. *Virtutum atque vitiorum consideratio quomodo vtilis.* Nos autem illustrium præsertim huiusmodi hominum virtutes atque vitia nobis assiduè ante mentis nostræ oculos non modo ad contemplandũ, verùm virtutes quidem pro nostra virili imitandũ, vitia autem

autem fugiendum atque vitandum proponere debemus. Fuit hic Imperator (quæ quidem non modò laude, verùm etiam admiratione, imitationéque dignissima sunt) poëmatum, literarúmque omnium studiosissimus, linguæ Latinæ pariter atque Græcæ (vnde Græculus vulgò dictus) necnon Arithmeticæ, Geometriæ, Musicæ, Architecturæ, atque picturæ peritissimus. Memoria acerrima, ingenio fœcundissimo vberrimóque præditus multa egregia literarum monumenta astricta pariter atque soluta oratione peperit. Vno eodémq; tẽpore scripsit, dictauit, audiuit, & cum amicis fabulatus est. Liberalẽ se atque beneficum erga multos gessit, alios enim opibus, alios honoribus auxit, ægros (præsertim amicos suos, quíq; equestris, senatoriæ, consularis dignitatis erãt) sedulò inuisit, quibuscunq; potuit modis adiuuit. mẽsę quoq; epularúmq; suarũ participes fecit. In Republ. Senatu inconsulto nihil egit, consules honorauit, optimates ac proceres semper in vrbe, extra vrbem, in conuiuiis adhibuit. Iuri dicundi in vrbe pariter atque prouinciis asiduam diligentémque operã nauauit, adhibitis in consilio non amicis solùm atque comitibus, verùm etiam Iurisconsultis, cuiusmodi tunc temporis fuit Iulius Celsus, Saluius Iulianus, Neralius Priscus, aliíque, quos tamen senatus omnis probasset. Constituit inter cætera, vt in nulla ciuitate domus aliquæ, transferendæ ad aliam vrbem vllius materiæ causa, diruerentur. Liberis proscriptorum duodecimũ bonorum concessit. Ignotorum hęreditates repudiauit: nec notorum accepit, si filios haberent. De thesauris ita cauit, vt si quis in suo reperisset, ipse potiretur: si quis in alieno, dimidium domino daret: si quis in publico, cum fisco æqualiter partiretur. Seruos à dominis occidi vetuit, eósque iussit damnari per iudices si digni essent. Lenoni & lanistæ seruum vel ancillam vendi noluit causa nõ præstita. Decoctores bonorũ suorum, si suæ authoritatis essent, catamidiari in amphitheatro, & dimitti iussit. Lauacra pro senibus separauit. Admoneri & corrigi vel ab humili persona non ægrè ferebat. Transeuntem, quædam mulier rogauit, vt se audiret: cui quum ille respondisset, otium mihi non est, illa clamãs ait, noli ergò imperare: tum conuersus eam audiuit. Peregrinandi, multáque spectatu digna visendi mirum in modum cupidus fuit. Omnes fere populi Rom. prouincias sine regio ornatu atque pompa imperatoria peragrauit, omnésque regiones, vrbes, arces, atque etiam minima quæque vt arma, machinas fossas, valla, mœnia, exercituum limitaneorum vitas, statiua hyberna summo studio diligẽtiáque perlustrauit. Erga ciuitates socias, tributarias, subditos, lenis fuit atque clemens, tributa grauia multis remisit. Rei militaris ab ineunte ætate vt studiosissimus, ita peritissimus quoque fuit. Milites partim præceptis, pœnis, minis atque promissis, partim verò vitæ exemplo, atque opere, duro asperóque suo victu, laboris, caloris frigorísque patientia, qua Alpinas quoque Gallicásque niues, & Ægypti ardores pertulit, ita non modò peritos, verùm etiam laborum patientes reddidit, vt olim equites, qui vocantur Bataui, Danubium armati transnatauerint, denique hostibus Romani nominis formidabiles extiterint. Bella tamen, pacis amantissimus, nõ facile mouit: mota atque excitata quibuscunque potuit modis compescuit. Hæ atque aliæ fuerunt eius præclaræ virtutes atque facta, non modò laudanda, verùm etiam omnimodo imitanda iis præsertim quorum fidei Deus regnorum atque rerumpubl. clauos gubernaculáque commisit. Verùm has virtutes plurimis vitiorum, scelerum atque flagitiorum sordibus inquinauit. Superstitione enim quæ stirps est atque seminarium omnium malorum, grauissimè laborans: verã religionem atque Ecclesiam horrendis miserandísque modis ab initio afflixit ac infestauit, à qua tamen eum crudelitate cognita perspectáque Christianorum vitæ morúmque probitas atque honestas tandem ad lenitatem quandã clementiámque traduxit. Interea tamen superstitionibus suis semper addictus ac mancipatus, earũ quasi vestigia atque monumenta vt fana (cuiusmodi,

Adriani virtutes.
Doctrina atque eruditio.
Memoria insignis.
Ingenium fœcundum.
Adriani liberalitas.
Ægrotos inuisit.
In Repub. cõsilio Coss. atque optimatum vsus.
Iuris dicundi studiosus.
In iurisdictione adhibuit Iuriscõs.
Iurisconsulti celebres tunc temporis.
Adriani statuta.
Ne ædes transferantur.
De proscriptis.
Hæreditates.
Thesauri inuentio.
Serui ne à dominis occidantur.
Lenones.
Decoctorum pœna.
Lauacra.
Admonitionis patiens.
De muliere quadam cui noluit facere audientiã.
Peregrinandi studium ingens.
Prouincias pop. Rom. perlustrauit.
Adriani benignitas erga tributarias ciuitates.
Rei militaris studium, peritia.
Disciplina militaris.
Frigoris, caloris, laborũ patiẽtia.
Pacis amantissimus.
Adriani vitia.
Superstitio.
Crudelis ab initio erga Christianos, postea lenior factus.
Superstitionis monumenta.

Fana idolol. *Sacrorum idolol. studiosus.* *Magicis artibus deditus.* *Libidines.* *Voluptates.* *Ambitio.* *Inuidia.* *Cædes.* *Morbi eius.* *Mors funesta.*

fuit illud Iouis Olympii Athenis: Iouis itē aliud Hierosolymæ, è regione tēpli Salomonii, Veneris Romæ) necnō statuas, altaria passim omnibus in locis poni erigíq; curauit. Sacra illa sua sacrilega atq; nefaria summo studio obiit ac celebrauit: magicis artibus atque incātationibus operā dedit, quibus aquam etiā intercutē, qua laborauerat, eduxit, qua tamē mox rursus fuit repletus. Libidinibus ac voluptatibus nō parum indulsit, ambitione deniq; atque inuidia pessimis certè consultricibus æstuans, imperij sui principium pariter atque finem innocentissimorum præstantissimorúmque virorum cædibus funestauit. Tandem hisce tot tantísque vitiis atque sceleribus suis dignum exitum, seu potius exitium planè Tragicum est sortitus. Nam nimio immoderatóque sanguinis è naribus profluxu phtisi primò, deinde hydropisi correptus, miserrimè affectus atque afflictus neque mori diu, neque pristinam recuperare valetudinem potuit. Sæpenumero quidem cùm corporis cruciatu atque doloribus, tum conscientiæ furiis scelerum vltricibus vexatus & agitatus ferro atque veneno mortem sibimetipsi consciscere, atque accelerare tentauit, sed diligenti amicorum custodia prohibitus fuit. Tandem post innumeros animi corporísque cruciatus animam exhalauit, sua ad extremum poëmata atheismi sui, desperationísque indicia profundens,

Animula, vagula, blandula,
Hospes, coméſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallida, rigida, nudula,
Nec, vt soles, dabis iocos.

Epistolæ subiectum. *Periplus.*

hæc de personis, nunc de subiecto, quod his verbis complectitur. Περίπλους Ponti Euxini. Verbum Græcum Periplus Latini sermonis vsu ita est apud scriptores tritum, vt ferè iam pro Latino vulgò vsurpetur. De verbo ad verbum Latinè circumnauigationem significat, vt paraplus, quo verbo etiam Arrianus in hac sua epistola vtitur, præternauigationē. Quod si cui circumnauigationis nomen à nullo (quòd sciam) probato linguæ Latinæ scriptore vsurpatū, displicet, huiusmodi quadam (vim Græci vocabuli, meo iudicio, probè admodum exprimēte) periphrasi vti poterit. Itinerum locorum, regionum, quæ circumquaque Pontum Euxinum attingunt, atque ambiunt designatio, siue descriptio. Vel etiam melior forsan atque commodior fuerit illa Ammiani Marcellini lib. 22. periphrasis, qua Ponti Euxini ambitum, veluti insularis circuitus litoreā nauigationē appellat, quā verborum circuitione de industria Græci vocabuli Periplus quum vim potestatémque videtur voluisse exprimere.

Ponti nomen æquiuocum. *Pontus mare signif.* *Pontus nomen proprium viri.* *Pontus insula.* *Pontus fluuius.* *Pontus mare Euxinum.*

Ponti verò nomen æquiuocum est atque πολύσημον. Nam & in genere omne mare significat secundum illud Ouidij, *omnia Pontus erat*, & nomen est proprium cuiusdam quem Neici & Neptuni filiū dixerunt, teste Euseb. lib. 1. Præparat. Et insulam quandam genere fœmineo, de qua Virg. *Virosáque Pontus*, Et fluuium quēdam in Medica & Pæonica regione, teste Æliano lib. 9. cap. 20. significat. Item, fluuium Scythiæ, in quo Thracias lapis inuenitur, qui aqua accenditur, & restinguitur oleo, vt refert Dioscorides lib. 5. cap. 93. Idem prætèrea nomen (præter illa quæ attuli significata quæ quidem sunt obseruanda) sæpenumero synecdochicôs accōmodatur, mari huic Euxino, quod inter Bosporum Cimmerium & Thracium, vel (vt alii volunt, inter paludem Mœotidem, atque Tenedum insulam in mari Ægeo inter Mitylenem & Hellespontum sitam, interiacet. Denique aliquando & pro vniuersa illa regione Ponto Euxino omnibus ea partibus vicina atque finitima, & pro certa quadam Asiæ minoris regione, inter Armeniam Colchidem, & mare sitam quæ olim regnū Mithridatum, postea populi Roman. prouincia celeberrima extitit, vsurpatur. Atque hoc quidem præcipuum est epistolæ huius subiectum, cui alia quædam quasi parerga lectu cognitúque vtilissima pariter, atque iucundissima intertexuntur,

Pontus vniuersa regio circumiacens Ponto Euxino. *Pontus regnum deinde prouincia Pop. Rom.*

xuntur. De quo ſanè ſubiecto, hoc eſt, de Ponto ſecundum tres illius poſtremas paulò antè commemoratas ſignificationes, non quidem pro ipſius dignitate, & amplitudine, ſed pro tenui mea, & tẽporis quod habui, & ingenii facultate, ſummatim generatímque nonnulla dicere iuuat, quorum hæc erunt quaſi capita. Ac primò quidem omnium, quoad illius nomina ſiue epitheta, ea varia ſunt ac multiplicia. Maris Euxini nomina: ortus progreſſus, atque finis, forma atque figura, quantitas, qualitas, cœli conditio, quę in Pontico illo mari regionéque ſingularia naſcantur ſeu inueniantur: Ponticarum gentium natura, ingenia, mores. Earundem ac præſertim Põtici illius Mithridaticíque regni ſtatus politicus denique, & eccleſiaſticus ſiue religioſus.

Nomina, epitheta Ponti.
Deſcriptionis Ponti Euxini capita præcipua.

Horum primum atque generaliſſimum eſt nomen Ponti, quo (vt paulò antè dixi) in genere omne mare ſignificatur, vel ἀπὸ τοῦ πόνου, quod laboribus atque doloribus ſit refertum, ſecundum illud Eccleſ.43, Qui nauigant mare, enarrant pericula eius: vel ἀπὸ τοῦ ποντίζειν. i. mergendo, quoniam in mari plurima immergi ſoleant: vel quaſi πνοτὸς, quod ventis perſpiretur: vel à Ponto illo Nercia Neptuni filio: vel denique, per antiphraſin quod ponte careat. Hæ ſunt Grammaticorum de vocabuli huius notatione opiniones atque ſententiæ. Hoc autem nomen generis per Synecdochen huic mari accommodatur. Cuius hæ quidem cauſæ à Boccatio in lib. de fluminibus, maribus, &c. afferuntur. Quidam, inquit, mare hoc Pontum volunt denominari à Ponto Mithridatis regno: alii quod ſit quaſi breuis punctus, profunditatis illius modicæ habita ratione: alii Pontum idem quod æquor, ad aquarum æqualitatem demonſtrandam: alii quaſi maris impetum, quum tamen Oceanus illo ſit impetuoſior: alii denique idem quod marinum decus. Tandem Boccatius, reiectis repudiatíſque omnibus his opinionibus, mare hoc Pontum dici exiſtimat, vel quaſi Pontem, quod aliquo anni tempore nimia vi frigoris conglaciatum põtis inſtar ſit, tranſitúmque præbeat, vel à potu, quod ob ſuam dulcedinẽ potui ſit accommodatum: de quo infrá. Mihi quidem Strabonis ſententia maximè probatur, qui mare hoc Pontum κατ᾽ ἐξοχὴν vult fuiſſe appellatum, vt Homerus poëta appellatur, propterea quod priſci ſæculi homines ceu alterum quẽdam Oceanum Ponticum pelagus arbitrati ſunt, ita vt qui eouſque nauigarẽt non aliter in exteriora ingredi maria crederentur, quàm ſi extrà columnas Herculis longius producti eſſent. Et certè omnia licet maria admiranda ſint atque ſtupenda Dei opera, tamen hoc mare non modò vaſta ſua magnitudine, verùm etiam vi ſua atque natura ἀξιοθέατον atque θαυμασιώτατον (vt illud Herod. lib. 4, appellat) hoc eſt, ſpectatu admirationéque digniſſimum, meritò generis nomen obtinuit.

Pontus generatim omne mare ſignif.
Etymologia vocabuli.
ἀπὸ τοῦ πόνου.
ἀπὸ τοῦ ποντίζειν.
Quaſi πνοτὸς.
Cur Ponti nomẽ generale mari Euxino ſit attributum.
Variæ opiniones.
Lib. 1. Mare Euxinum Pontus κατ᾽ ἐξοχὴν.
Mare Euxinum alter quidam Oceanus creditur.
Mare Euxinum admirabile.

Idem olim Ἄξενον, hoc eſt, inhoſpitum ſeu inhoſpitale dictum ſecundum illud Ouid. 4. Triſt.

Olim Axenon dictum.

Frigida me cohibent Euxini littora Ponti,
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.

Huiuſmodi autem nomen illi impoſitum partim ob importuoſa illius, vel (vt Ouid. loquitur) portubus orba litora, partim ob vẽtorum atque fluctuum vim & impetum, partim denique ob inhoſpitalem accolarum feritatem, immanitatémque, Scytharum præſertim, qui Dianæ Orchilochæ hoſpites immolare, humanis veſci carnibus, cæſorum capita fani parietibus præfigere, veluti fortium perpetua monumẽta facinorum, ac pro poculis caluariis vti ſoliti fuerũt, Strab. lib. 17. & Plin. lib. 6. Ammianus Marcell. lib. 22. Theocr. Idill. Hylas. φᾶσιν vocat ἄξενον qui fuit Colchidis fluuius. Eaſdem ob cauſas conſimilibus ferè nominibus à Sophocle ἀπόξεινος, à Lycophrone κακόξεινος dictus eſt. Poſtea Εὔξεινος. i. hoſpitalis fuit nuncupatus, cuius nominis duplex affertur ratio. Ammianus Marcellinus lib. 22. à contrario, inquit, per cauillationem Pontus Euxinus appellatur, vt Euethen Græci dicimus ſtultum, & noctem Euphronen, &

Cur Euxinum.

furias Eumenidas. Alij verò sic volunt appellatum, propterea quòd Græci, quũ illius & litora atque loca importuosa, inculta atque vasta antehac portubus, oppidis, aliísque ædificiis, & incolas feritate immanitatéque diros, ciuilioribus, humanioribúsque moribus excoluissent, cum ex Axeno, id est, inhospitali, Euxinum, hoc est, hospitalem, hospitibus atque peregrinis aptum cõmodúmque reddiderunt. Hæc Strabon. lib. 7. & aliorum sententia. Quidam tamen, teste Eustathio, beneficium hoc Herculi ferunt acceptum, qui locis illis purgatis Axeni nomen in Euxinum commutarit. Nonnulli etiam, teste Boccatio, à fluuio quodam Euxio in mare illud influente hoc nomẽ adeptum esse volunt. Hodie vulgò appellant mare maius, ex antiqua nimirum illa fama & opinione, qua Heroum temporibus Euxinum mare, Oceanum quendam arbitrati sunt, de quo paulò anté. Græci nautæ hodie vulgò mare Maurum, id est, nigrum vocãt, vnde & portus quidam Bosporicarum angustiarum Maura moles, hoc est nigra, teste Gyllio, appellatur. Eodem quoque Nigri nomine illud insigniit olim Appianus ob illius profunditatem, quam tamen nominis rationem alii ad cœli caliginosi conditionem, alii ad fluctus referunt. Idem epitheton Apollon. lib. 1. Arg. Ægeo mari tribuit, & teste Eustathio, Eudoxus quoque lib. 4. periodi, & Homerus, vel à Melane filio Phrixi qui in illud incidit: vel à Melane fluuio quodã, qui in illud exoneratur.

Euxinum] quidã ab Euxio fl. dictum volunt. Hodie mare Maius. Nautæ mare Maurũ, i. nigrũ vocant. Maura moles. Cur mare hoc nigrum dicatur. Ægeum mare cur Melan.

Apollon. lib. 4. καυκασίην ἅλα, id est, Caucasiũ mare appellat, quia, interprete Eustathio, Caucaso (cuius montis Arrianus quoque in hac sua epistola meminit) est vicinum. Atque hæc de nominibus.

Euxinum mare Caucasium dictũ & cur.

Nunc de maris huiusce ortu siue principio, progressu, exitu siue ostio dicendum. Ac de illius quidem origine, magna olim inter veteres fuit controuersia. Alij namque illud ab Occidente, freto columnarum, vt id Strabo appellat, siue Gaditano oriri existimarunt, per quod Aristot. lib. de mundo (στενόπορον στόμα appellans) externum mare Atlanticum, siue Oceanum in mare internum ceu in portum quendam influere arbitratur. Alii verò à Septentrione illud suam volunt trahere originem haud improbabili (vt inquit Plin. lib. 4.) argumẽto ducti, quoniam æstus semper è Ponto profluens, nunquam reciprocatur. Illius quidem duos extremos esse terminos, Mœotim nimirum paludem, atque Ægeum mare, inter plerosque ferè scriptores constat, sed vter horum principij, aut finis rationem obtineat, discrepantes atque contrariæ sunt authorũ sententiæ. Alii namque vt Strabo, Dionys. Alexand. Mela, Plinius, & veterum plerique teste Eustathio in Dionys. Ægeum mare principium, caput atque fontẽ Ponti videntur statuere, ita vt illud per Hellespontum primò, deinde Propontidem, tum denique Bosporum Thracium in Pontum Euxinum sese exoneret. At mihi contrà veritati rationíque vicinior illorum videtur esse opinio, in qua Herodotum antiquissimum historicum, necnon Gyllium quoque, testem αὐτόπτην, atque Scaligerum duo literarum lumina esse video, qui loci altioris ratione Ponti principium, quasique caput faciunt celeberrimam illam & amplissimam paludem Mœotidem, hodie à Circassiis mare Zabach dictam, quam Aristot. lib. de mundo μυχαίτατον, hoc est, intimum Ponti recessum appellat. Hinc, teste Plinio atque Dionysio, Scythæ eandem olim Temerinda, quod idem est quod matrem Ponti appellarunt: & Eustathius eandem ob causam quasi μαῖαν, hoc est, Ponti nutricem vult esse dictam. Influit autem illa per Bosporum Cimmerium (qui Mœotidis ostium dicitur) in Pontum. Nam, vt inquit Polybius lib. 4. quum in vtriusq; (Mœotidis nimirum atque Ponti) alueum magni multíque amnes ex Asia defluãt, pluresque & maiores ex Europa, euenit, vt repleta Mœotis per ostium suum in Põtum effundatur, Pontus ipse in Propontidem. Hæc ille. Auctus porrò quum amplissima illa vberrimáque matre sua atque nutrice palude Mœoti, tum mari Caspio (quod alii Hyrcanum quoque teste Q. Curtio, Parthi mare Bachã, Tartari Chuualinscomoriam, & Chelucelan vocant) quòd subterraneis quibusdam & abstrusis meatibus in illud deuol-

Aliud cap. de maris Euxini initio, progressu. De eius origine magna olim controuersia. Alij à mari Gaditano. Alij à Septentrione. Ponti Euxini nulla æstus reciprocatio. Mœotis & Ægeum mare duo sunt maris Euxini extrema. Alij Ægeum mare principium esse volunt. Mœotis potius Ponti principiũ. Mœotidis nomina. Mœotis Põti mater atque nutrix. Sic palus ex qua Hypanis oritur, eiusdem mater dicitur. Herod. lib. 4. Cur Mœotis in Pontum, Pontus in Propontidem effundatur. Mare Caspium siue Hyrcanum.

deuoluitur: tũ deniq; innumerabilibus aliis, vt Arrianus infrà inquit, vt Strabo circiter 40 fluminibus in illud sese exonerantibus vnde πολυμερέςατος ab Arist. videtur esse dictus tādem per Bosporum Thracium priori illi è regione oppositum in Propontidem fertur: sic.n. cum Polybio sensit scripsitque Plinius lib. 2. his verbis, Pontus, inquit, semper extrà meat in Propontidem, introrsus in Pontum nunquam refluo mari: quod, vt paulò ante dixi, idem probabile admodum putat esse argumẽtũ eorum, qui maria omnia interiora illo capite nasci, non Gaditano freto existimant. Strabo lib. 2 (quod tamen aliis me acutioribus diiudicandum relinquo) non sibi videtur cõstare. Nam primo dicit Propontidem effluere in Pontum contra Plinij sententiã paulò ante dictã: deinde paulò post Pontum ait per Bosporum Thracium in Propontidẽ excurrere non secus atque Mœotis per alterum illum Bosporum Cimmerium in Pontum influit: quæ quidem ipsissima est Plinij sententia. Vel forsan maris Propontici, atq; Põtici mutuum quẽdam atque reciprocum fluxum refluxúmque statuit cùm Plinius, vt paulò antè est dictum, Ponti in Propontidem refluxum neget.

Pontus semper extrà meat in Propontidẽ sine reciprocatione.

ἀπορία de Strabonis sententia.

Ad hunc quoque Ponti in Propontidẽ cursum comprobandum non minimi videtur esse momenti Macrobij illa coniectura, quam tamen ille ad aliud propositum affert, ea autem est huiusmodi. Si inquit, in Pontũ vel paleas, vel ligna, seu quæcunque alia natantia proieceris, foras extrà Pontum feruntur in Propontidem atque ita in mare, quod alluit Asiæ oram. Et tamen idem constare dicit maris aquã effluere in Pontum, non effluere de Ponto. Cui cùm illa coniectura aduersetur, hunc nodum sic soluit, vt superficiem Ponti propter aquas quæ de terra dulces influũt foras effluere, eorum verò intrò influxionẽ continuari dicat, sic ille. Ex Propontide autem deinceps in Hellespontum, siue in mare Aegeum excurrit, quod deinde cadit in mediterraneum, à quo, vt testis est quoque Scaliger sursum nullus fit recursus. Adhunc Ponti Euxini per Bosphorũ primò Thracium qui idcirco vulgò Ponti ostium, à Philostrato eiusdem ἐκβολὴ dicitur, deinde Propontidem latum, postremo Hellespontum rursus arctum admirabilem in Aegeum mare cursum fluxúmque quasi depingendum Gyllius duplici (mea quidem sententia) eleganti admodum appositóque simili vtitur. Quemadmodum, inquit ille, magni lacus flumen, aliquot emittere solent: sic Pontus mittit in mare Aegeum veluti flumen maximum in principio angustum (quod Bosporus) in medio magnum (quod Propontis) in fine rursus strictum quod Hellespontus appellatur. Alterum est: Pontus, inquit, exit in Aegeum veluti per meatus cuiusdam animalis, nempe primò per Bosporum quasi per os atque fauces subit in aluum, hoc est Propõtidem, deinde per Hellespontum tanquam per vesicæ fauces delabitur in Aegeum.

Alia coniectura de Ponti cursu in Propontidẽ.

Ponti in Aegeũ mare per Bosporum, Propontidẽ Hellespontũ influxus 2 similibus adumbratur.

Primum simile.

Alterũ simile.

Sequitur tertium caput quod cum præcedenti magnam quandam cognationem, affinitatémq; habet, de illius nimirum figura, siue forma. Mos est (vt inquit Eustath. in Dyonys.) historicorũ vt regiones atque loca similibus quibusdam depingant. Sic. n. Ægyptum Δ triangulo, Alexandriam chlamydi, Italiam hæderæ, Iberiam pelli bouinæ, Naxum ramo vineæ, Peloponnesum platani folio, Sardiniam vestigiis hominis, Cyprum velleri, Lybiã trapezio compararent, & sic de reliquis. Sic eodem modo veteres Pontum Scythico siue Parthico arcui compararunt. Hinc Manlius.

Aliud caput de figura Ponti.

Regionũ loca similibus depingi solita ab auctoribus.

Exempla.

Pontus Scythico arcui similis.

Flac. lib. 4. Atque hac Europã curuis an fractibus angit. Hæc Asiam, scythicum specie simulatus in arcum.

Euxinus Scythicos Pontus sinuatus in arcus.

Cuius similitudinis ratio quò faciliùs atque cõmodiùs intelligatur, scriptorũ quorundam testimonia descriptionésque subiiciã. Plin. lib. 4. c. 12. Deinde (scil. post Bosphorũ Thracium) inquit, vastum mare Põtus Euxinus, qui quondam Axenus, longè refugientes occupat terras, magnóque litorum flexu retrò curuatus in cornua, abhis vtrinq; porrigitur vt sit planè arcus Scythici forma. Medio flexu iũgitur ostio Mœotidis lacus, quod Cimmerius Bosporus appellatur.

Luc. lib. 8. Bosporum, & Scythiæ curuantem littora Pontum. &c.

Plinia na descriptio.

Pomponius Mela. Hic (scil. post Bosporum) iam sese ingens Põtus aperit (ni

Melæ descriptio

si quâ promontoria sunt, huc atque illuc longo, rectóque limite extentus, sinuatus cætera. Sed quia contrà minus, quàm ad læuam & dextram abscessit mollibus fastigiis, donec angustos vtrinque angulos faciat, inflectitur ad formam Scythici arcus, maximè incuruus.

Dyonisii descriptio. Sed illustrior aliquantò videtur esse Dyonis. Alexandrini descriptio interprete Rufo.

Panditur (hîc) Ponti pelagus Titanis ad ortus,
Quod petit obliquo Boream, Solémque meatu.
Hinc atque hinc medio percurrunt æquore colles,
Vnus qui veniens Asiæ de parte Carambis
Dicitur australi, sed contra finibus alter
Prominet Europæ, hunc κρἰυ dixere μετώπον.
Ergò conu eniunt aduersi gurgite tanto
Distantes, quantum ternis transire diebus
Eualeat nauis: bimarem sic æquore Pontum
Aspicias similem cornu quod flectitur arcus
Neruo curuati distento, dextera neruum
Assimilat, recto trahitur nam linea ductu
Extra quam Boream quo scandit sola Carambis
Sed formam cornu geminatis flexibus edit
Littus, quod Pontum cingit sub parte sinistra,
In quam Mœotis penetrans Aquilonis ad axes
Quam Scythicæ gentes circundant vndique ripis.
Et matrem Ponti perhibent Mœotidis vndam.
Scilicet hîc Ponti via exit gurgite vasto
Cimmerium torrens per Bosporum, hîc vbi Taurum
Cimmerij gelidis habitant sub finibus vnum,
Hæc maris est species, splendens hæc forma profundi.

Eustath. interpres claram admodum atque illustrem subiicit descriptionem *Strabonis descriptio.* quæ quoniam maxima ex parte ex Strabone est de prompta, ipsius Strabonis verba latinè versa malui postremò subiicere, quæ sic se habent.

Iuxta hanc (scil. Chersonesum Thraciã) fretum 7. stad. ad Sestum & Abydũ, per quod Ægeum & Hellespontus in aliud ad Septentrionem effluit mare, quod Propontidem appellant. & hoc in aliud, quod Pontum Euxinum nominant. Hunc quodammodo bimarem dicimus. Ad medium námque duo procumbunt promontoria: vnum quidem ab Europa, partibúsque borealibus: alterum ex Asia huic oppositum. Vnde transitus ipse coarctatur intermedius, & ingentia duo efficiuntur maria. Europæ quidem promontorium κρἰυ μέτωπον, id est arietis frontem, appellant: alterum Asiæ Carambim: distant autem à se inuicem circiter stadia 2500. subiicit deinceps ponti quantitatem de qua suo loco. Et paulò pòst. Huius autem ambitus figuram arcui Scythico, dum intenditur plerîque comparant. Neruum dexterioribus Ponti partibus similem faciunt, hoc est autem ab ostio vsque ad Moscuriadis intimum recessum nauigatio. Nam excepta Carambe reliquum omne litus parùm aut prominet, aut recedit, adeò vt rectum videatur. Reliquam verò partem ipsius arcus cornui, geminam habenti incuruationem cõparant: quarum ea superna quidem rotundior, inferna autem rectior est. Sic Pontum geminos volunt efficere sinus, è quibus qui spectat in occasum, longo altero sit rotundior: supra alterum autem illum sinum orientẽ versus, Mœotis palus iacet ad Aquilonẽ stad. 9000. aut paulò plus. quà penes Bosporum Cimmerium in Pontum effluit, hic per Thracium, os Byzantianum dictum) in Propontidem excurrit. Hæc ille. Ex his Strabonis verbis ipsius Ponti non modo forma atque figura, verum etiam Strabonis de Ponti principio atque progressu sententia, paulò ante dicta facilius *Amm. Marcellinus.* intelligi potest. Eandem Ponti figuram, sed longè copiosius Amm. Marcellinus suis quasi coloribus depingit lib. 22. in qua Scythici vel Parthici arcus descriptio elegans cõtinetur, quam subiicere volui. Cùm arcus, inquit, omnium

gentium

gentium flexis curuentur hastilibus, Scythici soli vel Parthici circunductis vtrinque introrsus pandis, & patulis cornibus effigiem lunæ decrescẽtis ostendunt, medietatem recta & rotunda regula diuidẽte, hæc ille. Verum ad huiusmodi figuram plenius atque perfectius intelligendam operæpretium fuerit maris huiusce tabulam pictam inspicere.

Arcus Scythici forma cuiusmodi

Nunc consequens est, vt de vastissimi huiusce pelagi quantitate, hoc est ambitu, longitudine, latitudine, profunditate probatæ fidei scriptorum testimonia quæ quidem mihi cognita sunt, subiiciam. Simul quoque de paludis Mœotidis, Bospori Cimmerij atque Thracij Propontidis, Hellesponti (quæ quidem omnia Ponto Euxino affinia sunt atque coniuncta) quantitate dicemus. Ac Mœotis quidem (vt inde ceu à principio Ponti exordiamur) quam Herodotus non multò minorẽ Ponto esse affirmat circuitus Polybio lib. 4. atque Straboni lib. 7. est octo millium stadiorum, Arriano nostro in hac ipsa epistola 9000. Quidam teste Plinio, lib. 4. c. 12. XIIII. VI. M. pass. alij XI. XXV. M. esse volunt. Lõgitudo ab eius ostio ad Tanais ostiũ Plinio ccclxxv. M. pass. Æneæ Syluio 300. M. pass. altitudo secundum Polybs. vel ad summum 7. vlnarum. Bospori autem Cimmerij (qui Mœotidis est ostium) latitudo quidem Polybio est XXX stad. Plinio M. M. D. pass. vno quidem in loco (vbi Hermolao secundum Polybij mensurã videtur corrigendum III M. D. pas.) altero verò in loco eodẽ in c. 12. lib. 4. sunt XII. M. D. pass. Longitudo autem Polybio est lx. stad. quem vbique ait esse vadosum: Plinio per Mœotin, vt ille inquit, ab extremo Isthmo qui locus Taphræ vocatur, ad os Bospori cclx m. pass. longitudo colligitur. Straboni verò est 70 stad. Ab hoc denique Bosporo vsque ad alterum ei oppositum directo cursu Polybio est D. M. pass. interuallum vt testatur quoque Plinius.

Aliud caput de Ponti quãtitate.

Mœotidis quãtitas.

Bospori Cimmerij quantitas.

Hinc Pontus Euxinus, cuius circuitum seu ambitum Polybius vult esse circiter XXII mille stad. Strabo XXV. M. stad. Eratosthenes, Hecataus, Melonitus & alij, teste Amm. Marcellino XXIII mill. stad. Varro, teste Plinio, aliíque veteres vicies semel centena quinquaginta M. pass. Nepos Cornelius. ccc. M. L. adiicit. Artemidorus vicies nouies centena XIX. M. Agrippa XXIII. LX. M. Mutianus XXVIII, LXV. M.

Longitudo eius Herodoto maxima quidem à faucibus Ponti ad Phasim, est nouem dierum & octo noctium, nauigatio. hoc est, passuum quidem mille centum, ac decem millia: stadiorum verò vndecim millia ac centum. Nam lõgo die vult omnino 70 millia pass. nocte verò 60. nauigando posse cõfici. Strabo lib. 2. Spectans inquit, in occasum pelagus è Byzantio vsque in Borysthenis eruptiones, lõgitudinem habet trium millium octingentũ: in orientẽ verò spectans pars continet longitudinem, & in angustũ finitur recessum, qui ad Dioscuriadẽ pertinet ad stadia millia quinque, aut paulò plura. A Bosporo vt testis est Plin. lib. 6. c. 1. ad Mœotium lacum quidam fecere XIIII. XXXVIII. M. D. pass. Eratosthenes C. minorem. Agrippa à Chalcedone ad Phasim X. M. Inde ad Bosporum Cimmerium CCCLX. M.

Ponti longitudo.

Latitudo maxima secundum Herodotum est è Scythica ad Themiscyram, super Thermodontem positum, trium dierum, duarúmque noctium nauigatio, hoc est, passuũ trecenta ac tria millia, stadiorum verò tria millia, ac trecenta & hoc secundum mensúram dierum ac noctium paulò ante dictam. Strabo occasum versus duum millium, oriẽtem versus trium millium eius vult esse latitudinẽ. Quoad verò eius profunditatem, siue altitudinem. Appianus eũ nigrum appellat nimiæ profunditatis ratione vt nõnulli volunt. At verò Mela Pontum non nimis profundum, atque idcirco feruentem fluctuosúmque esse dicit. Ammianus quoque eundem vadosum esse ait, ob quam modicam eius profunditatem nonnulli teste Boccatio (quæ tamen insulsa nimis videtur esse notatio) Pontum quasi punctum voluerunt esse dictum. Modicæ autẽ huiusce

Ponti latitudo.

Ponti altitudo ac profunditas.

Pontus modicè profundum.

An Pontus, vt quidam volunt in paludem sit conuertendus.

atque vadosæ altitudinis causam nonnulli esse volunt fluminum, quæ in eum assiduo perenníque cursu deuoluũtur, multitudinem, quæ quidem ligna, lapides, arenas, aliámque huiusmodi materiam secum deferentia, eum impleant, vadúmque eius vel Aegeo mari exaggeratiorem reddant. Hinc quoque futurum nonnulli existimant, vt & Mœotis consimilem ob causam exsiccanda, ac Pontus tandem in paludem sit conuertendus, id quod vehementer affirmat Polyb. lib. 4. At contrà ex Strabone lib. 1. disputat Gyllius lib. 2. de Bosporo Thracio, cuius inter alia hæc, quantum ego iudicare possum, firma admodum sunt contra opinionem illam argumenta. Quòd, inquit ille, dicunt vadum Ponti minus altum quàm maris Aegei, idcirco tardius Pontum existimo paludem fore, quàm si magna altitudine esset. Nam vt fluminum lubrici congestus assidui Ponticum vadum sublimius reddiderint, sic Pontus in sublime elatus decliuior delabitur in Aegeum, & quantò hinc atque illinc fit pressior, tantò celerior in Bosporum deuoluitur. Quòd si in minorem altitudinem Aegeum mare deprimeretur, quàm Pontus, eò putarim Pontum exaggeratiorem fore repulsante Aegei vado eminentiore. Hoc primum est illius argumentum vrgentissimum. Sequitur alterum. Antequam Ponti os apertum esset facilius exaggerari debuit Pontus, cùm vndique circumclusus esset montibus, at tum infinitis sæculis exaggeratus non est. Eo minus igitur nunc exaggerabitur, cùm habet exitum, per quem continenter tantum possit efferri, quantum infertur. Atsi vadum magis alleuaretur, tamen palus non fieret. Vt. n. illud euelleretur, ita Pontus assurgeret, præsertim infinitis fluminibus actus & eminentibus mõtibus clausus. Hæc atque alia huiusmodi affert Gyllius ad hanc Polybij opinionem refellendam, licet eam temporis quoque diuturnitas quod inter Polybij & nostram ætatem intercesit, satis supérque refutet. Nam tanto temporis interuallo, vt ipsa docet experientia, neque Mœotis, neque Ponti huius altitudo vlla vel accessione, vel decessione fuit immutata. Plin. lib. 2. c. 102, testatur Fabium asserere altissimum mare 15 esse stadior. alios verò in Ponto ex aduerso Coraxorum gentis. (vocant Bathea Ponti) 300 ferè à continenti stadiis immensam altitudinem maris tradere, vadis nunquam repertis. Atque hæc de Ponti Euxini proprie dicti quantitate. Nunc de Bospori Thracij, Propontidis, ac Hellesponti quibus veluti canalibus Pontus in Aegeum mare defertur, quædam dicamus.

Bospori Thracij latitudo.

Bospori Thracij (quod Ponti est os, siue ostium) latitudinem Plinius esse ait D. pass. quà Darius pater Xerxis copias ponte transuexit, quæque Asiã ab Europa separat. Herod. & alij, quatuor aut. quinque simpliciter stad. eam definiũt. Polyb. latitudinem eius non vbique eandem esse tradit. Nam à Propontide quidem, quod inter Chalcedonem & Byzantium spatij est, quatuordecim continet stadia: à Ponto verò, quod fanum appellamus (vbi primùm Iason, cùm ex Colchis rediret, duodecim diis fertur sacrificasse) in Asia positum, decem stad. distat ab Europa. Interuallum autem illud inter Chalcedonem ac Byzantium Polyb. quatuordecim stad. facit. Antoninus Pius in suo itinere, quatuor M. pass. Strab. πεντεκαίδεκα ϛάδιον. i. quindecim stad. esse affirmat. Longitudo eius Polyb. est centum viginti stad. eadem & Herod. Verũ de toto hoc Bosporo vide Gyllij acutissimum, doctissimúmque librum.

Bospori Thracij longitudo.

Propontidis lõgitudo & latitudo

Propontidis, vbi (vt inquit. Plin.) mare sese dilatat, & expatiatur, longitudo (quam etiam longam Ouid. cognominat) secundum Herodotum est 1400, secundum Strabonem, à Troade nimirum vsque ad Byzantiũ 150 stad. Latitudo 500 stad. Herodoto, quam Strabo longitudini parem ferè vult esse & æqualem Hellesponti, vbi rursus in arctum coit maris laxitas, latitudo quidem octingentorum septuagintaquinque pass. vel vt idem simul & Herodotus affirmant septem stad. vbi strictissimæ quidem eius sunt angustiæ Asiam ab Europa dirimentes, quà Xerxes persarum Rex cõstrato in nauibus ponte exercitum traduxit

Hellesponti latitudo.

duxit. Longitudo autem eius est Herod. c c c c. stad. *Longitudo.*

Nunc ad aliud caput, cœli nimirum siue aëris Pontici conditionem explicandam aggrediamur. Pomp. Mela Pontum dicit esse nubilosum: cui astipulatur quoque illud Flacci, *Pontici cœli conditio.*

Illic vmbrosæ semper stant æquore nubes.
Et incerta dies.— *Pontus nubilus.*

Certè, id quod ipsa docet experientia, ita Pontus frequenti, densáque caligine circumfundi solet, vt non modò litora vectores, sed ne gubernator quidem in puppi stans, proram videre possit. Quam sanè ob causam meritò & ab Appiano, & hodie à nautis vulgò mare Maurum, hoc est nigrum appellatur. Hinc Apoll. ἠερόεν σόμα πόντυ, hoc est caliginosum vocat: nam idem vniuerso Ponto conuenit. *Mare Maurum idcirco dicitur.*

Præterea cùm teste Plinio lib. 2, cap. 47. peculiares sint quibusque gentibus venti qui in hoc quidem mari, atque adeo vniuersa hac regione Pontica dominantur sunt Boreæ siue Aquilones: vnde frigus ingens atque intolerabile quo regio hęc vexatur. de quo Ouid. in suis illis Tristium, & de Ponto epistolis, sæpissimè acerbissiméque conqueritur. Hinc Mela Pontum Aquilonibus vicinum esse, Ammianus Marcellinus ab iisdem ita ait cædi, vt cōgeletur. Ouidius qui hoc ipsum fuit expertus, sic quadam in epistola lugubriter certè canit, *Venti. Boreas in Ponto dominatur.*

Crede tamen, nec te causam nescire sinemus,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems.
Proxima sunt nobis plaustri præbentia formam.
Et quæ præcipuum frigora sydus habent.
Hîc oritur Boreas, oræq; domesticus huic est,
Et sumit vires à propiore loco,
At Notus aduerso tepidus qui spirat ab axe.
Est procul, & rarus, languidiórque venit.

Innumerabilia eiusdem hac de re testimonia atque querelæ, lugubres illius, quas in exilio illo Getico scripsit, epistolæ, continent.

Arrianus noster in epistola sua cùm Euri, Noti, atque Libos, tum verò atque imprimis, ac sæpius Boreæ, necnon Thrasciæ (quem in Græcia ait Scironem nuncupari) & Aparetiæ (qui ipsi quoque venti sunt Septētrionales) mentionē facit. Quæstio hîc quoque moueri possit, quomodo Pontus nubibus plærūque obductus sit ac circumfusus, quum Boreas, qui dominatum ibi obtinet, nubes potius dissipandi, quàm concitandi colligendíque vim habeat: quam etiam ob causam à Poëtis sudificus, nubifugus, viarum scopa, atque scoparius dicitur. Responderi forsan non incommodè possit ventos sæpe pro locorum diuerso situ sua & nomina & vires immutare. Sic enim ipse quoque Plinius testis est libro 2. cap. 47. In Affrica Austrum quidem (quem nebulosum, humidum, pluuiarum pincernam esse constat) serenum, Aquilonem contrà nubilum esse. Non mirum igitur si in hoc tam crasso cœlo Pōtico similiter suam vim atque naturam immutet. Sciendum quoque est ventos Etesias, quibus Argonautæ, teste Apollonio lib. 2, aliquandiu fuerunt retenti (sunt enim vt Eustath. interpres Apoll. docet, nauigantibus in Pontum contrarii) in Ponto quidem esse Boreas à Septentrione spirantes, in Græcia Zephyros, quemadmodum cum Eustathio docet Plin. loco supra dicto. In Hispania & Asia, inquit, ab Oriente est flatus eorum, in Pōto ab Aquilone, & reliquis in partibus à Meridie. Hos autem ventos Apollonius Iouis auras appellans quadraginta, alii (vt Timosthenes teste Eustathio) quinquaginta dies volunt flare, incipientes enim cum Sole in fine Cancri, flant per totum Leonem, & desinunt in media Virgine. His interea dum Argonautæ retinebantur, vt paulò antea dictum est, Phineus apud Apollonium Argonautis explicat, quomodo Aristeus Ioui Ἰκμαίῳ cùm, cæterorum ventorum, tum Etesiarum aram erexerit in Coo insula, propterea quòd Etesiæ à Ioue dantur ad refrigerandos calores. Vnde postea Cois sancita *Quæstio cur Pontus nubilus cùm Boreas in eo dominetur. Solutio. Ventorū pro locorū diuersitate, diuersæ vices. Venti Etesiæ in Ponto Boreæ. Etesiarum flatus in Ponto ab Aquilone. Etesiæ quando flare incipiant, aut desinant. Etesiarum ara.*

Etesiarum sacrificia. *Etesiæ Iouis venti.* *Vt frigora ita æstus in Ponto cur intenti.* *Clima διὰ Πόντου.*

tum fuit lege quotannis cum armis obseruare exortum caniculæ, ipsique sacrificare, à qua venti Etesiæ flare incipiunt ad refrigerandam terræ siccitatẽ. Hæc Apoll. & eius interpres Eustath. Quemadmodum autem frigora, ita æstus quoque in Ponto solent esse intentiores: de quo sic Aristot. in suis problematis, An quia aër regionis illius sua crassitudine nec hyeme tepescere, nec æstate refrigerari potest. An propter variũ Solis cursum, recedit enim per hyemem, accedit per æstatem. Huc quoque videtur pertinere descriptio climatis διὰ Πόντου, hoc est, per Ponticum mare, non sicut iuniores per Borysthenem, quum eam minimè attingat. Hoc sextum Geographi faciunt, cuius maxima dies sit octodecim horarum, cum dimidia, & quarta. Vt septimum, idem, διὰ βορυσθενέως, idem, per eiusdem nominis ciuitatem maximam dies habet sexdecim horas cum quarta.

Aliud caput de qualitate. *Mare hoc fluctuosum.*

Sequitur nunc aliud caput, de maris huiusce qualitate. Mela Pontum atrocem, raris stationibus, non molli, neque arenoso litore circundatum, & quia non est profundus, fluctuosum atque feruentem dicit esse. Mare hoc non modò celebres illi Argonautæ olim, vt testis est Apoll. lib. 2. noster quoq; Arrianus, vt in hac sua epistola significat, verùm etiam hodie quoque nautæ ac mercatores (à quibus creberrimè frequentatur) Πιελκλήσον vt Dionysius, hoc est, vt Mela notat, fluctuosum esse, cum summo vitæ suæ periculo atque discrimine, experiuntur. In causa est partim ipsius modica admodum profunditas, teste Mela, partim Boreę illius assiduè in hoc mari reboantis, atque grassantis, cæterorúmque violentissimorum ventorum Septentrionalium vis atque ferocia, quibus venari agitarique consueuit.

Color.

Color illius albus est. Hinc νιφόεις Πόντος. i. niualis, siue candidus Pontus à Theocryto Idyll. Dioscuri videtur appellatus,

> Ἀργὼ καὶ νιφόεντος ἀταρπηδὸν στόμα Πόντου.

De quo sic Ouid.

> *Quinetiam stagno similis, pigræq; paludi*
> *Cœruleus vix est, diluitúrq; color.*

Pontus fit stagno similis. *Aristot. Probl. Cur Pontus candidior mari Ægeo.* *Pontus in lacus speciem prope transit.* *Fluminum & maris picturæ.*

His verbis significat mare Ponticum ob tot flumina ipsum ingrediẽtia stagno simile fieri, nec modò vires, verùm etiam colorem suum mutare. Est enim similis colore lacui. Quærit Aristot. in Problemat. cur mare Ponticum candidius sit, quàm mare Ægeum, & inter reliquas rationes hanc quoque affert, quam hic etiam Ouidius exprimit. Dicit enim hoc ideò accidere quod lacus omnes mari sint candidiores. Pontus autem in lacus speciem propemodum transit, eò quod multi in eum fluuij influant. Nec verò mari solùm candidior lacus est, verùm etiam fluuiis. Vnde pictores flumina pallida, mare cœruleum, lacum candidum pingere non ineptè consueuere. Quod itaque & ab Appiano, & hodie à nautis mare nigrum dicitur, non ad illius colorem, vel profunditatem, sed cœli conditionem referendum esse suprà dixi. Nolo etiam hîc silentio præterire mare quoddam calcis instar album esse in maiore Hispania ad portum S. Crucis, cuius quidem Franciscus Olloas in sua nauigatione Italicè conscripta mentionem facit.

Ponti sapor. *Pontus cæteris æquoribus dulcior.* *Caspium mare Curtius vult cæteris esse dulcius.* *Maria vnde dicta.*

Nunc de Pontici maris sapore quoque nonnulla dicamus, in quibus alia quoque nonnulla ad eius qualitatem pertinentia, continebuntur. Ac mare quidem hoc cæteris ferè omnibus dulcius esse, Polybius, Strabo, Plinius, Sallustius, Marcellinus, Arrianus noster, cæterique ferè scriptores omnes vnanimi consensu affirmant. Vnus Q. Curtius lib. 6. suæ historiæ mari Caspio hoc tribuit, quod ob perennem Mœotidis in ipsum influxum cæteris dulcius esse dicit. Nam aliâs maria (vnde etiam Latinè Grammaticis videntur esse dicta) salsa esse & sensus & ratio docet, de cuius salsuginis causa pluribus disputãt philosophi. Non videtur hic silentio prætereunda Scaligeri doctissimi acutissimíque Philosophi sententia, qui quemuis Christianum verè dicere posse existimat,

mat, vniuersum mare ab initio quum creatum fuit, dulce extitisse: à tempore autem additam salsedinem propter tenuiorum partium ablationẽ. Hæc ille in illo suo libro contra Cardani subtilitates, exercitatione 53. Ibidem paulò post, Videtur, inquit, idem mare non idem esse nunc, quod olim fuit. Necesse enim est omnino eius partes aliquando vel ex fluminibus, vel in exhalationibus fuisse dulces. Gyllius in sua illa Bospori Thracii descriptione, cùm Bosporus sit dulcissimus, & Pontus Ægeo longè dulcior, inde certò effici posse existimat, ipsum Bosporum ex Ponti, non autem Ægei maris accessu fieri. Dulcedinis autem huiusce maris Euxini causa est, teste Strabone, Ouidio, Arriano, & aliis, copia plurimorum, & maximorum fluminum in illud sese exonerantium. Sic Petrus Martyr Mediolanensis in historia sua Indiæ Occidentalis, in prouincia quadam eius regionis Mariatambal dicta, se inuenisse testatur mare, quoddã aquæ dulcis ob flumina magno cum impetu ex altissimis montibus in illud decurrentia. Plurimum autem imprimis momenti atque ponderis ad hanc dulcedinem videtur afferre palus illa Mœotis, aperto suo in illud influxu, quæ, teste Herodoto, non multò minor est Ponto: teste Polybio, tantò dulcior est Põto (cui ab initio sapore fuit simillima) quanto ipse Pontus mari externo: quæ denique (secundum Q. Curtium) ipsum quoque mare Caspium, in quod decurrit, cæteris dulcius efficit. Quum igitur præter tot tantáque flumina (quæ Strabo circiter quadraginta vult esse) ipsa quoque & palus Mœotis, aperto cursu, & mare Caspium, quod Mœotis infuso humore Q. Curtius præ cæteris dulcescere testatur, occultis quibusdam abstrusisque meatibus, vt pleriq; volunt, in hoc mare deuoluantur, non mirùm profectò est ipsum dulcedine cæteris omnibus antecellere. Altera quoque probabilis eiusdem dulcedinis ratio videtur afferri posse à Sole petita, cuius in illis Septẽtrionalibus regionibus, nõ directi, sed obliqui radij minorem certè maris illius tenuiores partes resoluendi, adurendíque vim obtinet, quò sanè fit, vt dulcius cæteris maneat. Nec tamen existimandum ὅλον δι᾽ ὅλον, vt ita loquar, mare hoc dulce esse, sed partem tantùm eius supernam, infernam autem salsam: quod idem de Phaside infrà probat Arrianus. Hinc Ouidius enumerans aliquot nobiles fluuios, qui in hoc mare decurrunt, cuiusmodi sunt Lycus, Sagaris, Penius, Hypanis, Crates, Halys, Parthenius, Cynapes, Thermodon, Phasis, Borysthenes, Dryaspes, Melanthus, Tanais, Danubius, tandem concludens ait,

Mare omne ab initio creationis fuisse dulce. Vnde salsedo.

Dulcedo Ponti vnde.

Palus Mœotis causa præcipua dulcedinis.

Mœotis mare Caspium dulce reddit.

Ponti pars superna dulcis, inferna salsa.

Fluuij nonnulli in Pontum sese exonerantes.

Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas,
Nec patitur vires æquor habere suas.
Innatat vnda freto dulcis, leuiórque marina est
Quæ proprium mixto de sale pondus habet.

Idem Plinius de omni mari affirmat, summam æquorum aquam dulciorem esse dicens profunda. Huius autem duplex videtur afferri posse ratio. Vna à leuitate, nam dulcia omnia, quia leuiora, sursum tendunt: at salsa, quia magis terrestria, atque concreta, ac per consequens grauiora, imum petunt. Altera à motu, nam quia superna aqua magis mouetur, idcirco est dulcior. Hinc Aristot. quoque maris partem, terræ proximam dulciorem esse affirmat, vel quia frequentius mouetur (salsus enim humor motu fit dulcior) vel quia in profundo salsior aqua est, minus autem alta, quæ est proximè terram. Quamobrem quæ statim à terra præcipiti altitudine descendit, salsa est, nec tantum potest reddere dulcedinis, quippe quum salsa suo pondere potius in imum deferantur. Profluẽtes aquas idem Philosophus ideò dulcescere opinatur, quia per terram assiduè percolentur, quicquid grauius est, semper in imo subsidente. Non profluere autem salsiores aquas ob grauitatem, quum omne graue sit stabile. Calidas tamen quantumuis salsas profluere, propterea quod in iis salsuginis pondus, caloris leuitas vincit, ac superat. Illam tamen Plinij sententiam perspicuè falsam esse, cõtráque superius mare salsius esse, atque calidius, quàm

Plinius omnis maris partem superiorem dulciorem affirmat.

Ratio huius duplex.

Cur maris pars terræ proxima dulcior.

Profluentes aquæ cur dulcescant.

Aquæ salsiores non profluunt.

Calidæ cùm salsæ cur profluant.

Contra Plinij sententiam Cœlius imam partem superiore vult esse dulciorem. inferius. Aristotelicis argumentis demonstrari posse, ait Cœlius Rhod. lib. 26. cap. 16. Nam primò in puteis quoque potui idoneis partem supernam salsiorẽ esse, quàm sit ima. Deinde partem superiorem aquarum, quæ eadem & leuior sit ac dulcior, vi Solis absumi, quam suam vim cùm sol in partem inferiorem aquarum, ceu remotiorem non tam validè possit exercere, hinc fieri, vt aqua maris ima dulcior maneat. Hæc Cœlii ratio atque opinio quanti sit facienda doctioribus relinquo dijudicandum: mihi quidem prior illa Plinii aliorúmque sententia & rationibus commemoratis, & ipso sensu experientiáq; comprobata, magis arridet. *Maris aqua in imo dulcis.* Scaliger tamen in loco proximè citato, maris aquam, inquit, in imo dulcem esse aiũt. *Ponti sapor dulcis salsus.* Est itaque marinæ huius aquæ sapor partim dulcis, partim salsus, ita vt minimè sit mirum eam (quo quidem argumento infrà Arrianus ad dulcedinem eius comprobandam vtitur) animalium potui esse *Aquam nutrire quodammodo.* accommodatam, ita vt animalia plurimùm ea iuuentur. Nam primò quidem ipsam quoque aquam nutriendi vim quandam obtinere summus ille polyhystor Athenæus (omissis aliis testimoniis) lib. 2. cap. 2. Dipnosoph. ex philosophorum quorundam opinione probat: quam tamen per se quidem non alere Scaliger contra Cardanum, exercitatione 39. ex Aristot. lib. 2. de generat. testimonio confirmat. Iam verò quemadmodum ea quæ vel merè sunt salsa, vel nimium dulcia, ob immoderatam nimiam vim resoluendi, ad nutritionem minimè sunt accommodata: ita duo hi sapores siue in cibo, siue in potu quasi tẽperata quadam moderatáque societate (vt in hac maris Pontici aqua) coniun- *Cur Pontica aqua potatu pecoribus vtilis.* cti egregias sibi mutuas, vt ita loquar, ad bonam commodámque nutritionem vidētur operas tradere. Nam quum dulcia per se ex omnium medicorum sen- *Dulcia nutriũt.* tentia præ cæteris saporibus omnibus principem nutriendi vim atque efficaciã *Salsa quam vim habeant.* habeant, cui dubium esse possit, quin salsa, quæ (vt medici tradunt) suapte natura terrena, grauia, calida, amaris proxima (nisi quòd minus, quam illa sunt siccata atque extenuata) atque hinc quidem digerendi, extenuandi, detergendi, illius adstringendi, atque densandi, denique siccandi, atque à putrilagine vindicandi vi prædita si dulcibus fuerint mixta atque cõtemperata, quasi cumulum quendam bonæ nutritionis afferant? Quamobrem minimè profectò mirum Pontica hac dulcisalsa aqua & pecora, quibus illa potanda præbetur (vt testis est Arrianus noster) plurimum iuuari, & eius incolas pisces, quàm pinguissimos euadere, vt infrà dicetur. Hinc Galenus quoque Ponticos homi- *Ponticus sapor medicorum.* nes pingues esse ait. Videtur mihi quoque Ponticus ille sapor medicorum, qui & acerbus dicitur, Gręcè στρυφνὸς, subausterus siue austero proximus, quo pyra, corna, cotonea mala, & alia nondum matura prædita sunt, astringendi, siccandi, exasperandíque vim habens, teste Galeno, ab hoc maris Euxini sapore po- *Pontus quia dulcis congelationi obnoxius.* tissimum fuisse nominatus. Huius præterea dulcedinis maris Euxini alius quoque est effectus, nimirum congelatio, à qua cætera quidem maria sunt immu- *Maria non congelantur.* nia. Cur autem flumina congelentur, non item maria, causam reddit Gall. lib. 17. cap. 8. vbi quæ sunt calidiora difficilius gelu cogi, contrà quæ leuiora faci- *Ponti congelatio eiusdem dulcedinis argumentũ.* liora ad coëundum ait videri. Hac ipsa quoque congelatione ceu argumento à posteriori, seu effectu certissimo plerîque ad maris huius dulcedinem conuincendam vtuntur, quum salsa, suapte natura ab huiusmodi accidente, sint immunia, dulcia verò potissimum ei obnoxia, vt Gellius & alii pluribus docẽt. *Põtum superiore tãtum parte cõgelari.* Atque idcirco mare hoc superiore tantum parte, qua dulcis est, inferiore autẽ qua salsa, minime congelari, Ouidius atque Macrobius testes sunt. Sic enim Ouid. lib. 3. de Ponto, epistol. 1,

> *Tu glacie freta iuncta tenes, & in æquore piscis.*
> *Inclusus tecta sæpe natauit aqua.*

hoc est, superius congelata vagatur per mare. *Aquam marinã non congelari.* Sed clarius adhuc Macrobius idem lib. 7. Saturnal. cap. 12. his verbis significat. Aqua marina, inquit, quæ ipsa quoque amaritudine sui aspera est, nunquam gelu contrahitur. Nam quod Herodotus

historiarum

historiarum scriptor contra omnium fermè, qui hæc quæsierunt opinionem, scripsit, mare Bosporicum, quod & Cimmerium appellat, earúmque partium mare omne, quod Scythicum dicitur, gelu constringi & consistere: aliter est, ac putatur. Nam non marina aqua contrahitur, sed quia plurimum in illis regionibus fluuiorum est & paludum in ipsa maria influentium, superficies maris (cui dulces aquæ innatant) congelascit, & incolumi aqua marina videtur in mari gelu, sed de aduenis vndis coactum. Hoc & in Pōto fieri videmus, in quo frusta quædam, & (vt ita dixerim) superficies gelidæ feruntur, contracta de fluuialium, uel palustrium vndarum multitudine, in quas licet frigore concretæ, tamen sunt natantes quasi leuiores marina. Plurimum autem aquarum talium influere Ponto, & totam superficiem eius infectam esse dulci liquore, vnde Salustius ait, Mare Ponticum dulcius esse quàm cætera. Est hoc quoque testimonio. Quòd si in Pontum, vel paleas, vel ligna, seu quæcunque alia natantia proieceris, foras extra Pontum feruntur in Propontidem, atque ita in mare quod alluit Asiæ oram, quum constet in Pontum effluere maris aquam, non effluere de Ponto. Meatus enim qui solus de Oceano receptas in maria nostra transmittit, in freto est Gaditano, quod Hispaniam, Africámque interiacet: & sine dubio inundatio ipsa per Hispaniense & Gallicanum litora in Thyrrhenum prodit, inde Adriaticum mare facit. Ex quo dextra in Parthenium, lęua in Ionium, & directum in Ægeum pergit, atque ita ingreditur in Pontum. Quæ igitur ratio facit vt riuatim aquæ de Ponto fluant, quum foris influētes aquas Pontus accipiat? Sed constat vtraque ratio. Nam superficies Ponti propter nimias aquas, quæ de terra dulces influunt, foras efluit: deorsum verò intrò pergit influxio. Vnde probatum est, natantia quæ (vt suprà dixi) iaciuntur in Pontum, foras pelli. Si verò columna deciderit, introrsum innare. Et hoc vsu sæpe probatum est, vt grauiora quæque in fundo Propontidis ad Ponti interiora pellantur. Hæc est ergo Macrobij de maris huius congelatione sententia, cui Ouidius (vti dixi) astipulatur. Illa verò quæ de Ægei maris in Pontum influxu ex veterum multorum sententia scribit, aliorum (vt suprà dixi) doctissimorum virorum authoritatibus rationibúsque refelluntur. Huius autem congelationis non modò amnes dulces in illud influentes, uerùm etiam intolerabilē vim frigoris, vētorumque Septentrionalium frigidissimorum, testis est Ouid. plurimis in locis, vt lib. 4. de Ponto, Epist. 10.

Mare Bosporicū, Cimmericū, Scythicum.
Idem Gall. libro 17. c. 8.
Ponti aquam superiorem, nō infimam congelari.
Ponti superficies infecta dulci liquore.
Hinc colligitur Pontum ferri in Propontidem.
Nō constat quod hîc Macrob. pro certo affirmat.
Gaditanū mare.
Hispaniense.
Gallicanum,
Thyrrhenum,
Adriaticum.
Parthenium,
Ionium,
Ægeum.
Congelationis Ponti causa quoque est frigus ingens, ventique frigidi.
Ouid. testimoniū

Crede tamen: nec te causam nescire sinemus
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems.
Proxima sunt nobis plaustri præbentia formam,
Et quæ præcipuum frigora sydus habent.
Hic oritur Boreas, &c.

Paulò pòst subiungitur alterum.

Adde quòd hîc clauso miscentur flumina Ponto,
Vimque fretum multo perdit ab amne suam.
Huc Lycus, huc Sagaris, Peneúsque, Hypanísque, &c.

Tandem concludens ait,

Copia tot laticum, quas auget, adulterat vndas,
Nec patitur vires æquor habere suas.

Sic Ammianus Marcellinus libro 22. Quicquid autem, inquit, eiusdem Pontici sinus Aquilone cæditur, & pruinis, ita perstringitur gelu, vt nec amniū cursus subteruolui credantur, nec per infidum, & labile solum gressus hominis possit, vel iumenti firmari, quod vitium nunquam mare sincerum, sed permixtū aquis amnicis tentat. Hæc ille. Congelationis cuiusdā monstrosæ Gyllius meminit libro 1. de Bosporo Thracio. Bosporum etiam, inquit ille, percipio similiter dulcem esse. Totus enim aliquando conglaciauit tempore Copronymi, Anno. n. à Christo concepto 756. hyems fuit perfrigida, acerrimáq; & gelu maximum. vt Ponti Euxini ora maritima in latitudinem centum milliarium gla-

Marcellini testimonium de Ponti congelatione.
Congelationis Ponti monstrosæ exemplum.
Tempore Copronymi.

ciei rigore in lapidis duritiem conuersa sit: glaciésque à summo mari ad profundum crassa extiterit triginta cubita. Præterea quum eiusmodi glacies fuisset niue tecta, creuit viginti alia cubita ita mare, vt continenti assimilaretur, & pedibus calcaretur hominum, cæterorúmque animalium mansuetorum & agrestium, à Zicchia ad Danubium, & reliqua ora maritima vsque ad Messombrium, vt Bosporum Thracium vltrò citróque transirent iumenta onusta, & boues plaustra onusta trahentes. Deinde Februario mense glacies in plurimas sectiones collibus, & insulis multorum iugerum similes, & pares disrupta, & ventorum vi Byzantium per Bosporum acta in Propontidem, & in Hellespontum, in quibus essent animalia mansueta & agrestia, viua & mortua gelu constricta. Ex his glaciei sectionibus, quędam in Acropolim Byzantii impacta contriuit gradus, quibus è mari in vrbem ascendebatur. Alia glaciei sectio ingentis molis ad murum allisa, illum magno impulsu concussit, vt non modò muri, verùm etiam domus vicinæ labefactarentur. Atque alia prægrandis glaciei moles à Manganis ad Bosporium portum, hoc est, primū collem olim Byzantium, nunc Regis claustrum cinxit, cuius altitudo muros superabat. Equidem ipse vnam & alteram hyemem Byzantii frigidam sensi, seméque & iterū vidi Bospori sinum nominatum Cornu, ab ostiis fluminum ad Galatam conglaciasse, non quidem glacie quę sustineret homines, sed tamen tanta, vt scaphæ vltrò citróque commeare non possent, nisi remis antè glacies frāgeretur. Hæc ille. Dulcedinis denique huiusce quo Pontus Euxinus excellit effectus fructúsque optimus est vberrima piscium copia, qua Pontus redundat, vt infrà dicetur. Omnes enim pisces etiam cæterorum marium incolas non salsa, sed dulci (quæ intra salsam continetur) aqua nutriri ex Aristotele atque Theophrasto probat Ælianus libro 9. cap. 64. Idem Empedoclem quoque Agrigentinum dicit affirmare aliquam dulcem, non omnibus notam, in mari aquam esse, qua pisces nutriantur. Potabilem denique in omni mari aquam esse, Aristoteles hoc experimento docet: Siquis concauum, inquit, è cera vas tenui opere finxerit, atque in mare demiserit inane, aliunde appensum, vt aquā trāsmittere queat, die ac nocte vna dulciculo ac potabili humore complebitur. Hæc Ælianus ab Aristotele. Atque hæc quidem habui in præsentiarum, quę de maris huiusce qualitate dicerem, quibus quasi colophonis loco addam Scaligeri, illam breuem atque illustrem eiusdem qualitatis descriptionem. Aquilonum, inquit ille, frequentia tanta, vt illis imperium cæli quasi legitimū à natura commissum videatur. Vada infinita, cæca, limosa. Hyeme quæ decem sæuit menses, quasi pauimento solidata maris superficies. Æstate perpetua caligo, quæ pomeridianis horis vna aut altera vix discussa, mox redintegratur. Tum verò maius à glacie periculum, cuius immensę crustæ fluitantes, mobilium insularum inter se concurrentium speciē præbent. Vt verę sint illæ Symplegades, non illæ Græciæ mendacis.

Zicchia. Bosporus Thracius. Acropolis. Bosporium. Galata. Dulcedo Ponti, causa plurimorū piscium. Pisces dulci, non salsa aqua nutriri. Empedoclis Agrigētini testimonium. Potabilem in omni mari aquam esse. Ponti qualitatis summaria descriptio. Aquilones domini Ponti. Vada. Frigus. Glacies. Caligo. Symplegades.

Sequitur nunc aliud nostræ tractationis caput, nimirum quæ res in Pontico hoc mari, regionéque illi vicina atque finitima, vel maiore cum copia, vel etiam singulari quadam vi atque natura præditæ nascantur, atque reperiātur. Nam quemadmodum singulari quadā Dei Opt. Max. moderatione, sapientiáque nulla terra regióue πάμφορος, id est, omnifera reperitur, ita quoq; nulla est tam uilis, tam abiecta, tam obscura regio quæ non sit πολύφορος, hoc est, plurimarum optimarúmque rerum plenissima, quęque non sua certa quędam atque peculiaria bona, hoc est Dei dona, possideat. Quemadmodum igitur vniuersum cælū, terra, atque mare pleno quasi gutture, clarissimáque voce (vt trito sacræ Scripturæ loquendi modo vtar) Dei laudes, gloriā ac maiestatē prædicant atque ebuccinant: sic quoque Ponticum hoc cælum, terra, atque pelagus, licet tenebris atque caligine, ventis, frigoribus, fluctibus, naufragiis, glacie, accolarum immanitate horridum, planéque funestum esse videatur, tamē plurimis

Aliud caput de singularibus quæ in Ponto nascantur. Nulla regio πάμφορος. Cælum, terra, atque mare Ponticum diuinæ maiestatis sunt vestigijs insignita.

rimis quoque non vtilibus modò, verùm etiam admirabilibus rebus plena atq; referta, vocalissimum quasi diuinæ laudis, gloriæ, maiestatis, bonitatisq; præconium faciunt. De quibus nunc, quantum ex variis passim scriptoribus hinc inde pro temporis breuitate colligere potui, verba faciam, exordio ducto ab animalibus. Verùm hîc mihi in mentem venit mirari, quam ob causam Plato tantus philosophus nihil in mari ἀξιόλογον, hoc est, narratu commemoratúque dignum, atque τέλειον, hoc est, perfectũ generari, in aureo illo suo dialogo, qui Phædon inscribitur, affirmet: quum tamen ipsum non tam admirandas, quàm stupendas quasdam res atque naturas generare, ac sinu gremióque suo continere omnino constet. Ac omissis aliis, Ponticum hoc mare tot tantorúmque pulcherrimorum, optimorúmque fluuiorum receptaculum, quasíque aluus, seu potius commune quoddam emporium, quò opes plurimas, mercésque pretiosissimas important pariter, atque exportant, non mirum est varia, copiosissima, pulcherrimáque rerum supellectili abundantissimũ esse. Ac primò quidem ἰχθυωδέστατον, hoc est, piscium plenissimum esse, satis supérque inter omnes ferè scriptores constat. De quo sic Plin. lib. 9. c. 15. Piscium genus omne, inquit, præcipua celeritate adolescit, maximè in Ponto. Causa, multitudo amnium dulces inferentium aquas.] Nam pisces qui maria quoque alia incolunt, non aqua salsa, sed dulci (quæ intra salsam cõtinetur) ali, ex Theophrasto, atque Aristotele probat Ælianus libro 9. cap. 64. [Amiam vocãt, cuius incrementũ singulis diebus intelligitur. Cum thynnis hæ, & pelamydes in Pontum ad dulciora pabula intrant, gregatim cum suis quæque ducibus, & primi omnium scombri, quibus est in aquis sulphureus color, extrà qui cæteris. Hispaniæ cetarias his replent, thynnis non commeantibus. Sed in Pontum nulla intrat bestia piscibus malefica, præter vitulos, & paruos delphinos. Thynni dextra ripa intrant, exeunt læua. id accidere existimatur, quia dextro oculo plus cernunt, vtroque natura hebete.] Thynnos solstitia nosse, & Pontum ad dextrum latus ingredi, ad sinistrum exire, Ælianus quoque libro 9. cap. 42. Thynnos altero tantùm oculo videre, Æschylus quoque testatur, quum inquit, sinistrum oculum thynni more applicans. [Est in Euripo Thracij Bospori, quo Propontis Euxino iungitur, in ipsis Europam, Asiámque separantis freti angustiis, saxum miri candoris, à vado ad summa perlucens, iuxta Chalcedonem, in latere Asiæ. Huius aspectu repentè territi, semper aduersum Byzantii promontorium, ea de causa appellatum Auricornu, præcipiti petunt agmine. Itaque omnis captura Byzantij est magna Chalcedonis penuria, D. pass. medij interfluentis Euripi. Opperiuntur enim Aquilonis flatu, vt secundo fluctu exeant ex Ponto, nec nisi intrantes Pontum Byzantij capiuntur. Bruma non vagantur, vbicunque deprehensi, vsque ad æquinoctium ibi hybernant. Iidem sæpe nauigia velis euntia comitantes, mira quadam dulcedine per aliquot horarum spatia, & passuum millia à gubernaculis non separantur, ne tridente quidem in eos sæpius iacto territi. Quidam eos, qui hoc è thynnis faciant, pompilos vocant. Multi in Propontide æstiuant, Pontum non intrant. Item soleæ quum rhombi intrent, nec sepia est, quum loligo reperiatur. Saxatilium, turdus, & merula desunt, sicut conchylia, quum ostreæ abundent. Omnia autem hybernant in Ægeo. Intrantium Pontum soli non remeant trichiæ. Idem paulò antè, Thynni intrant è magno mari Pontum verno tempore gregatim, nec alibi fœtificant, cordylla appellatur partus. &c. Sic Aristot. lib. 6. De hist. animalium capite 17. Quum thynni in Ponto pepererint, fiunt ea ouo, quas vocant alij scordylas, (sunt qui cordylas legant) Byzantij auxidas, ideo quòd paucis diebus augescunt, & Ponto ea eant Autumno vnà cum thynnis, remeant verò iam pelamydes factæ. Plinius lib. 9. cap. 15. Cordylla appellatur partus, qui fœtas redeuntes, in mare autumno comitatur, limosę verò à luto pelamydes incipiunt vocari, & quum annuum excessere tempus, sunt thynni. Ex his cõstat cordyllam,

Plato in mari nihil dictu dignum atque perfectum nasci dixit.

Mare Euxinum ob tot flumina quæ recipit, non mirum rebus plurimis abundare.

Pontus piscosus, cùm quia dulcissimus, tum quia maleficis belluis caret.

Idẽ lib. 8. cap. 13. Itẽ Aristot. l. 6. cap. 17.

Scombri.

In Euripo Bospori Thracij lapis miri candoris.

Chrysoceras piscibus cur abundet.

Thynni naues comitantur. Hoc de Pompilis affirmat Ouid. infrà.

Pompili.

Trichiæ.

Cordylla.

Idẽ Arist. lib. 5. De hist. an. c. 10.

Cordylla cur Auxides dicta.

Cordyllæ.

Pelamydes.

Thynni.

thynnum, pelamydem idem esse, nisi quòd ętate tantùm differũt. Idem etiam orcynus ætate iam maior. Pisces hi, teste Oppiano, amant mare vicinũ fluuiis, aut stagnis, ob dulcem aquam. Thynni quomodo in Propontidem innatent, item quando & quomodo ab iis qui Heractiam, Tion, Amastrin, Ponticas vrbes incolunt capiantur, pluribus significat Ælianus libro 15. cap. 5. Pelamydas generari ad Ponti Euxini finem, & initium Mœotidis, itẽ in sinu quodã Thracij maris profundissimo, idcirco Molas dicto, magnam eorum esse copiam, Oppianus testis est libro 4. Pelamydum piscationẽ circa Sinopem, atque Pharnaciã (de quibus Ponti oppidis infrà) Strabo libro 12. & alibi testis est. Circa Pharnaciam apud Chaldæos olim Chalybas dictos, maris studiosos, ait viuere ex piscatu maximè pelamydum, atque delphinorum. Qui piscium gregem insequẽtes, vt cordylos, thynnos, & pelamidas pinguescant. Vnde facilè capiuntur, quum terræ appropinquant, ac facilè inescantur. Atque hi delphines in frusta cædunt, & aruina multa ad res omnes vtuntur. Ælianus libr. 15. cap. 6. Thynnos non in Ponto tantùm, sed etiam in Sicilia capi tradit: atque etiam alibi. Piscatores quoque idem testantur, vbi iam reti tenentur implicati thynni, Neptuno ἀλεξικάκῳ, id est, malorum depulsori vota facere, ne videlicet (hanc ille causam affert) à gladiis, aut delphinis piscibus acerrimorum dentium retia dilacerentur, atque ita capturam amittant. Porrò quoad piscium in Ponto copiã testis quoque est Ammianus Marcellinus libro 22. Constat, inquit, ab vltimis nostri finibus maris agminatim ad hunc seorsum pariendi gratia petere pisces, vt aquarum suauitate salubrius educant fœtũ in receptaculis cauis, quæ sunt ibi densissima: securi voracium belluarum, nihil enim Põto huiusmodi aliquãdo est visum, pręter innoxios delphinas, & paruos. Hæc ille. Ælian. libro 9. cap. 59. Ideo Pontus Euxinus, inquit, plurimis piscibus abundat, quòd non solitus sit belluas procreare: sicuti autem vitulos marinos profert, minimè quidem ij grandes euadunt, à cæteris quidem omnibus belluis maleficis pisces ibidẽ tuti sunt. Huc accedit Gyllij oculati testis tęstimonium libro 3. de Bosporo Thracio. Bospori, inquit, Cyaneæ insulæ speluncas quidem habent, sed ea parte Orientis & Meridiei, in quas subeunt pisces etiam delphini. At canes Charcariæ, qui Lamiæ & Scyllæ nominantur, illuc non subeunt, propterea quòd Pontus Euxinus feris piscibus frequentari non soleat, nisi delphinis & phocænis. Vidi tamen canem Charcarium omnium maximum, quos vnquam viderim, captum apud muros Byzantij: sed is adeò rarus illic videtur, vt tanquam monstrum spectaretur, à nulloque piscatore cognosceretur. De pelamydum autẽ in Bosporo Thracio atque Propontide imprimis copia admirabili, necnõ eorũ capiendorum ratione, vide & Gyllium in præfatione illius suæ Bosporanæ descriptionis, & Bellon. in lib. 1. Obser. Geograph. Gallicè scripto. c. 72. 73. 74. 75. Plin lib. 33. c. 11. De pelamydũ quoque captura, qua purpurarũ carne hamis infixa inescantur, vide Ælianum libro 15 capite 10. Hinc apparet quanta sit maris huiusce præstantia, quòd ob suã illam (de qua suprà pluribus) egregiam dulcedinem, plurimorum suauissimi cibi piscium, atque etiam delphinorum, (quorum pugnas cum cæteris piscibus à veteribus celebratas scriptoribus, spectare iucundissimum) copia multiplici quum abundat: interea non est sicuti reliqua maria, monstrosis illis belluis marinis infestum atque funestum. Castor quoque (quod quidem ancipitis naturæ animal maximum in medicina vsum habere constat) plurimus in Ponto nascitur. Hinc Strabo libro 3. Geograph. Castores, inquit, in fluuiis inueniuntur (de Hispania verba faciens) sed Castorium Hispaniense minimè eandem habet vim cum Pontico, cui propriam esse φαρμακώδης, id est, efficacissimam habere vim in medicamentis. Vnde Plinius quoque libro trigesimo secundo, capite tertio, Castores efficacissimos in Ponto Galatiæ, deinde Africæ. Vide eundem libro octauo, cap. 30. Ouidius,

Thynni non in Ponto solùm.
Piscatores thynnorum cur Neptuno vota faciant.
Gladij.
Delphini.

Cur Pontus piscosus.
Vituli Pontici non grandes.
Nullæ ibi belluæ maleficæ.

Castor.

Castorium Ponticum maximè φαρμακῶδες.

Sic vbi

Sic vbi detracta est à te mihi causa pericli.
Quod superest tutum Pontice Castor habes.

Vide Solinum cap.22. Castoreum Ponticum Democrates scribit in Mithridatis descriptione. Hinc Virg. in Georg.

Virosáque Pontus, Castorea. Piscium præterea fossilium in Heraclea Pontica, necnon optimorum iuxta Paphlagoniam, meminit Arist. in lib. ἀκουσμάτων. Plin. lib.9. cap.57. testatur circa Heracleam, & Cromnam, & multifariam in Ponto vnum genus pisciũ esse, quod extremas fluminũ ripas sectetur, cauernásque faciat sibi in terra atque in his viuat, etiam reciprocis amnibus siccato litore. Effodi ergo: motu demum corporum viuere eos approbant. Circa Heracleam eandem, eodémque Lyco amne decedente, ouis relictis in limo generari pisces, qui ad pabula petenda palpitent exiguis branchiis, quod fieri non indigo humoris: propter quod & anguillas diutius viuere exemptas aquis. Oua autẽ in sicco maturari, vt testudinum. Eadẽ in Ponti regione apprehendi in glacie piscium quosdã maximè gobiones, nõ nisi patinaru calore vitalem motum fatentes. In his quidem tametsi mirabilis, est tamẽ aliqua ratio. Idem Theoph. tradit in Paphlagonia effodi pisces gratissimos cibis terrenos altis scrobibus, in his locis vbi nullæ restagnent aquæ, miratúrque & ipse gigni sine coitu. Humoris quidem vim aliquam inesse puteis arbitratur, cùm in nonnullis reperiantur pisces, &c. Piscium horum Strabo quoque meminit. lib. 12. De huiusmodi fossilibus piscibus vide Agricolam de animantibus subterraneis: quos non prius sentire & moueri ait, quàm in patina iniecti coquãtur. Plin. lib.9. cap.15. In Borysthene (inquit) memoratur piscis præcipua magnitudo, nullis ossibus spinísve interfitis, carne prædulci. Idem Herodotus, Mela, Solinus cap.25. tradunt. Ouidius in Halieutico suo, nomina quædam piscium recitat, quæ Plin. lib.32. cap.11. in Ponto nasci existimat, propterea quod apud neminem alium scriptorem reperiantur, ídque volumen Ouid. supremis suis temporibus inchoasse ait.

Pisces fossiles Heracleæ. In Paphlagonia. Pisces terreni atque fossiles in Ponto. Pisces mirabiles circa Heracleam & Cromnam. Pisces fossiles circa Heracleã. Gobiones Põtici. Pisces fossiles mirabiles in Paphlagonia. Idem Eudoxus tradit. Pisces Borysthenis: de quo fluuio infrá. Piscium quorundam Ouid. meminit, qui teste Plinio in Ponto videntur nasci.

Descripsit sedes varias natura profundi:
Nec cunctos vnà voluit consistere pisces.
Nam gaudent pelago, quales Scombríque, Bouésque,
Hippuri celeres, & nigro tergore Milui,
Et pretiosus Helops nostris incognitus vndis,
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis,
Et pauidi magno fugientes agmine Thunni.
Parua Echeneis adest, mirum, mora puppibus ingens:
Túque comes ratium, tractíque per æquora sulci
Qui semper spumas sequeris Pompile nitentes.
Cercyrósque ferox scopulorum fine moratus,
Cantharus ingratus succo, tum concolor illi
Orphas, cæruleáque rubens Erithnus in vnda.
Insignis Sargúsque notis insignis & alis,
Et super aurata Sparulus ceruice refulgens.
Et rutilus Pagur, & fului Synodontes. & ex se
Concipiens Channe gemino fraudata parente
Tum viridis squamis paruo saxatilis ore,
Et rarus Faber, & pictæ Mormyres, & auri
Chrysophrys imitata decus, tum corporis vmbræ

Scombri. Boues. Hippuri. Milui. Helops, melius sine aspiratione. Xiphias. Thunni. Echeneis. Pompilus species Thynni: suprà. Plin. Cercyros. Plinius perperã Bosgyrum vocauit. Cantharus. Orphas. Plin. Orphum, Græcis ὀρφὸς. Erythnus. Sargus. Sparulus. Pager vel Pagrus. Græcis φάγρος vel πάγρος. Synodon. Channe. Plinius quoque eius meminit: qui Teragum vocat. Faber. Plin. Mormyros, Græc. μόρμυθος vel μόρμυρος. Plin. Aurei coloris Chrysoph.

Lupi, Percæ, Tragi. Plin. Taragū. Melanum. Plin. Labrum cauda placentem. Murena. Merula. Conger. Scorpius. Glaucus. Plin. quoque meminit. Pisces litorales. Scarus. Mænærelamiri. Smaris. Chromin qui nidificat in aquis Plin. ex Ouid. nominat. Arturi Phycis, siue Fuca piscium solus nidificat. Squalus. Mullus. Soleæ. Passer. Rhōbus. Epodes. Ranæ.

Liuentis rapidíque Lupi, Percæq́, Tragíque.
Quin laude insignis caudæ Melanurus, & ardens
Auratis Muræna notis. Merulæq́ virentes,
Immitísque suæ Conger per vulnera gentis,
Et capitis duro nociturus Scorpius ictu,
Ac nunquam æstiuo conspectus sydere Glaucus.
At contrà herbosa pisces laxantur harena,
Vt Scarus, epastas solus qui ruminat escas,
**Fœcundúmque genus Menerelamiróśque Smarísque,*
Atque immunda Chromis, meritò vilissima Salpa:
Atque auium dulces nidos imitata sub vndis,
Et squalus tenui suffusus sanguine Mullus,
Fulgentes Soleæ candore, & concolor illis
Passer, & Adriaco mirandus littore Rhombus.
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ.
*Extremi pas.**

*

Gouius.

Lubricus & spina nocuus non Gouius vlla.
Et nigrum niueo portans in corpore virus
*Lolligo, durique Sues, sinuosáque cess. **
Et tam deformi non dignus nomine Asellus.
Túque peregrinus Acipenser nobilis vndis.

Lolligo. Sues, Plin. Sudis. Asellus. Acipenser.

Plinius eodem in loco. Sunt præterea à nullo autore nominati Sudis Latinè appellata, à Græcis Sphyræna rostro similis nomine, magnitudine inter amplissimos, rarus, sed tamen non degener, & pernæ concharum generis, circa Pontias insulas frequentissimæ. Vide eius descriptionē ibid. Videtur pro Sudis Sues legendum, vt est in Ouidiano carmine. Facit Ouid. in hoc suo carmine Xiphię quoque piscis mentionem, quem Ælianus pluribus describit, eúmque quòd dulci pariter atque salsa aqua delectetur in mari atque Danubio capi testatur. lib. 24. cap. 23. Xiphias in Ponto Euxino multos esse hinc quoque constat, quod Ælian. lib. 15. cap. 6. sæpè dicit Gladios, siue Xiphias, necnon delphinos retia piscatorum quibus Thynnos capere atque irretire solent, conficere atque dilacerare, ita vt rursus elabantur. Atque huius incommodi euitandi gratia piscatores, vbi Thynnos vident irretitos Neptuno Alexicaco vota nuncupant.

Xiphias in Ponto multos esse.

Cācri Bosporani.

Cancros in Bosporo Thracio quum ventus ingruit violētus aduersus fluctus niti, ac circa promōtoria (vbi semper venti vis maior) magna solertia ascendere testis est Ælian. lib. 7. cap. 24.

Cochleæ Ponticæ alio in loco hyemem, in alio æstatem traducunt.

De Ponticis cochleis mirum quod idem tradit author lib. 10. cap. 6. Hæ, inquit ille, Persarum regem imitantur æstiuos dies Susis agentem, hybernos verò Ecbatanis. Similiter enim illæ quoque in Propōtide quidem calida hyemare, æstiuum autem tempus iuxta Ægialum propter molles, quas mare hoc eis afflat, auras traducere cōsueuerunt. Ægialus autē locus est inter Sicyonem & Buprasium, & alius Ponto proximus, cum vico eiusdem nominis: de quo infrá.

Spongiæ. Ostreæ.

Spongias in Hellesponto asperas & densas esse circa Malean testis est Plin. lib. 9. cap. 45. Ostreæ genus vulgò cognitum in Græcia quod Gaideropodem, vocant quasi diceres, Asini pedem. Cautibus adnascitur, non more aliarum ostrearum soluta in salo iacet, & ob id in eo tantum mari, quod nunquàm æstu reci-

reciprocatur (cuiuſmodi eſt Ægeum, Helleſpontus, Propontis, Boſporus & Pontus) naſcitur. Hæc Rondeletius. Gyllius ſcribit ſe accepiſſe Byzantinos oſtrea ſerere, & eorum quaſi lac ſeminare, idipſum enim in aquam abiectum ad ſaxa ima adhereſcere & oſtrea fieri. Sic ex decocto fungi in terram proiecto fungi naſcuntur.

Mare reciprocationis æſtu expers.
Oſtrearum ſatio.

Silurus cetaceus robuſtiſſimúſque piſcis in Iſtro fluuio plurimus reperitur, de huius apud Myſos (iuxta Heracleam, circa Naaium flumen propè Tomos vrbē, de qua infrà) mirabili capiendi ratione, quo fiunt boum & equorū iuga, vide Ælian. lib. 14. cap. 25. Mirum eſt (vt hoc obiter dicam) Heracleam Ponticā cum vrbe Tomos atque Iſtro coniungi, cùm maximum inter vtranque vrbem interuallum eſſe, vel ex Arriano noſtro cōſtet. Niſi forſan ibi quoque vrbs fuerit Heraclea dicta. nam, vt infrà dicetur, plures fuerunt eiuſdem nominis vrbes. Myſi autem (quemadmodum ipſe Ælianus monet) duplices fuerunt, Aſiani, qui Telephi Pergamum incolunt, & Europæi Iſtri accolæ.

Silurus in Iſtro plurimus.
Heracleā hodie Naaium portum dici teſtis eſt Munſterus.

In Iſtro Cyprinos, Coracynos, Dercas, Xiphias, Antacæos, Thunnos reperiri, & quemadmodum piſces illi ex Iſtro conglaciato capiantur pluribus idem author docet lib. 14. cap. 26.

Iſtri piſces.

Serpentes circa Rhyndacum amnem in Ponto naſci ex Metrodoro Plinius tradit, quæ ſuperuolantes quamuis altè pernicitérque alites hauſtu raptas abſorbent. lib. 8. cap. 14. Idem Mela.

Serpentes circa Rhyndacum terribiles.

In Ponto neque mollia, neque teſtacea niſi rarò & perpauca gigni, auctor eſt Ælianus de animalib. lib. 17. cap. 10. Quemadmodum autem mare Ponticū piſcibus optimis ſcatet, ſic cælum quoque ſiue aër Ponticus, qui alias quaſi æreus, imò ferreus videtur, auium ſuauiſſimo cantu reſonat. Phaſianis auibus pulcherrimis, ac ſuauiſſimi delicatiſſimíque cibi, quas (vt Clem. Alexand. in Pædagog. inquit) homines gulæ ventríque dediti colchiare ſolent, regio Colchica abundat, à Phaſide regionis illius fluuio celeberrimo, auium eiuſmodi optimo alumno, hoc ſuum nomen ſortita. Teſtis eſt Euſtath. in Dionyſ. Hinc Phaſidis ales. Stat. lib. 4. Silu. Arrianus noſter infrà in deſcriptione inſulæ Achilleæ, marinarum quarundam auium meminit, quas Græcè λάρους, αἴθυας, & κορώνας maritimas appellat, quarum in illa inſula innumerabilem eſſe copiam, templúmque Achilleum quaſi æditum quaſdam quàm diligentiſſimè cuſtodire, verrere, & à ſordibus repurgare teſtatur. De his vide infrà. Ariſtot. in lib. mirabilium audit. In Ponto, inquit, hyeme auem quandam inueniri àiunt, neque cacantem, nec quicquam etiamſi vel alæ illius vellicentur, vel veru transfigatur, donec incaluerit igne, ſentientem.

De auibus Ponticis.
Phaſianis abundat Colchis ad Phaſin. flu.
Aues quædam marinæ.
Auis mirabilis.

Paphlagoniæ perdicū cor geminum reperiri Theophraſtus alicubi prodit. Ælian. lib. 10. cap. 35.

Perdices Paphlagoniæ.

Hypanis fluuius in Ponto, circa ſolſtitium defert acinorum effigie tenues membranas, ex quibus erumpit volucris quadrupes, nec vltra diem viuit, vnde Hemerobios vocatur Plin. lib. 11. cap. 36. Idem ex Ariſtot. Ælianus lib. 5. cap. cap. 43. ſub lucem matutinam naſci, pòſt autem ad Solis occaſum extingui. Eiuſdem quoque Cic. lib. 1. Tuſc. diſp. meminit.

Volucris ad Hypanim Hemerobios.

Otides quoque ſunt in Ponto, quas teſte Æliano lib. 6. cap. 24. vulpes ſic venatur, vt & ſeſe auertens, & caput in terram abiiciens, tanquam auis collum, ſic caudam extendat: eæ autem his inſidiis deceptæ, ad illam tanquam gregalem ſuam accedunt, illa verò conuerſa nullo negotio capiat.

Otides Ponticæ. Ὠτίδες Græ. Vulpium in iis capiēdis ſolertia.

In Chalceriti Pontica inſula, quę eſt contra Pharnaciam, Aria à Græcis dicta, Marti ſacra, volucres dicūtur cum aduenis pugnaſſe, pinnarum iactu. Plin. lib. 6. cap. 12.

Aues quædam pugnaces.

Anates Ponticæ (teſte Gellio lib. 7. cap. 16.) dicuntur edendis vulgò venenis victitare. Harum ſanguinem miſcere antidotis, quoniam veneno viuerent, Mithridatis inuentum eſſe creditur. Plin. lib. 25. cap. 2. Hæ atque aliæ huiuſmodi

Anates.

aues in Ponto reperiuntur. Ouid. tamen lib.3. de Ponto. epistol.1. inquit,

Non auis obloquitur syluis, nisi si qua remotis
Æquoreas rauco gutture potet aquas.

Apes. Apum quoque præstantissimam copiam in Ponto esse scriptores testantur. Plin. lib.11. c.18. In Pōto dicit esse apes albas, quæ bis in mense mella faciāt. Circa Thermodontem autē fluuium duo genera. Aliarum quæ in arboribus mellificant: aliarum quæ sub terra, triplici cera cum ordine vberrimi prouentus. Hæc ille. Hinc magna ceræ atque mellis in Ponto copia. Polybius lib.4. Quū verò Pontus, inquit ille, multa ferat ad hominum vitam commodissima, eorū omnium domini sunt Byzantii. Nam & ad necessarios vsus coria, ac multitudinem seruorum, quæ circa Pontum sunt loca, eis abundantissimè suppeditāt: & ad delicatiorem vitam mel, ceram, salsamenta, aliáque huiusmodi copiosè nobis exhibent: accipiunt autem ipsi vicissim ex iis, quæ apud nos abundant, oleum, & omne vini genus: frumentum interdum dant, interdum accipiunt. Ceram Ponticam optimam esse Dioscorides quoque testatur lib.2. cap.26. Itē Plinius lib.21. cap.14. Optima, inquit, quæ Punica vocatur. Proxima quàm maximè fulua, odorísque mellei, pura, natione autem Pontica, quam constare equidem miror inter venenata mella. Deinde Cretica, &c.

Ceræ atque mellis copia. *Pontus multa vitæ humanæ cō moda suppeditat.* *Salsamenta.* *Cera Pontica optima.*

Animalia terrestria in Ponto. Venio nunc ad terrestria animalia, quorum certè omnis generis ferorum pariter, atque mansuetorum magna est in Ponto copia. *Capræ.* Caprarum plurimarū infrà Arrianus noster facit mentionem, quas in Achillea illa insula, Achilli cōsecratas esse ait. Gadyloneticam regionem, quæ post Halyos ostia est, vsque ad Armeniam. *Oues.* Strabo lib.12. oues dicit habere mollis pellis, & lanæ (quod in tota Cappadocia, atque Ponto perrarum est) necnō *Damæ.* damas quarum alibi magna sit paucitas. Themiscyrena planicies quia Lyco fluuio irrigata roscida semper est: & herba tam *Boues.* boum quam *Equi.* equorum est optima nutrix. Multa est ferarum omnis generis venatio, propter alimoniæ copiam. In Cappadocia, vt *Mulæ prolificæ.* testis est Arist. de mirabilibus, mulas aiunt esse prolificas. *Equi syluestres apud Hypanin flu. Septentrionē ferre equos feros, testis est Plin. lib.8. c.15.* Equos syluestres egregios esse iuxta fluuium Hyppanim testis Herod. lib.4. Flaccus lib.6. Argonaut.

—*Nec clarior vllis*
Arctos equis, abeunt Hypanin, fragilemq́ per vndam
Tigridis, aut sæua profugi cum prole leænæ.

Canes Albanorū feroces. Apud Albanos Colchis finitimos nati canes feris omnibus anteponuntur. Frāgunt tauros, leones perimunt, detinent quicquid obiectum est. Hæc Solinus cap.25. Vide plura apud eundem de his canibus. Item Plin. lib.8. cap.40.

Taurus, equus, ceruus Mithridatis excubitores fidelissimi. Non possum hîc silentio præterire lepidam quandam Æliani de tauro, equo, ceruo, qui Mithridatis amantissimi fuerunt, historiam lib.7. cap.46. Mithridates rex Ponticus quum somnum caperet, corporis sui custodiam nō modo satellitibus atque excubitoribus suis armatis, verùm etiā multò magis tauro, & equo & ceruo, quos habebat mansuefactos, committere solitus est. Hi enim ad custodiam eius aduigilantes, ac si quis accedebat, ex ipsa respiratione ipsum percipientes, hic mugitu, ille hinnitu, alius sua propria voce Regē suum è somno excitabant.

Asini in Scythia corinigeri. Cornuum magna vis in continēda aqua fluuij Stygis. Asini in Scythia cornibus præditi nascuntur, quorum cornua Arcadiæ fluminis Stygis cognominati aquam continent, cum aqua illa omnia vasa transmittat, etiam si sint ex ferro. Huiusmodi cornua Alexander Macedo sibi à Sopatro allata admirans Delphos misit, atque Pythio cum epigrammate quodā consecrauit. Ælian. lib.10. cap.40.

Cerui Hellespontiaci, mirum αὐταρκείας exemplum. In Hellesponto collis est, vbi cerui, quorum altera diffisa est auris sic pascūtur, illius extra fines, vt nunquam progrediantur: nec enim alias passiones desiderant, nec prata alia bonitate præstantiora concupiscunt, & verò satis habent omni anni tempore præsentibus frui. Quid ad hæc homines? quos nunquam ne orbis quidem terrarum explere queat? Ælian. lib.6. cap.13. Idem Plin.

Vulpes

Vulpes in Thracia(vt est mirè solers atque astûtum animal) antequam fluuium aliquem conglacientem transmittat pastus gratia,aurem prius ad glaciē admouet,ac si intrà non subsonare atque subterlabi fluctus sentit, glaciei se tāquam solidæ credit,transmittit:sin aliter,nequaquā transit.Quamobrē Thraces ad transmittendos fluuios congelatos,duce vtuntur.Ælian.lib.6.c.24.Idē Plin.lib.8.cap.28. *Vulpes Thraciæ quàm cautæ in fluuijs congelatis trajciendis.*

Tragelaphon non alibi quàm iuxta Phasin amnem nasci, testis est Plin.lib. 8.cap.33. *Tragelaphus apud Phasim.*

Tarandus quoque apud Scythas coloris mutatione admirabilis est,eodē teste lib.8.cap.34.Scythiam quoque fruticum inopia paucissima animalia gignere idem testatur lib.8.c.15. *Tarādus Scytharum. Scythia pauca animalia profert*

Murium quoque Ponticorum hîc non est omittenda mentio,quos &quidē albos duntaxat condi, author est Plin.lib.8.cap.37. De murium horum aciei instructione vide Ælianum libro 6.cap.41. Vide de iisdem Agricolam de animalibus subterraneis.Horum palatum in gustu dulcem quonam modo authores intellexerint,idem se mirari dicit. Hos Ælianus lib.6.cap.40. in Heraclea insula Ponti ab omnibus Herculi in ea sacris abstinere,etiam à viti ei cōsecrata,ita vt vuis maturis recedant,ne per incontinentiam fortè attingant. *Mures Pontici.*

Plurimas hinc inde in Ponto syluas esse legimus θηριώδεις, hoc est,ferarum abundantissimas,quarum venationibus potentissimum illum Ponti regē Mithridatem Eupatorem plurimum legimus fuisse delectatum.

Veniamus nunc ad herbas, plantas, stirpes,arbores,fruges,fructúsque Ponticos.Mithridatem(de quo paulò antea)herbarum legimus fuisse studiosissimū. Huius Plinius testis est libro 16.cap.32.Circa Bosporum Cimmerium in Panticapæo vrbe omni modo laborasse,vt & cæteri incolæ,sacrorum certè causa laurum,myrtúmque habere,& non contigit,quum teporis arbores abundent ibi, punicę ficíque, iam mali & pyri laudatissimæ. Frigidas eodem tractu non genuit arbores,pinum,abietem,piceam. *Mithridates medicinæ,reique herbariæ studiosissimus.*

Herbarum amararum,atque venenatarum,seu veneficiis aptarum,maximā esse in Ponto vim,cùm illa Medeæ historia, siue fabula, tū plurimi alij scriptores testantur.Hinc Virg.in Bucolicis, *Herbæ, plantæ Ponticæ.*

Has herbas,atque hæc Ponto mihi lecta venena
Ipse dedit Mœris,nascuntur plurima Ponto. *Herbæ amaræ, & venenatæ in Ponto plurimæ.*

Eandem ob causam nonnulli Pontum fœmineo genere virosam volunt à Virgilio fuisse cognominatam,

Virosáque Pontus,castorea, &c.

Sed aliorum sententia mihi magis placet, qui illud virosa cum voce castorea coniungunt: nam ipse quoque Strabo castoreum Ponticum φαρμακῶδες vocat,quod vel virosum,id est venenosum,vel etiam medicamentis aptum interpretari queas.

Absynthium Ponticum in medicorum scholis valde celebratur. De hoc vide Columell.lib.10.c.15. Ouidius lib.3.de Ponto,Epistol. I. *Absynthium.*

Tristia per vacuos horrent absynthia campos,
Conueniénsque suo messis amara loco est.

Idem Trist.5.Eleg.14.

Cana prius gelido desint absynthia Ponto.

Plinius libro 27.cap.7.multa absynthij genera enumerans, Ponticū ait à Ponto dictum,quo pecora, quæ illic sunt, pinguescant, & ob id sine fele reperiantur,neque aliud etiam præstantius, multóque Italico amarius, sed medullam eius esse dulcem.Absynthium præstantius in Ponto,& Cappadocia, & monte Tauro nasci testis est Dioscorides libro 3.cap.23.Idcirco idem author libro 5.cap.34.scribit absynthium Ponticū in absynthitæ vini præparatione sumendum esse,quia melius est.Tametsi Guilandius in Theone absynthium Ponticum dicit intelligi,non quòd laudatissimum in Ponto proueniat,sed quòd copiosissi- *Idem Theophr. lic.9.c.18.*

Bellonius lib.Obseru.1.c.83. piosissimum: quum & apud alias gentes illud nascatur. Bellonius in itinere inter Heracleam & Iconium copiã absynthij Pontici se inuenisse ait, quod à nostro cõmuni, quod in hortis colitur, nihil differat: nisi quòd syluestrius sit, eóque candidius, quemadmodum & alia locis calidioribus nata.

Aconitum. Aconitum plurimum in agro Heracliensi, iuxta Anconem portum inde sic dictum, de quo infrà, testis est Strabo libro 12. De huius admirabili cùm ad perniciem, tum ad salutem vi atque natura, vide Plinium libro 27.c.2. Chamæpityn apud Heracleam Ponticam perinde atque antidotum cõtra aconitum, in vsu esse testis est Dioscorides lib.3.cap.150.

Colchicum. Colchicum à Cholchide (vbi maxima eius copia) dictum, bulbus est agrestis, exitu autumni croceum edens florem, & posterius folia pinguiora quàm bulbi, caule semipedem alto, semine rufo. Quidam Ephemeron lethale appellant. Gustatum enim fungorũ more iugulat. Officinæ Hermodactylon appellant. Dioscor.lib.4.c.72.

Asarum optimũ in Ponto, proximũ in Phrygia, tertiũ in Illyrico Asarum vmbrosis montibus prouenire, sed plurimum in Ponto, Phrygia, Illyrico, testis est Diosc.lib.1.c 9.Plin.lib.12.c 13.

Acoron. Acoron è Ponto, Syria & Ægypto afferri testis est Dioscorides. Plin.libro 25.cap.13. Acoros, inquit, iridis folia habet, angustiora tamen, & longiore pediculo, radices nigras, minúsque venosas, cætero & has similes iridis, gustu acres, odore non ingratas, tactu faciles. Optimæ Ponticæ, dein Galaticæ, mox Creticæ. Sed primæ in Colchide iuxta Phasin amnem, & vbicunque in aquosis. Recentibus virus maius quàm vetustis: Creticæ candidiores Ponticis.

Rhaponticum. Rhaponticũ, quod Græci ῥᾶ & ῥῆον, Officinæ Rheuponticum vocant. Dioscorides libro 3.cap.2. testatur in iis regionibus prouenire, quæ sunt supra Bosporum, indéque afferri. Mathiolus in Dioscoridem testis est sic appellari à Rha fluuio, in cuius ripis copiosissimè nascitur, id quod probat Marcellini testimonio, lib. 22. cuius hæc sunt verba. Huic (Thanai) Rha vicinus est amnis, in cuius superciliis vegetabilis quædam eiusdem nominis radix gignitur, ad multiplices medelarũ vsus proficiẽs. *Rha fluuius.* Fluuiũ hunc septuaginta duo habere ostia, hodie vulgò Volgam, à Tartaris Dil appellari testatur Scaliger cõtra Cardani subtil. Bellon.lib.1.Obseruat.c.83. in officinis Constantinopol. rheuponticum cum rheubarbaro ait confundi.

Mithridatia. *Scordotis, siue Scordion.* *Polemonia, siue Philetæria.* Nobiles præterea Ponti herbæ sunt Mithridatia, seu Mithridation, quam Crateuas Mithridati adscripsit, item scordotis, siue scordion, quæ in Ponto reperitur campis pinguibus humidísque, gustus amari, quam Leræus eidem Mitridati adscripsit. Item polemonia, quam alij philetæriam, à certamine Regum inuentionis appellant: Cappadoces autem chiliodynamam vocant: de quibus omnibus vide plura apud Plin.lib.25.c.6.& 26.c.9.

Artemisia, quæ & Ambrosia. Item Artemisia, quam Cappadoces (apud quos plurima nascitur, quáque coronantur) Ambrosiam vocant: de qua vide Plinium lib.25.c.7.lib.27.c.4.libro 26.cap.8.

Cardamomum. Cardamomum è Bosporo aduehi testis est Diosc.lib.1.c.5.

Scordium. Scordium Ponticum atque Creticum imprimis efficax. Dioscorides libro 3.cap.106.

Acacia. Amomum Ponticum, de quo Plin. lib.12.c.13. Amomum atque Acacia Pontica celebrantur à Dioscoride lib.3.cap.106.

Ellebori optimi & vsitatissimi quatuor sunt, OEtæus, Ponticus, Eleaticus, Massalioticus. Theophrast.lib.9.cap.11. Ellebori nigri meminit Bellon.lib.3.c.51. Chamædaphne syluestris frutex plurima in Ida, & circa Heracleam Põti, nec nisi in montosis nascitur. Plin.lib.16.c.vltimo.

Scythice inuẽtũ Scythicum. Scythia inuenit herbam, quæ Scythice vocatur, quæ circa Bœotiã quoque nascens, prædulcis est. Aliam vtilissimam ad ea quæ Spaomata vocant. Magna & ea commendatio, quòd in ore eam habentes, famem, sitímque non sentiunt.

Idem

Idem præstat apud eos Hippice dicta, quod in equis quoque eundē effectū habeat. Tradúntque his duabus herbis, Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitíque. Plin. lib. 25. cap. 8.

Hippice inuentum Scythiæ.

Iſchæmonem Thracia inuenit, qua ferunt ſanguinem ſiſti, non aperta modò vena, ſed etiam præciſa. Plinius ibid.

Iſchæmon inuentum Thraciæ.

Γλυκύῤῥιζα dulcis radix gignitur in Cappadocia & Ponto. Dioſcorides libro 3. cap. 5. Huius Plinius quoque meminit libro 22. cap. 9. Theophraſto Scythica radix appellatur, eo quòd Scythæ hac ſine vllo alimēto decē aut duodecim dies degunt. Circa Mœotim paludē plurima naſcitur. Theophr. teſte. Vide ſuprà de Scythice & hippice.

Γλυκύῤῥιζα.

Adamantis Armeniæ, Cappadociæque alumna, qua admota leones reſupinari cum hiatu laxo aiunt. Nominis autem cauſam eſſe, quòd cōteri nequeat. Plin. lib. 24. c. 17.

Adamantis.

Therionarca in Cappadocia & Myſia naſcēte, omnes feras torpeſcere, nec niſi hienæ vrinæ aſperſu recreari aiunt. Ibid.

Therionarca.

Gelotophyllida in Bactris, & circa Boryſthenē aiūt. Hæc ſi bibatur cū myrrha & vino, varias obuerſari ſpecies, ridendíque finem non fieri, niſi potis nucleis pineæ nucis cum pipere & melle in vino palmeo. ibid.

Gelotophyllida.

Heliāthe in Themiſcyra regione, & Ciliciæ montibus maritimis naſcitur, folio myrti. Hac cū adipe leonino decocta, addito croco & palmeo vino, perungi magos, & Perſarum reges, vt fiat corpus aſpectu iucundum. Ideo eandem Heliocallidem appellari. Plin. lib. 24. c. 17.

Helianthe, quæ & Heliocallis in Themiſcyra.

Quartum genus panaces ab eodem Chirone repertum, Centaurion cognominatur. Sed & Pharnaceon, in controuerſiam inuentionis, à Pharnace rege deductum. Plin. lib. 25. c. 4.

Pharnaceon.

Ægolethron herba eſt ab exitio & iumentorum quidem, ſed præcipuè caprarum appellata. Huius flores concipiunt noxium virus, aquoſo vere marceſcentes: ex quibus floribus (vt vult Plinius) quoniam apes quæ ſunt circa Heracleam Ponticam mella conficiunt, hinc fit vt quibuſdam annis ea venenata pernicioſiſſimáque exiſtant. De quo vide Plinium libro 21. capite 13. An non idem de aconito (quo abundat ager Heraclienſis) affirmari poteſt?

Ægolethrum herba Pontica. Ex hac mella venenata Heracleotica.

Rhododendro ſcatent ſyluæ in regione Sannorum, quæ (vt infrà) proxima eſt Colochidi: ex cuius herbæ floribus contrahi exiſtimatur mel, quod ab inſania quam gignit, μαινόμενον vocant. Génſque ea quum ceram in tributa Romanis præſtet, mel (quoniam exitiale eſt) non vendit. Teſtis eſt Plinius libro 21. c. 13. Sic Bellonius libro 1. cap. 68. ſuarum Obſeruationum, tradit in Heraclea Thracia mel naſci venenatum, propter herbam chamæleon dictā, quæ ibi plurima naſcitur, cuius radix præſentiſſimum venenum. ita vt mel quod inde cōficiunt apes non ſit mirum venenoſum eſſe. Sic ſuprà ex Ariſtotele, mellis è buxis iuxta Trapezuntem defluentis eandem vim eſſe diximus. Dioſcorides quoque, ſed (vt ſuprà ex Plinio dictum eſt) circa Heracleam Ponticam quibuſdam anni temporibus propria quorundam florum dote, mel ait conflari, quod qui edunt, è mentis poteſtate exeunt, & ſudore profluunt. Remedia ſunt eſitata ruta & ſalſamenta. Heptacometæ quoque olim Moſynœcos (quia ſuper arboribus ac turribus habitant quæ Moſyni vocantur) tres Pompei cohortes miſcentes crateras furentis mellis, quod rami arborum ferunt, potas. mentéq; alienatas adorti, facilè interemerunt. teſtis Strabo lib. 12.

Rhododendrum. *Mel inſanum.* *Mel Heracleum venenoſum.* *Chamælcō herba.* *Dioſc. lib. 2. c. 7.*

Buxus plurima & optima naſcitur in Amaſtriano agro, præſertim circa Cytorum; teſte Strabone libro 12. Idem Theophraſtus lib. 3. cap. 15. Hinc prouerbium, Buxum in Cytorum. Naſcitur quoque mirabilis buxus in Trapezunte, à qua mel quoddā defluit βαρύοσμον, quod & eos qui ſanæ ſunt mētis, inſanos reddit, & mente captos ſanitati reſtituit. Teſtis eſt Ariſtoteles de mirabilibus. vide Plinium lib. 15. cap. 25. Ceraſum à Ceraſunte nobili ciuitate, vbi plurima

Buxus Cytori. *Buxus Trapezūtina.* *Mel mirabile.* *Ceraſus.*

nascitur, sic dictam, atque inde à Luc. Lucullo primùm, qui vrbem illam deleuit, in Italiam fuisse delatam multorum scriptorum testimoniis notissimū est. Sinopicam regionem acerem gignere, ac nucem montanam, è quibus mēsæ conficiuntur, author est Strabo libro 12. Aceris quoque Pontici meminit Dioscorides. Nux Pontica eadem quæ auellana, Græcè λεπτοκάρυον est, sic dicta, quia fœlicissimè in Ponto prouenit. Cœlius libro 5. cap. 6. Nux Heracleotica, quam quidam castaneam nominant, itémque Pontica nux, atque etiam quæ dicuntur basilicæ iuglandes, germina atque flores agunt similiter iisdem temporibus, quibus Græcæ nuces, quæ amygdala, itē nuces Thasiæ vocantur. Hæc Oppij sunt verba in libro quodam de syluestribus arboribus, quæ à Macrobio libro 3. Saturnalium cap. 18. citātur. Plinius quoque testis est auellanas ideo Ponticas dictas, quòd è Ponto primùm allatæ fuerint. Tritici Pontici, atque Thracij meminit Theophr. lib. 8. histor. cap. 4. Fabæ Ægyptiæ, quam aliqui Ponticam vocant Dioscor. Origani Heracleotici meminit Plin. lib. 25. c. 4. Origanum Heracleoticum Bellonius lib. 1. cap. 26. & lib. 3. cap. 51. Oliuetis cōsitam esse terram Sinopicam, Amisenam, testis est Strabo lib. 12. Denique fertilissimæ frumenti, frugum atque fructuum regiones à Strabone celebrantur Sinopica, Amisena, Themiscyrena, Phanarocensis, Gadylonetica, Apolloniatarum libro 12. Themiscyrenā regionem planam Thermodonte, Iride, atq; Lyco maximis fluuiis irrigatam, herbidam semper atque roscidam esse ait, panici & milii feracem, cuius incolæ nunquam famem senserint. Eandem præterea agrestium pomorum, atque vltrò nascentium, necnon vuarum, prunorū, malorum, atque nucum abundantissimam esse dicit. Theocritus Idyll. Dioscori in descriptione regionis Bebrycum, qui iidem sunt qui Bithyni (vt infrà dicetur) has arbores cōmemorat πεύκας ὑψηλάς, hoc est, larices, siue pinus, λεύκας, id est, populos, πλατάνους, id est, platanos. κυπαρίσσους ἀκροκόμους, id est, alticomas cupressos, denique ἄνθεα εὐώδη, id est, flores suaueolentes, quos scitè admodū apum φίλα ἔργα, id est, grata opera vocat. De terræ autem Bithynicæ feracitate, infrà quoque nonnulla dicentur. Idem in alio quodam Idyll. quod Hylas inscribitur, nauigationis Argonauticæ mentionem faciens, ac Propontidis locum quendam amœnissimum describens, huiusmodi quasdam herbas ac plantas recenset, quas verisimile est ibi fœlicissimè copiosissiméque prouenire. Nomina earum hæc sunt, Θρία, id est, folia ficulna, uide Cod. libro 2. cap. 23. & lib. 10. cap. 9. Χελιδόνιον κυάνεον. i. Chelidonium cyaneum, siue cęruleum. ἀδίαντον χλοερόν. i. capillum Veneris vulgò appellant, viride: de quo Dioscorides lib. 4. cap. 131. Dictum volunt ab α & διαίνω, quòd nō madefiat, etiāsi mergatur. θάλλοντα σέλινα. i. florentia apia, ἀγρώστις εἰλιτενής, de qua vide Dioscorid. lib. 4. cap. 39 & 194. Herbam esse aiunt, quæ in hederæ morem serpat, ac dilatetur. vnde εἰλιτενὴς à Theocrito dicitur, hoc est, circumuoluta, ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι, quod circunuolui significat. Boletos ex Bithynia optimos afferri testis est Plin. libro 22. cap. 22. De lini Colchici (vnde Phasis fl. Colchorū ab Ouid. linosus dicitur) vide Herodot. lib. 4. Hinc Colchi ab Ægyptiis videntur oriundi.

De acere Pōtico Bellon. lib. 3. c. 51. Acer Sinopicū. Nux Sinopica. Nux Pontica. Nux Heracleotica. Vide Plinium li. 15. c. 22. Olueta. Themiscyreni agri fertilitas. Panico nullum cibū gentes Ponticas præferre, testis est Plinius lib. 18. cap. 10. Milium. Poma. Plantæ in Bithynia. Larices seu pinus Platani. Bellon. lib. 3. c. 51. Populi. Cupressi. Flores. Propontidis herbæ. Thria. Chelidonium. Capillus Veneris, seu Adiātus. Apium. Agrostis. Boleti.

In Ponto neque myrtum, neque laurū esse, quæ abhorreat à locis frigidis, quanquam summo studio, omníque solertia serere conētur ad vsus religionis, testis est Theophr. lib. 4. c. 6. de quo suprà quoque nōnihil ex Plinio dictū fuit. Idem verò Theophrastus eodem in loco. in Ponto: ficus tamen, inquit, multæ, magnæque & Punicæ amplæ opacitatis habentur, quia & piri & mali siue fraxini permultæ, ac varij generis maiorem in modum, bonæque frugis & vernę, præterquam si quæ serotinæ. Ex syluestribus verò rebus, vlmus, malus, & similes: sed pinastrum, abies, atque picea desunt, & omnino quæ tædā in se gerunt. Humida hæc autem, & multò deterior Sinopensi: quapropter non multus est eius vsus, nisi ad ea quę sub diuo. Hæc circa Pontum, aut certè locis quidem eius quibusdā haberi nouimus. In Propontide verò & myrtus & laurus in montibus multis in locis prouenit. Bellonius libro 3. Obseruationum cap. 42. plurimas

Forsan tæda.

mas herbas Ponticas recenſet, quas ſe vidiſſe atque collegiſſe dicit, inter quas hæ ſunt præcipuæ. Cedrus, platanus, trifolium, memphytes, terebinthus, aſpalathus, elleborus niger, hiacynthi tres ſpecies, meum, aſclepias, ſermodactylus, fraxinus, laurus (laurum tamen atque myrtum in Ponto non naſci, teſtis Plin. Theop. vide ſuprà.) ſtyrax, laureola, alaternus, ornithogalon, aceris ſpecies σφένδαμνος, cyſtus, millefolium, chryſanthemon, androſemon, quam Itali vulgò cecilianam appellant. Hæ ſunt raræ ſingularéſque plantæ, quæ illo teſte, in regionibus illis proueniunt: cõmemorat innumeras præterea alias, quas, quoniam in noſtris quoque regionibus inueniũtur, hic omiſi. Ibidem quoque ſerpentum Ponticorum meminit, cuiuſmodi eſt Adrianus ab antiquis, hodie dendroxylla dictus, necnon auium quarundam. *Herbæ Ponticæ apud Bellonium.*

Pontus frumentis quoque abundat. Frumentum autem illud paruum eſſe Theoph. teſtatur lib.8.cap.6. Idem quoque author lib.8.cap.4. tritici quaſdã ſpecies ſecundum regiones vbi naſcitur, enumerans, primas Affrico, ſecundas Pontico tribuit, ac deinceps Aſſyriũ, Ægyptiũ, Siculum enumerat, quas & colore, & magnitudine, & ſpecie, & proprietate inter ſe ait differre. Libro prętera 4.cap.10. Ponticum triticum facillimum & duriſſimum eſſe, quamuis in aëre gelido, teſtatur: huiuſmodi adiuncta ratione, quod & ſemen, & ſolum leuius ſit, & nix quoque plurimum iuuet ad coquendum. Hinc idem author libro 3. cap.29. huiuſmodi quæſtionem mouet. Cur ager gelidus, calidúſve ſit frumentarius, vt in Thracia, Ponto, Affrica, Ægypto. Ad quam ſic reſpondet, Aërem circumfuſum maximè omnium ad tempeſtiuitatem imbrium, vímque flatus, & frigoris conferre. Hæc autem cuiuſmodi fuerint, talia etiam redduntur ſemina. Vnde rectè eſt in prouerbio, Annus fructificat, non tellus. Situs quoque agri plurimum ad flatum Solémque valet omnino, vt ſummatim dicam, ager bonæ frugis frigora quoque multa deſiderat. Serenitates enim flatúſque Auſtrini vitia magna ex parte inuehunt, frugéſque eruginoſos efficiunt. Contrà hyems conſtipatis canceratíſque ſtirpibus, magnitudinem modicam verno tempore facit. Idem quoque lib.4.cap.28. Seminibus valde iam fixis conſtipatíſque frigus Aquilonium mediocre non modo non obeſſe, verùm etiam prodeſſe dicit, conſtipando enim meliora fœcundioráque reddit. Materiæ arborum ad vſum ædificationum primas quidem Macedonicæ, ſecundas Ponticæ tribuunt. Theoph.lib.5.cap.3. Idem lib.4.cap.1. Vbique atque vniuerſæ ſyluæ partem, quæ ad Septentrionem ſpectat, ligna ſpiſſiora, pulchriora, meliora, atque omnino robuſtiora in Aquiloniis exeunt, augentur & proficiunt, denſæ in longitudinem potius, ideóque enodes, rectæ, proceræque fiunt, remíque ex his optimi ſumuntur. Sic idem lib.2.cap.3. Aquilonem ventum amicum eſſe arboribus. Item cap.1, & 2. Imbribus Aquiloniis arbores validiores reddi teſtatur. Hinc apparet non ſine cauſa materiem Ponticam quum ad Septentrionẽ ſpectans, Aquiloniis ventis ſit expoſita, ad nauigia, aliáque ædificia apprimè eſſe accommodatã, vt & Arrianus noſter, cæteríque ſcriptores teſtãtur. Hinc magnam nauium optimarum copiam Mithridati Pontico ſuppeditaſſe.

Pontus frumentis abundat.

Pontica materia ad fabricandas naues accommodata.

Nunc de metallis quoque atque metallicis, ſeu fuſilibus Ponticæ regionis nonnulla, quæ mihi quidem ex ſcriptoribus cognoſcere licuit, proferam. Ac primò quidem omnium auri, argenti, atque ferri venarum regionem Colchicam abundantiſſimam eſſe inter omnes ferè ſcriptores ſatis ſupérque conſtat. Strabo lib.1. vbi Colchidis mentionem facit, necnon.11. vbi ſcribit de Iberis. Hoc enim doctiſſimis quibuſque placet aureum eſſe illud vellus poëticis fabulis celebratiſſimum, quod Argonauticæ illius nauigationis cauſa extitit. Plin. lib.33.cap.3. In Colchis regnaſſe dicit Salaucem, & Eſubopem, qui terram virginem nactus, plurimum argenti auríque eruiſſe dicitur in Suanorum gente, & alioquin velleribus aureis inclyto regno. Sed & illius aureæ cameræ, & argenteæ trabes narrantur, & columnæ atque paraſtatæ, victo Seſoſtre Ægypti

De metallis & metallicis in Põto.

Vellus aureum.

Colchorum reges antiquiſſimi.

Gens Suanorum auri diues.

Sesostris regis AEgypti superbia. rege tam superbo, vt prodatur annis quibusque sorte reges singulos è subiectis iungere ad currum solitus, sícque triumphare. Hæc ille. Et quoniam Suanorum gentis (vbi magna vis auri esse traditur) testantur historici, flumen eius regionis celeberrimum Chobum nomine, cuius Arrianus quoque meminit auri ramentis redundare.

Chobus fl. auriferus.

Huiusmodi autem ex fluminum ramentis collectum aurum, vt cursu ipso tritúque perpolitum, absolutissimum esse, Plin. lib. 32. cap. 4. testis est. Eustathius verò in Dionys. Thoanas (alii Soanes appellant) qui suprà Colchos dicuntur habitare, Phthirophagis finitimis nihilo meliores, auro dicit esse diuites. Aurum apud ipsos torrentes ferunt, quod incolæ pellibus lanatis excipiunt. Vnde illa aurei velleris fabula promanauit, propter quod Argonautæ nauigationem in Colchorum regionem susceperunt. Agricola de re metallica lib. 8. dicit, Colchos in fontium lacunis pelles animantium collocasse: quas quia (cùm multa auri ramēta eis adhæsissent) abstulerūt, auratus Colchorum aries cōfictus est à poëtis. Vide Agricolam eadem de re, De metallis veteribus & nouis lib. 2. Idem Arrianus in Alexand. Magni anabasi tradit. Similiter autem, inquit idem Agricola, pellibus non solùm auri, sed etiam argenti ramenta, & gemmas excipere rationibus metallicorum cōducet. Hinc AEetes rex Colchorum diues ex auri ramentis factus est. Magna quoque procul dubio hinc ad Mithridatis Eupatoris opulentiam (de qua infrà) accessio facta est, nam vniuersam illam regionem Colchicam in ditionem potestatémque suam redegit. Chaldæos olim Chalybas dictos, apud quos Pharnacia sita est, cùm piscatu, tum etiam ferri & argenti metallis abundare, testis est Strabo lib. 12. testes plurimi alii scriptores. Hinc Homerus Alyba dixit ἀργύρου ἔστι γενέθλη. Strabo regionem Chalybum intelligit, contra Scepsium & Demetrium, & alios, qui vel Bithyniæ, vel Phrygiæ locum intellexerunt.

Thoanes aurum è fluminibus excipere soliti pellibus.

Bellonius lib. 1. obser. cap. 52.

Mithridates auri diues.

Melanthō, p. 41.

Aurum Scytharum. De auro apud Scythas à formicis, aut gryphibus eruto: item de Hebro Thraciæ fluuio auro abundante: vide Plin. lib. 33. cap. 4.

Cappadocia argenti, æris, ferri plena. Argenti præterea æris atque ferri venis locupletissimam esse Cappadociam Strabo lib. 12, aliíque testantur.

Sandaracurgiū metallis abundans. In vrbe Pompeiopoli, quæ celebris est Paphlagoniæ vrbs, Strabo testatur montem esse propter metallorum omnis generis effossionem concauum, quē operatores maximis cuniculis subeant. Solebant olim, vt idem inquit, publicè operari, & fossoribus vtebantur seruis ex aliquo maleficio redemptis. Nā præter operandi laborem, qui maximus est, aërem præterea dicunt, propter odoris grauitatem è glebis exhalantem, lætiferum esse. Vnde corpora ibi citò mori ita vt metallorum effossio sæpè deficiat propter operariorum incommoda, qui quum plures sint quàm C C. continuò & morbis & labe absumūtur. Chalcondylas lib. 7. testis est æs post Ibericum optimum in Paphlagonia nasci, vnde quotannis Ismael Rex tributi nomine receperit myriades staterum auri.

Metallorum effossio periculosissima.

Lapidibus quoque pretiosis, gemmis, margaritis Pontum fuisse plenum atque refertum passim ex historicis atque scriptoribus apparet. Cuius rei argumentum est pretiosa illa elegans Mithridatis suppellex, cuius eum percupidū fuisse Appianus testatur. Idem circiter 2000. poculorum ex onyche gemma factorum, necnon fræna equorum, pectorales, humeralésque phaleras gemmatas atque auratas innumerabiles habuisse dicit. Hinc satis constat cùm aliis gemmis, tum imprimis onyches, ex qua tot Mithridati fuerint pocula, magnā in Ponto fuisse abundantiam. Plin. lib. 37. cap. 10. testatur Zachaliam quendam Babylonium (alij Zachariam nominant) libros quosdam ad regem Mithridatem scripsisse, & in iis humana fata gēmis tribuisse. Solinus polyhist. c. 23. Mittit Pontus & gemmas, quas à patria Ponticas dicimus, genere diuerso. Quippe aliæ aureas, aliæ sanguineas stellas habent, & hæ quidem inter sacras habentur. Námque ostentationi potiùs, quàm vsui deleguntur. Non guttis asperæ sunt, sed longis colorum ductibus lineantur. Hæc ille deprompsit ex Plin. lib. 37.

Pontum gemmis scatere Mithridatis pretiosa suppellex est argumento.

Pocula ex onyche gēma 2000.

Gemmæ Pōticæ.

37.(in quo pluribus agit de gemmis) cap.10. Vniones in Bosporo freto (cuius quasi pater est Pontus) nasci Ælianus lib.15. de animal.cap.8. probat ex Iuba, quem idem dicit affirmare Bosporanos illos vniones & Britannicis esse inferiores,& cum Indicis atque Erythræis nullo modo comparandos. Hos rufos, ac paruos in conchis,quas myas appellant,reperiri,testis est Plin.lib.9.cap.35. Alabastritem,quem lapidem ad vasa vnguentaria optimè incorruptum seruare,atque vstum emplastris conuenire aiunt,plurimum in Cappadocia inueniri,testis est Strabo lib.12. sed illum vilissimum esse ac sine vllo nitore, testatur Plinius lib.36.cap.8.Specularem quoque lapidem, quem Hispania olim citerior tantùm dabat, Cappadociam quoque ferre mollissimum & amplissimæ magnitudinis, sed obscurum, author est Plin.lib.36. cap.22. Eiusdem Strabo quoque meminit lib.12. *Vniones Bosporani.*

Lapis Thracias dictus nascitur in flumine quodam Scythiæ cui Ponto nomē est. Vis ei Gagatæ.Traditur aqua accēdi, & oleo restingui id quod in bitumine accidit. Galenus 9.simpl.medic.de Gagate.de lapide hoc Thacio,sic Nicād. *Thracias.*

Si lapis vratur candenti Thracius igne,
Post madefiat aqua,flagrabit totus,& idem
Nam oleo effuso penitus restinguitur:adfert
Thracius hunc ad nos pastor de flumine,nomen
Cui Pontus.—

Strabo locum quendam in Cappadocia esse testatur candidi lapidis, colore ebori persimilis,qui cotes quasdam non magnas producat, è quibus cultrorum capuli fiant.Crystalli quoque & Onychiti lapidis crustas propè Galatas ab Archelai perquisitoribus inuentas esse dicunt,inquit idem Strabo lib.12.Catopyriten in Cappadocia,necnon Capnitem ebori similem in Phrygia pariter atq; Cappadocia nasci,testis est Plinius lib.37.cap.10. Opali quoque idem sed vilissimi, qui in Ponto nascatur, lib.37.cap.6. meminit.Chrysolithos Ponticas inquit idem cap.9. deprehendit leuitas, mollius quoque easdem radiare dicit. ibid. Scythiam præter testimonium paulò antea commemoratum, auro gemmísque locupletem esse Solinus quoque testatur cap.25.Apud hos Gryphes tenent vniuersa. Alites enim sunt ferocissimæ,& vltrà omnem rabiem sæuientes,quarū immanitate obsistente aduenis accessus difficilis,ac rarus est.Quippe visos decerpunt, veluti geniti ad plectendam auaritiæ temeritatem. Arimaspi cum his dimicant,vt lapides intercipiant.Hæc Solinus ex Plinij libro 7. cap.2.Arrianus noster lib.5.gestorum Alexandri, his, quæ ad voluptatem magis,quàm fidem fuerint excogitata,nō putat adhibendam fidem. Albertus 23. de animalibus,hæc eadem de Gryphis & Arimaspis in dubium reuocat.Smaragdos Scythicos duritie atque austeritate sua cæteris omnibus præstare, & quantùm Smaragdi à gemmis,tantùm Scythicos à cæteris Smaragdis differre, testis est Plin.lib.37.cap.5.Huius descriptionem vide apud Albertum lib.2. Mineral.Solinum cap.25.Cyaneum quoque optimam esse Scythicā, deinde Cypriam,postremo Ægyptiam,idem author est lib.eodem,cap.9.Ibidem quoque Iaspidi Scythicæ primas tribuit. necnon crystallo Scythico, cap.2. De quibus vide Solinum quoque,cap.25.Thracia quoque præstantes quasdam habet gēmas.Nam & carbunculos ignem minimè sentientes,cap.7.& Caspiam Indicæ similem,cap.8.& Achatem cap.10.ibi prouenire author est Plin.lib.37. Thraciam trium generum esse,viridem,aut pallidiorem, tertiam sanguineis guttis idem testatur cap.10.Caspiam cœruleam circa Thermodontem(de quo infrà) amnem,in Phrygia purpuream,in Cappadocia ex purpura cæruleam, & non refulgentem nasci idem est author, cap.8. Morion in Tyro & Galatia nasci, Plin.lib.37.Præterea vt de aliis quoque fossilibus dicamus, rubricam Sinopicā omnium optimam esse, ac cum Iberica certare, testis est Strabo lib.12. Sales quoque Cappadociæ croceos,translucidos,atque odoratissimos,& Plin.lib.31.

Lapidis candidi locus in Cappadocia. Ex hoc cultrorum fiunt capuli. Crystallus & Onychites Cappadociæ. Catopyrites. Capnites. Opalus. Chrysolithus. Scythia auro gēmisque affluens. Idem Mela affirmat lib.2.ab initio. Gryphas, Latini alites teste Nonio Picos appellabant. Gryphium & Arimasporū pugna fabulosa videtur esse. Smaragdus Scythicus. Cyaneus. Iaspis. Thracia quoque gemmifera. Caspia. Thracia trium generum. Caspia circa Thermodontē fl. Rubrica Sinopica. Sales.

cap.7.& Strabo lib.12.summopere commendant. In Ximena, inquit Strabo, sales sunt fossiles, à quibus Halym flumẽ dici putant. Ibid. Minium apud Colchos in rupe quadam inaccessa, ex qua iaculantes decuterent, adulterum esse, Plin. testatur lib.33.cap.7. Alumen Ponticum candidum ab eodem celebratur, lib.35.cap.15. Auripigmentum globosum ex Ponto & Cappadocia afferri, necnon optimum in Hellesponti Mysia nasci, testis est Dioscorid.lib.5.c.70. Mitulos laudatissimos in Ponto nasci, Dioscor. author est lib.2.cap.4. Ichthyocolla præstat candicans, natione Pontica, Dioscorid.lib.3.cap.84. Picis fossilis in Apolloniatarum agro, quæ Macedonica non sit deterior, Plin. meminit lib.16. cap.12. Hæc sunt quæ hinc inde ex authoribus colligere potui adiutoribus vsus D.D. Casparo Volffio affine meo charissimo, necnon D.D. Thaddæo Duno, amico meo plurimum obseruando, cuius breui (vti spero) elegans & acutus de respiratione liber in lucem exibit.

Minium. *Auripigmentũ.* *Mituli.*

Nunc superest, vt de Ponticarum harum gentium ingenio, natura, moribus, statu denique cùm politico atque ciuili, tum religioso siue ecclesiastico, quantùm mihi quidem ex variis authoribus cognoscere licuit, scribendo prosequar. Ac illud quidem extra omnem dubitationem est positum, hominum mores plerunque cœlo, locisque quæ incolunt, conformes atque consimiles existere, qua de re sic elegantissimè Cicero in illa sua contra Rullum oratione disserit, Non ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis, ac seminis, quàm ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci, & à vitæ consuetudine suppeditantur, quibus alimur & viuimus. Carthaginienses fraudulenti, & mendaces, non genere, sed natura loci, quòd propter portus suos multis & variis mercatorum, & aduenarum sermonibus ad studium fallendi, studio quæstus vocabantur. Ligures montani, duri, atque agrestes: docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura, & magno labore quæsitum. Campani semper superbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, vrbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt: arrogantia, qua à maioribus nostris alterum Capua consulem postulauit: deinde ea luxuries, quæ ipsum Annibalem armis etiam tum inuictum voluptate vicit. Hæc ille. Quibus nos Ciceronis exemplis Ponticarum harum nationum plurima exempla adiungere possumus. Cœlum Ponticum iam antea crassum atque caliginosum, ipsum verò mare assidua ferocissimorum ventorum vi agitari atque turbari solitum, fluctuosum periculosúmque esse dictum est, eiusmodi planè fuerunt gentium illarum mores atque ingenia. Hinc Herodotus lib. 4. Pontum Euxinum gentes dicit omnium imperitissimas exhibere, inter quas nulla sapientiæ vestigia reperiri possint, excepta gente Scythica, atque Anacharsi Philosopho. Sic Lucianus in Pseudomante Paphlagones omnésque in genere Ponti accolas δεισιδαίμονας, ἠλιθίους, παχέας, καὶ ἀπαιδεύτους, hoc est, superstitiosos, fatuos, crasso ingenio, omnis humanitatis atque doctrinæ expertes vocat. Fuerunt itaque hanc eandem ob causam pleræque hæ gentes illiberali atque seruili ingenio, ad seruitutem potius quàm ad libertatem, nedum ad dominium ab ipsa natura fictæ atque formatæ. Nam quemadmodum summus ille philosophus Aristot. in libris politicorum disserit, ipsa natura alios quidem seruos, alios dominos videtur efficere: dominos quidem atque aliis imperantes qui (vt illius vtar verbis) διανοίᾳ possunt προορᾶν, hoc est, prudentia sapientiáque pollent: contrà verò seruos, qui prudẽtia vacui, corporis viribus atque robore valent. Hac de re vide apud illum plura, lib.1.cap.1, & 3. Huiusmodi planè legimus esse Ponticos hosce populos ingeniis quidem hebetes, obtusos, prudentiæ sapientiæque expertes, corporibus autem crassos, atque robustos, ac proinde seruituti perquam accommodatos. Hinc Polybius libro quarto suæ historiæ, Ponti regiones Byzantiis ad necessarios vsus coria, ac multitudinem seruorum abundantissimè suppeditare dicit. Philostratus

De Ponticorum moribus. *Mores hominum cœlo plerunque atque locis conformes.* *Cic. hac de re testimon. elegans.* *Carthaginienses fraudulenti & mendaces.* *Ligures montani duri.* *Cãpani superbi.* *Cornucopiæ proles arrogantia atque luxuries.* *Capua.* *Cœlum Pöticum nubilum.* *Mare Ponticum fluctuosum.* *Ponticorum bruta inscitia.* *Herodoti testimonium.* *Scythas excipit & Anacharsim Philosophum.* *Paphlagones ac Pontici idiotæ, illiterati, &c.* *Pontici seruili ingenio.* *Natura alij serui, alij domini.* *Pontus multos seruos suppeditat.* *Polybij testimonium.*

tus de vita Apollonij libro 8. Ponticos, inquit, aut Lydios seruos, aut Phrygios gregatim huc aduectos inuenire licet. Hæ namque gentes, & cæteri barbari, semper aliis parere consueti, nequaquam turpem existimant seruitutem. Phrygibus autem familiare est proprios etiam filios vendere, & si captiui in seruitutem abducantur, ne ad eos quidem respiciendos sese conuertunt. Græci autem libertatis adhuc sunt amantes, nec Græcus quisquam citra mortem in seruitutem venditus est. Quapropter nec seruorum prædonibus, nec eorundẽ mercatoribus apud ipsos locus permittitur. Hinc Cicero in orat. illa, quam post reditum suum ab exilio habuit, Cappadocem, inquit, modò abreptum de grege venalium diceres. Idem author in illa sua pro L. Flacco oratione iisdẽ quasi coloribus populos istos à vetere Græcia distinguẽs, describit atque depingit. His postremò adiungamus Ezechielis Prophetæ testimonium, cap. 27. versu 13. vbi de Tyriorum negotiationibus verba faciẽs, Iauan, inquit, Thubal & Mesech ipsi institores tui, cum animabus hominum, & vasa ærea dederunt in nundinis suis. [redacted] subopem Colcho- [redacted] risque harum gen- [redacted], quæ nostro proposito accommodata subiicere volui, disseruit. Iauan sunt Iones Græci. Tubal interpretatur Iosephus, [redacted] in suis Chronicis, Hispanos, & nominat Iberos: fuisse autem initiò Iberos & Chalybes in Asia vicinos, inter Pontum Euxinum, & mare Caspium metallicis venis claros. Alij Albanos intelligunt. Mesech sunt Moschouij, qui relictis suis sedibus ad Pontum Euxinum, versus Septentionem progressi sunt: in locum eorũ successerunt Cappadoces: hinc quidam per Mesach Cappadoces intelligunt. Hæ gentes in nundinis Tyriis mancipia vendiderunt. Ex Græcis, & præcipuè ex Cappadocia multa fuerunt mancipia. Cappadoces fuisse seruili ingenio ex [redacted] ui iuris liberique deincep[redacted]atunt, orarúntque Regem habere liceret. Romani admiratione ducti, liberum eis permiserunt, vt quando libertatem non vellent amplecti, Regem suo arbitratu constituerent. Hæc ille. Nec verò tantùm crasso, obtuso atque hebete, seruili, illiberalique ingenio, verùm etiam sæuis, immitibus atque immanibus moribus plerosque horum populorum extitisse, plurima literarum monumenta testantur. Cui enim vel mediocriter in historiis versato Bithynorum, Paphlagonum, Cappadocum, Colchorum, Achæorum, Lygorum, Heniochorum, Lazorum, denique Scytharum, Taurorum, atque Thracum, qui varij sunt ac multiplices, bruta barbaráque honestarum rerum inscitia, atque ignorãtia, cum extrema morum feritate immanitatéque coniuncta, non est perspecta atque cognita? Hæ videntur nonnullis esse Symplegades illæ infestæ atque funestæ, de quibus infrà, poëtarum fabulis celebratæ, à quibus ipse quoque Pontus olim ἄξεν℧, hoc est, inhospitalis dictus est, de quo suprá. Quoad Scytas & Homerus illos Abios atque iustitiæ cultores appellat, & Herodotus quandam illis, vt paulò antè dictum, sapientiam tribuit, & Quintus Curtius illis non sicuti cæteris barbaris rudem & inconditum sensum esse, quin imò quosdam illorum sapientiæ capaces esse, ex quorundam opinione asserit. Verùm Strabo libro 7. Scythas agricultores, atque νομάδας, hoc est, rei rusticæ atque pastoritiæ deditos, ἡμερωτέρους atque πολιτικωτέρους, hoc est, mãsuetiores, ciuilioresque esse affirmat, atque hos quidem esse illos quos Homerus iustitiæ militiæque studiosos, Galactophagos, Abios denique, hoc est, delicatiore, voluptuariáque vita carentes appellet, quorum victus sit caro (præter cęteras) equina, caseus, lac, & lac quoddam acetosum, quod illi arte quadam condientes, delicatissimi eximiique obsonij loco habent. Cæterùm illos qui mare attingunt, atque lucri

Philostr. test. de seruis Ponticis.
Seruitutem non turpem ducunt.
Phryges filios quoque proprios vendere soliti.
Græci veri libertatis amantes.
Cappadoces maximè seruiles.
Ciceronis testim.
Ezechielis test.
Lauaterus
Iauan Iones.
Tubal Iberi.
Chalybes.
Mesech Moschouij, in quorum locum successerunt Cappadoces.
Mesech quidam Cappadoces intelligunt.
Cappadoces contra naturam seruitutem libertati antepos uerũt.
Ponticorum sæuitia.
Symplegades Cyaneæ.
Hinc Pontus Axenus olim dictus.
Scytharum distinctio.
Scythæ mediterranei mansuetiores atque ciuiliores.
Heluetiorum prisci temporis similes.
Ὀξύγαλα.
Scythæ maris accolæ feroces, latrociniis dediti.

studio ducuntur, à latrociniis atque iniuriis haudquaquã sibi temperare. Hinc apparet id quod ipsa quoque hodie docet experientia, maritimos homines (cuiusmodi ferè hi fuerunt Ponti Euxini accolæ, partim hebetes, rudes, atque idiotas, seruili illiberalique ingenio, partim callidos atque fraudulentos, infidos, perfidos, iniurios, deliciis, voluptatibus, prædis atque latrociniis addictos, vitam degere. Quamobrem non est mirum si Plato libro 4. de legibus illam suam, quam finxit, beatissimam atque florentissimam ciuitatem mari non nimis vicinam, sed octoginta stad. ab illa distare voluit. Nimis enim propinquã maris vicinitatem, iucunda illa licet sit atque amœna, tamen perniciosam esse ciuitati asserit. Nam ex nimio illo mercaturæ, negotiationum, lucri atque pecuniæ studio, in hominum animis ἤθη παλίμβολα atque ἄπιστα. i. callidos, atque versipelles, necnon infidos mores procreari, hincque fieri, vt ciues sibi mutuò pariter atque aliis ἀφειδεῖς καὶ ἄπιστοι, hoc est, infesti infidique reddantur. Eadẽ de re Aristoteles pluribus libro 7. Politic. cap. 6. disputat in vtramque partem.

Mare improbitatis magister.
Plato.
Mare κακὸς γείτων.
Mare mores reddit improbos.

[redacted] quantum mihi qui[redacted] licuit, [redacted] sequar. Ac illud q[redacted]rum, ho[redacted] libro 1. suarum historiarum clarissimè testatur. [redacted] agenti [redacted]quid à Meridie ad Septentrionem [redacted]olis occasum pertinet vsque ad Gades insulásque Britannicas, Armeniam, Iberiam, Pontũ, Colchos, atque vlteriores regiones atq; insulas, vsque ad Italiam, Gallias, Hispaniam, Celtiberiam, & Lusitanos. Paulò pòst his addit, Mediam, Albaniã, Armeniam maiorem & minorem, Amazonum regionem, Paphlagoniam, Cappadociam, Galatiam, Bosporenos, Mœotidem, Derrim, Sarmatiã, Taurianos, Bachianos, Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Græciam & alias, quæ nunc ad propositum nostrum non faciunt. In eadem opinione atque sententia doctissimos [redacted]. A Gomer enim Iapeti filio Cimmerios olim, postea Cimbros dictos, Cimmerij illius & Bospori & oppidi clarissimi incolas: à Magog Scythas atque Turcas, à Madai Medos, à Iauan Ionas, siue Græcos vult ortos. Quoad verò Iauani filios, Noachi nepotes, ab Elisa Æoles, qui sunt in minore Asia, à Tharsi Tharsum, quæ est Cilicum metropolis, à Cethim Macedonas olim Μακέτας dictos, à Dodanim Dodonæos in Epiro, à Thubal Iberos atq; Chalybas Asiæ populos Septentrionales, à Mosoch siue Mosech Moschouios, Μοσχικούς, & Μοσσινοίκους olim dictos, necnon qui illis successerunt Cappadoces, à Tira Thracas originem suam traxisse prodit. Quoad verò Gomeri filios ab Ascane Ascaniam (quæ est supra Phrygiam in Bithynia, versus Cimmerium Bosporum) à Riphat Riphæos, Sarmatas siue Sauromatas, Paphlagonas, Henetos: à Togorma Phrygas illos serui les oriundos videri tradit. Atque hæc est maxima quidem ex parte Ponticarum istarum gentium origo. Hinc forsan nata est illa fabula de Prometheo, (quem Iapeti filium faciunt) Caucaso affixo, qui mons Ponticis his gentibus imminet.

Ponticas gentes ab Iapeto oriundas esse.

Cimmerij. Bosporani. Scythæ. Turcæ. Medi. Græci. Æoles. Cilices. Macedones. Dodonæi. Iberi, Chalybes. Moscouij. Cappadoces. Thraces. Ascania. Riphæi. Sarmatæ. Paphlagones. Heneti. Phryges.

Illud quoque non est omittendum, id quod à multis, literis memoriæque proditum legimus, Grecos nimirum illos veros atque veteres (vt à Cicerone in orat. pro Flacco appellantur) multum operæ studiique in illis gentibus ad humanitatem cultúmque ciuilem traducendis posuisse: veruntamen ingenitam illam sibi crudelitatẽ, immanitatémque semper retinuisse legimus, donec tandem Euangelica doctrina hanc illis vel omnino detraxit, vel certè plurimum imminuit, qua de re infrà vberius dicetur.

Græcorum studium in Ponticorum moribus mitigandis.

Nunc ad statum politicum, atque ciuilem, & generatim quidem omnium horum populorum, qui Pontum Euxinum circunquaque accolunt, & speciatim

De statu, atque regimine politico Ponticorum.

tim ipsius Ponti propriè dicti (quod regnum primò florētissimum ex plurimis populis conflatum, deinde prouincia pop. Rom. extitit) explicandum me conuerto. Ac primò quidem omnium (vt hinc potissimum exordiar) ex omnibus ferè historiis, quas ego viderim, constat, plerasque hasce gentes nationésque Ponticas non tam ἀυτονόμους, hoc est, sui iuris atque legum, quàm ἀνόμους planè καὶ ἀπολιτεύτους καὶ ἀβασιλεύτους, hoc est, iuris, æquitatis, legum, reipubl. legitimæ politiæ atque gubernationis expertes, ferarum more, ritúque vagantes, atque palantes, rapinis, prædis atque latrociniis deditas, immanissimam miserrimámque vitam egisse. Quamobrem illud creberrimè à Cicerone vsurpatum, de fero, qui olim fuerit omnium hominum agrestíque statu, hisce potissimum gentibus verissimè posse accommodari, optiméque congruere videtur. At (dixerit aliquis) quomodo gentes has ἀβασιλεύτους fuisse affirmem, quum tamen crebra admodum Regulorū, quibus illæ paruerint, passim in historiis fiat mentio. Sic enim (vt ex innumeris exemplis pauca decerpam) & Iustinus libro 1. Tanaim antiquissimum Scytharum regem, & Plinius præter illum qui historiis frequēter admodum celebratur, Æotem, Salaucem quoque & Esubopem Colchorum reges antiquissimos nominet. Sic Mithridates, de plerisque harum gentium, quæ ei subiectæ fuerunt, in oratione quadam sua ad milites (referēte Iustino) verba faciens, nullam earum peregrina quidem imperia expertam fuisse: sed tamē domesticis Regibus paruisse dicat. Arrianus quoq; noster (ne longius abeamus) infrà nomina Regum quorundam, quibus gentes Ponticæ subiectæ fuerint, enumerat. solos Sannos ἀβασιλεύτους, hoc est, Rege carentes appellans. Respondeo Regulos barbararum istarum gentium Regum quidem augusto atque honorifico nomine indignos, tyrannos potius siue latronum duces appellandos fuisse. Id quod summi illius philosophi Aristotelis authoritate comprobari potest, qui & libro 3. ca. 10. Politic. vbi regni, & libro 4. cap. 10. vbi tyrannidis genera enumerans, Barbarorum Regum tyrannidem, ac Reges illos tyrannos potiùs quàm Reges ducendos appellandósque esse testatur. Idē quoque philosophus libro 7. Politic. cap. 7. (id quod à proposito nostro minimè videtur esse alienum) gentes quæ frigida loca incolunt, vt quæ sunt circa Europam (cuiusmodi nos dicere possumus Colchos, Apsilas, Lazos, Heniochos, Scythas, atque Thracas: denique Phasidis, Borysthenis, Istri, Bospori, Cimmeri, Mœotidis accolas, qui ferè sinistrum Ponti Euxini latus Europæum siue Thracium dictum tenent) animosas quidem esse, sed mentis, intelligētiæ, industriæ atque solertiæ inopes, atque idcirco liberas, & ἀπολιτεύτους, (vt Thraces cum Xenophonte Quintus Curtius appellat) hoc est, politiæ expertes, miniméq; ad vicinis imperandū aptas esse dicit. Contrà verò gētes Asianas ingenio quidē atque solertia plus valere: at verò nullius animi, ac proinde ad parēdū quàm imperandū aptiores esse. Illud preterea ex omnibus ferè historiis manifestum est, Ponticas has gentes ceu omnibus ferè exosas atque inuisas, & ab omnibus ferè reliquis gentibus auri potissimum atque argenti ergò, quibus affluebant, creberrimis bellis tentatas atque vexatas fuisse: & ipsas quoq; contrà ceu Dei flagella atque secures omnibus ferè seculis vniuerso reliquo terrarum orbi plurimum negotij molestiæque exhibuisse. Quot enim, quæso, quàm diras atque funestas, Thracum præsertim atque Scytharum (qui idcirco teste Chalcondyla torros Septentrionalis dicti fuerunt) in Asiam, Europam atque Africam irruptiones quasi inundationes quasdam horrendas factas fuisse legimus, quibus tandem regna potentissima Romanum, Constantinopolitanum, Trapezuntinum conuulsa atque labefectata, regnúmque Turcicum (cuius conditores ipsi Scythæ) breui tempore magno incremento accessionéque auctum cumulatúmque fuit. Quamobrem illud Ciceronis pro L. Manilio (multa ex Ponto bella omnibus temporibus emersisse, multa in illum inuecta esse) verissimum, omniúmque seculorum experientia comprobatum esse re-

Pōti regni status.

Pontici plerique ἀπολίτευτοι.

Vniuersalis quōdam omnium populorum secundum Ciceronem ἀναρχία.

Habuerunt tamen Regulos.

Tanais Scytharū regulus.

Lib. 33. c. 3.

Colchorum reguli prisci.

Reges isti hoc nomine indigni.

Aristot. negat barbarorum regnum esse posse, sed tyrannidem potius appellādā.

Ponticarum gentium quarum aliæ Asiaticæ, aliæ Europææ, quædam ex Arist. differentia.

Ponticæ gentes vniuerso mundo inuisæ atque infensæ.

Scytharum in reliquas mūdi partes crebræ irruptiones.

Turcæ Scytharū propago.

Pōtus bellis semper funestissimus.

perio, ita vt non tam πόντος quàm πόνος, hoc est, labor dolórque dici mereatur. Sic Vexorem quendam antiquissimum regem Ægypti in Pontum, & contra Scytharum regem Tanaim nomine (cuius paulò antea facta est mentio) in Ægyptũ excurrisse, séq; ita mutuò funestissimis bellis vexasse, testis est Iustin. lib. 1. Atque hos quidem duos Reges idem author primos omnium ditionis, imperiíque sui terminis minimè contentos, ad externos quoque populos imperiis suis subiiciendum animum cupiditatémque suam adiecisse testatur. Græcos præterea creberrimas in Pontum migrationes expeditionésque vel sua sponte, vel necessitate quadam compulsos è sedibus suis eiectos suscepisse atque fecisse legimus, à quibus etiam (vt suprà dictum) ipse Pontus ædificiis pariter atque moribus aliquantum fuit excultus. Plerasque enim Ponti vrbes Græcorũ fuisse colonias, cùm omnium ferè historiis, tum hac ipsa Arriani nostri epistola testatissimum est, ita vt Pontum (ceu nouam Græciam) veteris illius, veræque Græciæ sobolem atque propaginem, seu fæces potius atque excrementa appellare possis. Hinc Cicero in illa sua orat. pro L. Flacco veterem illam verámque Græciam, quam in tria genera, nimirum Athenienses (quæ gens Ionũ habebatur) Æolas atque Dores diuidit, quámque fama, gloria, doctrina, plurimis artibus, imperio, ac bellica laude floruisse, paruum quẽdam Europæ angulum tenuisse semper, & adhuc tenere dicit: ab hac quasi noua barbaráque Græcia distinguens subiungit, Asiæ maritimam oram bello superatam cinxit vrbibus, (subintellige vetus illa Græcia) non vt munitam coloniis illam augeret gentẽ, sed vt obsessam teneret. Iam verò cui ignota est illa poetarum præcipuè fabulis decantata, celebratáque antiquissima Phryxi cum Helle sorore per mare hoc Euxinum in Colchos nauigatio? quæ decimo quinto anno Erichtæi, qui Pandionem in regno sequutus est, facta fuit. Hinc cẽtum & tribus annis post Phryxum & Hellem, quum iam Ægeus, alterius Pandionis filius, tertium annum Athenis regnaret, Iason & Argonautæ nauigabant Colchos, vt ait Ennius,

Petebant illam pellem inauratam arietis.

Hi ergo duo Phryxus primò, deinde Iason bellum intulerunt Colchis, & omnino sæpius Græci Asiæ opibus inhiarunt. Ante quoque illam primam Phryxi in Pontum expeditionem, Erichtæus Atheniensis Thracas, qui Africã oppresserant, repressisse dicitur. Crœsum præterea Lydorum regem antiquissimum ac potentissimum, testis est Herodotus libro 1. Omnes illos (qui intra Halym fluuium sunt) populos, vt Cilicas, Lycios, Lydos, Phrygas, Mysios, Mariddynos, Chalybas, Paphlagonas, Bithynos, Cares, Iones, Dores, Æolas, Pamphylos sub imperij sui ditionem subiunxisse. Idem (eodem teste Herodoto) flexiloquo illo Apollinis oraculo deceptus expeditionem in Cappadociam suscepit, idque partim regni sui dilatandi, partim Cyri Persarum regis, cui Cappadoces à Græcis Syri nominati parebant (qui ante Persarum imperium Medis fuerant subiecti) vlciscendi gratia. A qua illum expeditione, quæ illi fatalis extitit, Lydus quidam Sandanis nomine, deterrere conatus est, regionis illius infœcunditatem, durum asperúmque eius incolarum victum cultúmque illi proponens. Plerasque certè has gentes Medorum atque Persarum monarchiæ fuisse subiectas, testis est Herodotus, qui & Xerxis, & filij eius Darij in Pontum expeditiones describit libro 4. Idem patet ex Xenophontis Anabasi Cyri maioris. Postea Dario vltimo Persarum rege memorabili prælio interfectis circiter nonaginta millibus hominum, ab Alexandro superato, ac monarchia Persarũ ad Macedonas traslata, hæ quoque simul gentes magna ex parte in illorum manum potestatémque peruenerunt. Nam (quemadmodum ex Quinti Curtij, necnon Arriani nostri historiis de Alexandri Magni expeditionibus rebúsque gestis patet) & Philippus, & eius filius, magnus ille terrarũ archipirata (sub quo monarchia illa ἐν ἀκμῇ, id est, florentissima ac potentissima extitit)

Vexores Aegypti rex Ponti vexator.
Vexores Aegypti, atque Tanais Scytharum rex, primi sui imperij terminos prolatare sunt conati.
Græcorum crebræ in Pontum expeditiones.
Pleræque Ponti vrbes Græcorum coloniæ.
Pontus aliquo modo quasi noua Græcia veteris propago potest dici.
Vetus Græcia tribus constat populis.
Athenienses.
Aeoles.
Dores.
Græciæ veteris laus.
Cur Græci in Põtum colonias deduxerint.
Phryxi antiquissimi in Pontum expeditio.
Iasonis & Argonautarum in Pontum expeditio.
Thraces ab Erechteo Atheniensium rege repressi.
Crœsus Lydorũ rex Ponti magnã partem tenuit.
Crœsi in Cappadociã expeditio.
Ponticæ gentes sub Persarum atque Medorum monarchia.
Regum Persicorum expeditiones in Pontum.
Gentes Ponticæ sub Macedonum monarchia.
Philippi & Alexandri expeditiones in Pontũ.

extitit.) has quoque gentes Ponticas bellis tentarunt atque vexarunt, quas tamen omnes minimè vincere atque domare potuerunt. Tametsi hac de re contrarias fuisse olim historicorum sententias reperio, teste Appiano de bello Mithridatico. Videtur, inquit ille, Alexāder has gentes (Cappadoces, & reliquas hasce Ponticas gentes intelligens) tributarias reliquisse sub suis principibus, dum contra Darium properat. Apparet enim hunc Amisum Athenis oriundum ciuitatem ad popularem administrationem redegisse iuxta instituta maiorum. Hieronymus contrà, eodem teste Appiano, prodidit Alexādrum ne attigisse quidem has gentes, sed dum Darium peteret, ingressum aliam viā maritimam per Pamphiliam & Ciliciam, &c. Cui suffragari videtur Mithridates in illa sua ad milites oratione cuius Iustinus meminit lib. 38. in qua Cappadociam, Paphlagoniam, Pontum atque Bithyniam recensens, harum gētium nullam neque Alexandrum, qui totam pacauit Asiam, nec quenquam successorum eius aut posterorum attigisse dicit. In eadem oratione duos tantùm ante se Reges Darium atque Philippum Scythiam non pacare, sed intrare tantùm ausos fuisse, atque ægrè inde fugam expediisse dicit: quum tamē alii (inter hos Arrianus & Q. Curtius) Alexādrum magnū in Scythiam vsque penetrasse, ac super Tanais ripam vrbem, ad eiusdem fontes aram extrusisse affirment: sic quoque in supplemento in Q. Curtium Philippus Alexandri pater & Cappadociā imperio Macedonico adiecisse, & Thraciam occasione duorum fratrum de regno dimicantium, & Scythiam expugnasse dicatur. Atque hæc quidem promiscuè generatímque καὶ ὡς ἐν τῷ πλάτει sint dicta de Ponticarum harum gentium sub tribus illis monarchiis statu atque conditione, nunc ad regni Pontici quasi incunabula veniamus.

Duarum Alexandri in Pontū expeditionū contrariæ auctorum sententiæ.
Alij Alexandrum affirmant Ponticas has nationes adijsse.
Amisus.
Alij negant.

Post Alexandri Magni mortem monarchia illa Macedonica secundum veridicum Danielis somnium in quatuor regna quasi membra discerpta dilacerat áque fuit: nimirum Ægyptum cui Ptolemæus, Syriam cui Seleucus, Asiā minorem cui Antigonus, Macedoniam cui Antipater præfuit. Tandémque continuis discordiis atque dissensionibus omnino euanuit. Ac Alexādro quidem successit Perdica, huic Antipater, qui Nicanorem misit satrapam in Cappadociam. Cæterùm non multò post seditione exorta inter ipsos Macedonas, Antigonus eiecto Laomedonte occupauit Syriam. Huic familiaris erat Mithridates vir regij apud Persas generis. Antigonus in somnis visus est sibi aurum in aruo seminare, & id demessum Mithridatem in Pontum asportare: quamobrem comprehensum voluit occidere. Quo ille animaduerso fuga saluti suæ consuluit sex equitibus comitatus, & communito quodam vico in Cappadocia, multis ad eum, dum Macedones aliis negotiis intenti essent, deficientibus & Cappadociam ipsam & finitimas gentes occupauit. Hæc Appianus tradit. Vicum verò siue locum illum, cuius Appianus à Mithridate communiti meminit, Strabo lib. 12. Ciniala appellat castellum munitissimū in Cinistenis situm, Olgasy monti subiectum, quo Mithridatem eius cōditorem receptaculo ad Ponti imperium adipiscēdum vsum fuisse prodit. Hic ergo (teste Appiano, Strabone, Iustino, & aliis) primus regni huiusce Pontici quasi fundamenta iecit, cuius deinceps successores plerique vt regnum ita nomen quoque idem obtinuerunt. Ab hoc Mithridatem illum Eupatorem Magnum vltimum Ponti regem, sub quo regnum illud vt potentia atque opibus maximè floruit, ita corruit, ac in Romanorum potestatem transiit, octauum fuisse testatur Appianus. Lucius Solinus tres Ponticarum gentium reges enumerat. Antiquissimum omnium Atheam, post Artabarzanem ex Persis oriundum, inde Mithridatem, Eupatorem nominat. Plinius lib. 34. cap. 12. Pharnacem cuius argenteam statuam à Pompeio Romam in triumpho transuectam esse affirmat, primum Ponti regem vocat. Mithridates Eupater ipse in sua illa, de qua paulò antea, ad milites oratione, auum suum Pharnacem, proauum Mithridatem

Macedonicæ monarchiæ quasi dilaceratio in partes.
Cui singulæ partes obtigerint.
Perdica.
Antipater.
Antigonus.
Mithridates.
Antigoni somnium de aurea semente.
Mithridatis fuga.
Mithridates Cappadociam occupat.
Vicus siue castellum quo Mithridates propugnaculo vsus ad Ponti imperium adipiscendum.
Ciniala id castellum dicitur.
Mithridates primus Pōti regni fundator.
Ab hoc Eupater fuit octauus.
Solinus tres reges Ponticos enumerat.
Atheas.
Artabarzanes.
Mithridates Eupater.
Pharnacē Plin. primum Pōti regem tradit.
Pharnaces Mithridatis Eupatoris auus.

Mithridatis Eupatoris proauus Mithridates. *Intermediorum Ponti regum inter primum & secundum vltimũ perplexa historia.* *Ponti rex penultimus Mithridates Euergetes.* *Amicus populi Rom. belli cõtra Poenos socius.* *Syriam præmij loco à Romanis accepit.* *Sinope occisus à suis domesticis.* *Ponti rex vltimus Mithridates Eupater.* *Rex potentißimus.*

nominat. Plerîque tamen, vt paulò antè dictum, primum regni huius cõditorem atque authorem Mithridatem appellant. Cæterorum autem qui eum fuerunt consequuti vsque ad vltimum atque penultimum regem & nomina & res gestæ, quia lux illa veritatis, atque vitæ memoriæ historia illis deest, in obscuro admodũ latent. Ex penultimi autem, ac præcipuè vltimi Ponti regis historia vniuersi illius Pontici regni ratio, status, cõditio atq; descriptio facillimè cognosci potest. Penultimus igitur Ponti rex fuit Mithridates Euergetes cognomine, qui primus (teste Appiano) amicus populi Romani missis cõtra Poenos auxiliaribus aliquot nauibus, appellatus fuit, Cappadocibus vt alienis etiam tum infestissimus. Huic, teste Iustino, Syria quoque præmij loco à Romanis ob illa aduersus Aristonirum missa auxilia, tributa atque concessa fuit, qui tandem (vt Strabo lib. 7. testis est) Sinope à familiaribus suis per insidias occisus fuit. Huic successit filius Mithridates Eupater cognomine, quẽ Appianus, & Cic. in orat. pro L. Flacco, Deum quoque Asiæ conseruatorem, Dionysium Bacchum, Liberum ab Asianis appellatum fuisse testãtur. Hic vt Iustinus aliíque testantur, tanta fuit magnitudine atque potentia, vt non sui tantùm temporis, verum etiam superioris ætatis omnes Reges maiestate superarit, belláq; cum bellua illa Romana per quadraginta sex annos ferè varia ancipitíque fortuna gesserit. De cuius sanè imperio cum patrio ac auito, quod à maioribus suis accepit, tum ab ipso aucto atque amplificato antequam dicam, de eius vita, moribus, rebus gestis admiratione sanè dignissimis quædam dicere operæprecium duxi.

Mithridatis vita. *Eius genus paternum atque maternum.*

Mithridates igitur Eupater, Dionysius, atque etiã vt Pompeius atque Alexander, cùm ob potentiam, tum res magnas atque præclarè gestas Magnus cognominatus, decimussextus fuit (teste Appiano) eius stirpis à Dario vltimo Persarum rege, octauus à Mithridate illo primo regni huius fundatore. Genus enim paternum (quemadmodum ipse de semetipso in illa sua ad milites adhortatione à Iustino recitata testatur) à Cyro Darióque regni Persici, maternum autẽ ab Alexandro magno, atque Nicanore Seleuco imperii Macedonici authoribus duxit.

Patria Sinope.

Natus est, teste Strabone, Sinope, vbi paulò antea patrem eius occisum fuisse diximus, ibíque educatus, quam idcirco pulcherrimis ædificiis exornatam regni sedem fecit, tandémque (vt testis est Appianus, necnon Plutarchus in vita Pompei) ibidem Pompei iussu atque mandato honorificentissimè sepultus fuit: itaque eandem & natiuitatis & educationis & sepulturæ, patriam locúmque habuit.

Cometes bis apparuit & anno quo natus, & quo regnũ iniјt.

Anno quo & natus, & postea regnum iniit, cometes, vt testis est Iustinus, bis per septuaginta ferè dies portẽtosæ magnitudinis atque fulgoris apparuit, qui proculdubio futuræ illius potentiæ pariter atque crudelitatis qua vniuersum ferè terrarum orbem turbauit atque vexauit prænuntius fuit.

Mithridates corpore animóque potens. *Corporis vires.*

Fuit autem, vt Plin. inquit de viris illustribus, magna vi & animi & corporis. Corpore enim, vt inquit Appianus, non modo vasto fuit, quemadmodum arma ab ipso Delphos Nemeámque missa indicarunt, verùm etiam ita valido atque robusto, vt & ad extremam vsque senectutem equitationibus, iaculationibúsque valuerit, & mille stadia vno die mutatis equis conficere, necnon currum octiiugem regere potuerit. Nec mirum, nam vt Iustinus tradit, ab ineunte ætate tutorum suorum insidias vitandi, corpúsque suum ad omnis virtutis patientiam, laborúmque tolerantiam obfirmandi gratia, partim equitationibus atque iaculationibus, partim venationibus, cùm per quatuor ferè annos neque vrbis neque ruris tecto vsus per syluas ferarum instar vagatus, diuersis montium regionibus pernoctasset, inusitato quodam atque inaudito more sese exercuit. Nec verò se tantùm, verùm etiam exercitus suos tandem egregia disciplina, assiduis omnis generis exercitationibus ad rem militarem, quosuis belli labores atque incommoda & molestias fortiter patientérque tolerandum, aptos idoneósque reddidit: quorum opera tandem res admiratione dignissimas gessit.

Animi exercitia.

Quemadmodum autem ipsum corpus, vt modo

modò dictum, actibus intentísque illis suis exercitationibus minimè torpescere atque languescere passus est, ita animum quoque pulcherrimarum rerum atque artiũ studio excoluit: ita vt corpore pariter atque animo plurimum valeret. Græcis literis illum fuisse eruditum, plurimúmque ex Musicis voluptatis cepisse, author est Appianus. Gellius lib.17.c.17. eundem vigintiduarum gẽtium, quas ditioni suæ subiectas habuerit, linguas ita percalluisse dicit, vt cum earum hominibus sine interprete non minus scitè quàm si inde fuisset oriundus loqui, militésque sine monitore salutare & appellare potuerit. Idem Valerius tradit lib.8.cap.7. Plin.lib.25.cap.2. Medicinæ præ cæteris artibus atque disciplinis studiosus mirum in modum curiosúsque pro ingenij sui magnitudine extitit. Ab illo solo excogitatũ (teste Plinio lib.25.cap.2.) quotidie venenum bibere, præsumptis remediis, vt consuetudine ipsa innoxium fieret. Ab illo primo antidoti genera inuenta, ex quibus vnum & iam nomen retinet Mithridatium appellatum. Illius inuentum existimant, sanguinem anatum Ponticarum miscere antidotis, quoniam veneno viuerẽt. Ad illum Asclepiadis, medendi arte clari, volumina composita extant, quum solicitatus ex vrbe Roma, præcepta pro se mitteret. Idem ab hominibus ei subiectis, qui fuere pars magna terrarum, singula exquirens, scrinium commentationum harum & exemplaria, effectúsque in arcanis suis reliquit. Pompeius autem omni regia prȩda potitus, transferre ex sermone nostro libertum suum Lenæum, Grammaticæ artis doctissimum, iussit: vitǽque ita profuit non minus, quàm Reipubl. victoria illa. Hæc Plin. eadem vide apud Gell.lib.17.cap.17. Quanta autem ingenij animíque magnitudine, laborum dolorúmque patiẽtia, rei militaris peritia præstiterit, tria illa cum tribus Romanorum summis ac præstantissimis imperatoribus Sylla, Lucullo, Pompeio plusquàm per quadraginta, vt Appianus vult atque Florus, vel vt Iustinus quadraginta sex annos dubio ancipitique Marte, necnon alia innumera cum Scythis, Colchis, aliísque acerrimis ferocissimis gentibus gesta bella, tot denique ac tantæ ab illo victæ domitǽque gentes, locupletissimè testantur. Tandem verò Romanorum non tam virtute quàm fœlicitate quadam, seu potius diuina prouidentia, consilio ac voluntate Pharnacis filii proditione, subditorum suorum crebris defectionibus victus miser succubuit. Fuerũt itaque multæ præclaræ atque eximiæ regis huius virtutes, quas vtinam Christiani nostri Reges, Principes, atque Magistratus non modò ad contemplandum, admirandum, suspiciendum, verùm etiam pro virili imitandum æmulandúmque assiduè sibi ante mentis oculos proponerent: multò profectò regna résque publicæ nostræ melius fœliciúsque administrarentur. Verùm, proh dolor, vitia potius scelera atque flagitia huius Regis, quæ certè non minus quam illius virtutes insignia fuerunt, plerique hodie regnorum atque rerumpubl. rectores cum summa suorum subditorum pernicie ac detrimento studiosissimè consectantur: de quibus nunc quoque dicendum. Ac primò quidẽ superstitionis atque idololatriæ quãtum in hoc Rege studiũ amórque extiterit argumento est, & fanorum Græcorum (cùm superstitionum omnis generis vitio cumulatissima fuerit hæc natio) summa peritia, quam ei Appianus tribuit, necnon magnificentissimum illud quod Ioui belli potẽti, finito secundo bello aduersus Romanos, pulsis ex Cappadocia Murænæ præsidiis, & iterũ initio tertii belli Neptuno quoque quadrigis alborum equorum in mare immersis, magno cum apparatu atque pompa fecit. Ambitione prȩterea atque insigni naturæ feritate immanitatéque laborans in Asia vno nuntio atque vna literarum significatione (quod quidem facinus fuit horrendum, ingens) octoginta millia ciuium Rom. nulla vel sexus vel ætatis vel religionis habita ratione miserrimè trucidari curauit. Quæ quidẽ cædes quam dira atque Thragica fuerit pluribus Appianus describit, quam tamen (vt hoc quoque addam) harpyæ illi atque sanguisugæ Rom. hoc est publicani, vsurarij, fœneratores,

Græcarum literarum scientia.
Musicæ studium.
Linguarum vigintiduarum cognitio.
Medicinæ studium atque cognitio admirabilis.
Antidota contra venenum ab illo inuenta.
Mithridatium.
Anatum Ponticarum sanguinẽ antidotis miscere docuit.
Asclepiadis medici doctiss. volumina ad illũ scripta.
Curiosus rerum naturalium perscrutator.
Mithridatis arcana quæ reliquit.
Arcana Mithridatis alibi sanctuarium vocat.
Animi magnitudo, patiẽtia quãta.
Mithridatis virtutes vtinã multi Christiani principes imitarentur.
Mithridatis superstitio.
Mithridatis ambitio atque sanguinaria natura.
Cædes.
Romanorum in Asia cædes.
Valerius lib.9. cap.12.
Romani cuiusmodi pœnam cõmeriti.

qui regionem illam immanissimè suis vsuris, atque iniquissimis immanissimísque tributorum vectigaliúmque exactionibus funestauerant, optimo iure cōmeriti fuerant. Idem quoque Mithridates non tam homo, quàm fera quædam immanis, imò monstrum quoddam atque portentum (cuius duo illi cometæ verissimi vates fuerunt) plurimis sese matris, fratris, vxorum atque concubinarum, trium filiorum, totidémque filiarum, ducum & amicorum cædibus atque parricidiis contaminauit, bellis funestissimis (regni sui paterni atque auiti terminis minimè contentus) vniuersam Græciam, Asiam, orbem denique terrarum infestauit. Quid dicam de illius stupris, adulteriis, incestis, libidinibus nefandis, quarum plenæ sunt historiæ omnes. Denique qui frigoris atque æstus, famis atque sitis patientissimus fuit, si quando res atque necessitas in bellis id postulabat, idem gulæ atque vino, omnibus deliciis atque voluptatibus mirum in modum indulsit. Atque huius quidem suæ intemperantiæ fœdum specimen teste Appiano ædidit finito secundo bello aduersus Romanos. Nam cùm A. Gabinius à pop. Romano missus esset, vt & Murænæ denunciaret, ne Mithridatem contra fœdus bello vexaret, & Ariobarzanem cum Mithridate in gratiam reduceret, Mithridates conuiuium omnibus magnificentissimum præbuit, proposito certo auri pondere præmii loco iis, qui bibacitate vel edacitate, dicteriis, cantu, cæterísque solennibus ludicris vincerent, cuius solus expers fuit A. Gabinius. Atque huiusmodi quidem fuerunt Mithridatis (quæ breuiter tātùm atque summatim complexus sum) immanissima scelera atque flagitia, quorum tandem iustissimam Dei vindictam vindicem atque vltricem horrendam fuit expertus. Nam cùm à Pharnace filio suo proditus atque in arce quadam obsessus omni ope atque auxilio, spe rationéque salutis suæ expediendæ destitutus esset, veritus ne tandem à Romanis (quibus per tot annos tantum mali, molestiæ atque negotii facesserat) per summum ludibrium atque ignominiam in triumpho Romam ductus exquisitissimis suppliciis enecaretur, veneno, quo plurimis aliis, sibimetipsi quoque vitā exhaurire est conatus. Nec tamen veneno illo mori potuit, propter antidota illa quibus ob tutorum insidias se ab ineunte ætate communierat atque assuefecerat. Interea duas suas filias virgines adhuc, Mithridatem & Nyssam nomine, Ægypti Cypríque Regibus iam desponsatas, venenata potione voluntariè sumpta, morientes ante se (ô spectaculum miserandum) intueri fuit coactus. Tandē Gallum quendam, Bituitum nomine, ducem militarem supplex rogauit, vt ferro mortem sibi afferret: cuius precibus ille satisfecit. Atque hic quidem fuit miserrimus potentissimi portentosissimíque illius Regis, (qui teste Velleio vltimus omnium iuris sui regum fuit,) pariter atque regni finis, cùm, teste Eutropio, septuaginta duo annos vixisset, regnasset autē, authore Plinio, quinquagintasex, teste Appiano quinquaginta septē, vel (vt vult Eutropius) quadraginta annis: Romani illius morte cognita, quasi in vno Mithridatis pectore innumeri hostes extincti essent, magna cum lætitia dies festos egerunt. Illius cadauer à Pharnace filio proditore in trireme Pompeio Sinopem transmissum, quod Pompeius Sinope regiis monumentis inferri cum magnifica funeris exequiarúmque pompa, iussit. Atque hæc de ipso Mithridate, nunc de regni illius patrii primi atque auiti terminis, deinde eiusdem amplificatione atque potentia dicam. Quoad primum Pelopidas ille Mithridatis ad Romanos (teste Appiano) legatus in quadam sua oratione regni ipsius paterni longitudinem viginti mill. stad. patere dicit. Sed ex Strabone regni illius auiti atque paterni terminos proprios, melius atque certius cognoscere licet, cuius aliquot testimonia subiiciam. Mithridates (inquit ille lib. 12.) Ponti Rex constitutus eam habuit regionem, quæ Haly flumine terminatur vsque ad Tibarenos ac Armenios, & regionem, quæ cis Halym est. Et paulò pòst, cùm Pontum vniuersum in dextra & sinistra diuisisset, subiungit. Vniuersæ huic oræ à Colchide Hera-

Mithridatis parricidia. *Bella cruenta.* *Libidines.* *Intemperantia atque luxuries.* *Conuiuium Mithridatis nefarium.* *Mithridatis interitus Thragicus.* *Mithridatis filiarum αὐτοφονία.* *Gallus Bituitus Mithridatē confodit.* *Quandiu Mithridates vixerit, atque regnarit.* *Romanorum lætitia ob Mithridatis mortem.* *Cic. pro L. Muræna idem.* *Mithridatis sepultura.* *Mithridatici regni paterni & auiti quantitas.* *Longitudo viginti mill. stad.* *Strabonis testimonia.* *Ab Haly fl. ad Tibarenos, Armenios.* *A Colchide Heracleam vsque.*

Heracleam vſque Eupater imperauit. Vlteriora verò ad os & Chalcedonem Regis erant Bithynorum. Sublatis Regibus, Romani eoſdem terminos tenuere vt Heracleam Ponto cõcederẽt, vlteriora Bithynis. Ac paulò pòſt, Hac regione in mediterraneam & maritimam oram diuiſa, quæ ab Haly vſque in Bithyniam protenditur oram, habuit Eupater Heracleam vſque, ex mediterranea verò partem propinquiorem, cuius partes quædã trans Halym tẽdebant, & huc vſque Pontica prouincia terminatur. Reliqua potentibus parebant etiã poſt Mithridatis euerſionem. Idem denique Pontum his finibus deſcribit. Ab Occidente flumine Haly, ab Oriente Colchide: à Meridie minore Armenia, & ipſa præterea Cappadocia. Atq; hi fuerunt paterni atque auiti illius regni Pontici veri termini. Verùm (vt Iuſtinus inquit) ſimul atque regnum ſuſcepit, de eo non tam tuendo atque regendo, quàm augendo, ac longè latéque propagando cogitauit. Atque hæc quidem illi primò omnium (eodem Iuſtino teſte) Aſiam clàm tacitéque peragrandi perluſtrandíque cauſa fuit, quò ſcilicet locorum ſitu, hominúmque conditionibus cognitis atque perſpectis, facilius deinde eam (id quod fecit) occupare poſſet. Verùm quò facilius regni illius amplificati ratio atque potentia cognoſci poſſit, ſingulas gẽtes atque nationes, quas præter auitum illud atque paternũ regnũ vel ſubiectas, tributarias ac ſtipendiarias, vel certè amicas, ſocias, confœderatáſque habuit, enumerabo. Ad Orientem (vt paulò antè dictum ex Strabone) regni illius paterni terminus fuit Colchis, ſed (vt idem teſtatur) Colchidem, & minorem Armeniam Ponto adiecit. lib. 12. Ac paulò pòſt, Mithridates aucto imperio Colchidis, necnon Tibarenorum & Chaldæorum regiones, Trapezuntẽ & Pharnaciam vſque adeptus eſt, cedente ei Antipatro Siſide, atque ita regionem omnem curauit, vt ſeptuaginta quinque caſtella in ea conſtruxerit, quibus maximam opum ſuarum partem credidit. Horum clariſſima erant Hydara, Broſgoodoriza, & Hyneria, locus in confinibus maioris Armeniæ ſitus, quapropter Theophanes eum Sinoriam nominauit. Nam tota Paryadra montana multas huiuſmodi commoditates habet. Aquoſa enim & ſyluoſa eſt, & præruptis vallibus, ac præcipitiis munita, quibus in locis maximam theſaurorum ſuorum partem habebant. Atque in hos tandem Pontici regni fines vrgente Pompeio confugit, occupato in Acileſina, Daſſica monte quodam aquis abundante, prope quem Euphrates fluebat, qui à minore Armenia diſterminat Acileſinam, ibíque tandiu eſt moratus, donec tandem propter obſidionem in Boſporum fugere coactus eſt. Pompeius circa hunc locum in minore Armenia vrbem condidit Nicopolim nomine. Pharnaciæ quoque continuam Sidenam, Themiſcyram, & quæ vltra eſt Pharnaceam, vbi vrbs Eupatoria à Mithridate condita & appellata eſt, ab eodem deſtructa, à Pompeio inſtaurata, Megalopolis fuit dicta. Ibidem ſunt Cabira, vbi regis Mithridatis ſedes atque theſauri, in Capitolium tandem tranſlati fuerunt. Hoc caſtrum Pompeius in vrbis modum conſtructum Diopolim appellauit. Pythodoris eandem auctam atque amplificatam Auguſtam nominauit, próque regia ſede vſa eſt. Vniuerſam hanc commemoratam regionem, tandem Pythodoris tenuit, de qua poſtea. Idem Strabo eodem in libro 12. totam Colchicam regionem clariſſimam ei potentia aucto paruiſſe dicit, quò ſemper aliquem ex amicis regionis præfectum & adminiſtratorem miſerit, è quibus Moaphernem quoque matris ſuæ patruũ fuiſſe teſtatur. Hinc multa Regi, eodem teſte, ad res nauales copia fuit. Sic Pelopidas ille Mithridatis ad Romanos legatus, apud Appianum gentem bellicoſam Colchorum Mithridatem ſibi acquiſiuiſſe gloriatur: ipſe verò Mithridates in illa ſua ad milites exhortatione, Colchos pariter atq; Paphlagoniã hęreditatẽ ſibi dicit eſſe acquiſitã. Aduerſus hos quum ab eius imperio defeciſſent, finito ſecundo bello aduerſus Romanos bellum geſſit, qui tandem filium eius Mithridatem ſibi Regem dari poſtularunt, quo impetrato, ſtatim redierunt ſub

Ab Haly vſque in Bithyniam.

Ponti termini.

Mithridates regnum non tam tueri, quàm augere ſtuduit.

Aſiam clanculum peragrauit.

Colchidẽ & Armeniam minorẽ Ponto adiecit.

Tibarenos.

Chaldæos.

Trapezuntem.

Pharnaciam.

75. caſtella conſtruxit.

Hydara.

Broſgoodoriza.

Hynoria.

Paryadra.

Mithridatis theſauri.

Acileſina.

Euphrates Acileſinæ & Armeniæ minoris terminus.

Nicopolis.

Sidena.

Themiſcyra.

Eupatoria poſtea Megalopolis dicta.

Cabira vbi Mithridatis ſedes, atque theſauri.

Cabira poſtea Diopolis, & Auguſta dicta.

Mithridates Colchidem per præfectos gubernauit.

Moaphernes Colchidis præfectus, Strathionis patruus.

Ex Colchide copia ad res nauales.

Colchorum gens bellicoſa.

Colchorum defectio à Mithridate.

Mithridates filium Colchorum regis interficit. *Chalybes.*

imperium:id Rex ſuſpicatus factum per ambitionem filij,vocatum ad ſe vinxit aureis compedibus,nec multò pòſt necauit:egregia huius opera vſus in Aſia, contra Fimbriam,teſtis eſt Appianus.Quoad Chalybas, illorum quoque auxilia ei vltimo bello aduerſus Romanos præſtò fuiſſe idem Appianus teſtatur.

Armenia maior & minor.

Armeniam maiorem & minorem in illa ſua,quam Iuſtinus recenſet oratione, ſe pacaſſe profitetur:minorem, Strabo illum in ſuam poteſtatem redegiſſe dicit.

Tigranes Rex Armeniæ,gener Mithridatis

Pelopidas Tigranem Armenium generum eius eſſe ſignificat, ad quē tandem à Lucullo pulſus confugit,vt teſtis Appianus, & alij. Cicero in orat.pro L.Manilia.Hunc in illo timore atque fuga Tigranes in Armeniam ſuſcepit, diffidentémque rebus ſuis confirmauit,& afflictū erexit,perditúmque recreauit.

Mithridatis cum rege Armeniæ belli ſocietas cōtra Romanos.

Cum Tigrane rege Armeniorum(teſte Iuſtino)Mithridates quū primùm bellum aduerſus Romanos moliretur, ſocietatem iunxit, pactíque ſunt inter ſe vt vrbes agríque Mithridati, homines verò,& quæcunque auferri poſſent, Tigrani cederent.Armeniorum auxilia in vltimo bello aduerſus Romanos,illum habuiſſe teſtis eſt Appianus.

Achæi.

Achæos Colchis finitimos,ſecundo bello Mithridatico finito,quum Boſporū ſubegiſſet, aggreſſus eſt, ſed duabus partibus exercitus partim inſidiatorum dolo,partim aperto Marte atque etiam inclementia frigoris amiſſis,domum re infecta reuerſus fuit,teſte Appiano.Hos tamen,eodem teſte,vltimo bello auxiliatores habuit:per horum denique regionem in illa ſua fuga in Boſporum iter faciens,obſiſtere auſos fugauit.Quanuis Strabo Achæis adiutoribus iter ex Phaſide ad quatuor ferè millia ſtadiorum confeciſſe dicit.

Achæorū origo.

Hos Achęos Scythicos,Appianus teſtis eſt,à Troia redeuntes in Pontum actos tempeſtatibus,& ibi vt Græcos multa perpeſſos à Barbaris. Qnúmque naues petiiſſent à patriis ciuitatibus,repulſam paſſos, præ indignatione in tantam deueniſſe rabiem,vt Scythico more,quotquot Græcos in poteſtatem redegiſſent,mactarent pro victimis primò nullo diſcrimine,procedēte verò tempore,pulcherrimum quemque,poſtremò ſorte ductos.Hi quoque à Pompeio in triumphum fuerunt ducti.

Heniochi.

Heniochis quoque in vltimo illo ſuo bello auxiliaribus vſus eſt,à quibus in illa ſua vltima in Boſporum fuga libēter humanitérque exceptus fuit, quos Strabo libro 12. author eſt,tunc temporis quatuor Reges habuiſſe,qui etiam pars triumphi Pompeiani fuerunt.

Albani atque Iberi.

Albani quoque atque Iberi eidem auxilia miſerunt, inde duces tres Iberorum, & Albanorum duo in Pompei triumpho fuiſſe idem teſtis eſt Appianus: ab eodem Ortazis regis Iberi, & Orezis Albani fit mentio, qui à Pompeio victi fuerunt,

Leucoſyri. *Thermodontis accolæ.*

Leucoſyros quoque, & qui circa Thermodontem fluuium terram incolunt, quam vocant Amazonem,ei opem,auxiliúmque tulerunt in vltimo illo bello.

Boſporus.

Boſporum,finito ſecundo bello Mithridatico otium nactus, occupauit,teſte Appiano,eíque genti vnum ex filiis Nacharem nomine præfecit,quem Lucullus accepta corona aurea amicum appellauit, ei tandem Pharnaces Macharis frater,Mithridatis filius,atque proditor,à Pompeio præfectus fuit. Cum his ſimiliter atque Colchis,qui ab eius imperio defecerant,bellum geſſit.

Scythæ.

Scythas inuictos antea,quia Zopyrionem Alexandri Magni ducem cum triginta millibus armatorum deleuerant,qui Cyrum Perſarum regem cum ducentis millibus armatorum trucidauerant, qui Philippum Macedonum regem fugauerant,ingenti fœlicitate perdomuiſſe ab initio regni ſui,teſtis eſt Iuſtinus libro 37.

Scythiā Mithridates ſe gloriatur domuiſſe. *Scythæ inuicti ſemper.* *Darius,Philipp.*

Scythiam omnem, ipſemet Mithridates apud Appianum ſolùm ſe pacaſſe gloriatur, quam nemo antea tranſire tutò, atque adire potuerit,Iuſtino teſte. Ibidem, Scythiam duos ante ſe Reges non pacare, ſed intrare tantùm auſos Darium & Philippum ægrè inde fugam ſibi expediuiſſe dicit, vnde ipse magnam partem aduerſus Ronirium haberet. Huiuſmodi fuiſſe illius ad milites verba teſtatur Iuſtinus.

Scythæ auxilia Mithridati mittunt contra Romanos.

Appianus Scytharum regulos primo ſtatim atque vltimo bello Mithridates ſuppetias contra Romanos miſiſſe, atque à Pompeio in triumpho Romam vnà cum cæteris nationibus introductos fuiſſe author eſt.

Ad hos

Ad hos ſolicitandos à L. Lucullo victus pulſúſque, cum multis donis magnóque auri pondere miſit Dioclem, qui ad Lucullum transfugit. Per Scythicas quoque gentes tandem bello vltimo, quum eum Pompeius vrgeret, iter fecit vel infenſas, aut alienas, partim vi, partim gratia, teſte Appiano. His accenſentur quoque ab Appiano Tauri, qui illi auxilio contra Romanos fuerint. Trans mare verò in Europa Baſilios, Iazygas Corallos, Thracum, item quicunque Iſtrum flumen & Rhodopem, montémque Æmũ accolunt, ac inſuper Baſtorum omnium hominũ fortiſſimos belli contra Romanos ſocios, atque amicos habuit fideliſſimos. Sic Pelopidas omnes qui Tanaim, Iſtrum, paludémque Mœotidẽ accolunt, amicos atque paratos ad illius iuſſa exequenda dicit fuiſſe. Præterea quũ à Meridie regni eius terminus Cappadocia, ab Occidente Paphlagonia fuerit, Paphlagoniã (teſte Iuſtino) cum Nicomede inita ſocietate inuaſit, victámque ſorte diuiſit. Quúmque, legatis Roma ad vtrunque miſſis, iuſſi eſſent gentem illã in priſtinum reſtituere, Nicomedes quidem ceſſit, atque paruit: at verò Mithridates quum ſe parem iam viribus Romanorum videret eſſe, ſuperbè reſpondit, hæreditarium hoc patri ſuo regnum obueniſſe, nec territus minis, Galatiã quoq; occupauit, teſtis eſt Iuſtin. Idẽ (teſte Appiano) Bithyniã atq; Cappadociã aliquoties poſſedit, Aſiã, Phrygiã, Paphlagoniã, Gallogræciã, Macedoniã incurſauit, & in Græcia memorabilia facinora ædidit. Maris quoque imperiũ à Cilicia vſque ad Ionũ pelagus tenuit, atq; pyratis maria à Cilicia vſq; ad colũnas Herculis (App. teſte) repleuit, donec à Sylla intra paterni regni terminos cõcluſus eſt, amiſſis C L X. millib. militũ. Iſauros & Piſidas tẽpore vltimi belli ſubegit. Cum Gallicis quoque gentibus fœdus iniit, necnon cum Sertorio in Hiſpania. Arſacem Parthorũ regem potentiſſimum, amicum habuit, ad quẽ elegans illius extat epiſtola, in qua illum ad belli ſocietatẽ contra Romanos incitat, de Romanorũ tyrannide, lupina crudelitate atque auaritia grauiſſimè conquerens. Ex his apparet optimo iure à Plinio maximũ ſua ætate Regem fuiſſe appellatum, cuius ſubditi maxima pars orbis terrarum fuerit, quíque viginti duabus gentibus imperauit. Eutropiũ quoque, qui Mithridatem Ponti regem totam Armeniam minorem, & totum Ponticum mare in circuitu cum Boſporo tenuiſſe dicit, non à vero alienum dixiſſe, vt Glareano in ſuis annotationibus videtur. Quantæ præterea illius opes atque potentia militaris fuerit, ex apparatu illius bellico aduerſus Romanos, quem diligenter admodum Appianus deſcribit, ſatis patet. Appianus teſtatur, quum proprias ei naues quadringentas, equitum autem interdum quinquaginta millia, peditum C C L. millia, & machinarũ armorúmq; quantũ tantæ copiæ poſtulãt ei fuiſſe dicit. Eiuſdẽ apparatũ belli vltimũ deſcribens frumẽti C C. medimnũ myriades ad mare detuliſſe, bellatorũ C X L. millia peditum, equitum ſexdecim millia habuiſſe dicit. ſequutam inſuper caſtra & aliam turbam magnã eorum, qui vias muniebant, aut deferebant ſarcinas, atque etiam negotiatorum. Quũ verò belli & omnium rerum nerui ſint pecuniæ, quanta illi vis auri atq; argenti, margaritarum pretioſiſſimarum fuerit, teſtes ſunt illius theſauri magnificentiſſimi, quos illum habuiſſe authores teſtantur. Appianus in Talantis vrbe quadam huiuſmodi Mithridatis theſaurum fuiſſe à Pompeio inuentum, nimirum 2000. poculorum, quæ ex onyche gemma fuerunt elaborata, auróque compacta, multas præterea phialas, pſycteres, calices, lectos, ſellas ornatiſſimas: item fræna equorum, paſtorales, humeraléſque phaleras gemmatas atque auratas, quibus recipiẽdis percenſendíſque triginta dies Quæſtor inſumpſit. Eorum pars à Dario Hiſtaſpis filio, ſucceſſoribus per manus tradita fuerat, partem ex Ptolomæorum Regum gaza Cleopatra penes Coos depoſuerat, vnde Mithridates à ciuibus tradita deportauerat, partem ipſe Rex parauerat, atque collegerat, elegantioris ſupellectilis percupidus. Sic Plinius Pharnacis, quem primum Ponti regem facit, argenteam ſtatuam, necnon

Mithridates Scytharum auxilia donis miſſis ambit.
Dioclis perfidia.
Mithridatis fuga per Scythicas gentes.
Tauri.
Baſilij.
Iazyges.
Coralli.
Thraces Iſtri Rhodopes atque Æmi accolæ.
Baſternæ.
Tanais, Iſtri, Mœotidis accolæ Mithridatis amici atque ſocij.
Paphlagonia.
Galatia.
Cappadocia.
Aſia.
Phrygia.
Gallogræcia.
Macedonia.
Græcia.
Cilicia.
Maris imperiũ.
Iſauri.
Piſides.
Fœdus cum Gallis.
Sertorio in Hiſpania.
Parthorum Rex Arſaces Mithridatis amicus.
Mithridates rex 22. gentium.
Mithridatis opes atque potentiam ex apparatu bellico licet colligere.
Naues.
Equites.
Pedites.
Annonæ apparatus.
Pedites.
Equites.
Pecuniarũ, quæ belli nerui, quãta vis.
Theſauri atque ſupellex Regia.
Pocula.
Pharnacis ſtatua argentea.

Currus aurei atque argentei. Thesauri in triũpho Põpei aduecti.

aureos atque argenteos Mithridatis currus à Pompeio in triumpho deportatos fuisse testatur. Appianus quoque Pompeium in pompa illa triumphali dicit traduxisse carpẽta & fercula onusta auro, & ornamentis aliis variis, in quibus fuerit lectus Darij Hystaspis filij,& sella ac sceptrum Eupatoris, auréaque ipsius effigies octo cubitorum pectore tenus,argentíque signati septem millia myriadum,& D.X.drachmas.Hæc igitur fuit immensa ac infinita huiusce Regis potentia,ita vt minimè mirum fuerit belli illius Mithridatici tempore Athenis philosophum quendam Athenionem nomine extitisse, qui magna pecunia à Mithridate conductus, Atheniensibus persuasit vt à Romanis deficerent,quum Mithridatem Romano imperio,imò totius orbis terrarum monarchia potiturum affirmaret.Quod sanè illius vaticinium Regis huiusce potẽtiæ atque virtutum ratione habita, verisimillimum fuit. Verùm Danielis potius vaticinium ex Spiritus sancti afflatu profectum impleri oportuit,quo non Mithridati,sed Romanis monarchia mundi quarta prædicta fuerat. Hæc verò Mithridatis, quæ videbatur inuicta potentia, amplitudo, vno quasi temporis momento sola corruit, ac labefactata est, ita vt verissimum sit illud Ouidij,

Athenis philosophus Mithridatem monarcham futurũ prædicit.

Athenionis vaticinium verisimile fuit.

Mithridatis potentia subitò corruit.

Rerum humanarum fragilitas.

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

Nicephori test.

Similiter Nicephorus Gregoras libro 4.Sic nihil humani firmum ac certũ est, sed omnia incerto euentu velut in mari æstuant,& affliguntur.Abstrusus quidam mos humanæ peritiæ & cognitioni insultat,sursum deorsúmque trahens ac permiscens,omne consiliorum studiũ, & velut tesseras euertens firmis decretis veras deliberationes.Hinc cum Cicerone exclamare licet, ô fallacẽ hominum spem,fragilémque fortunam, & inanes nostras contentiones, quæ in medio spatio sæpe franguntur, & corruunt, & antè in ipso cursu obruuntur, quàm portum conspicere potuerunt.Hoc autem tam diuturno, ancipiti, periculosóque bello confecto incredibile est dictu quanto cumulo Rom.imperiũ auctum amplificatúmque fuerit. Nam (teste Appiano) Bithynos,Cappadocas,aliásque finitimas gentes,quę Pontum Euxinum accolunt:item quicquid Ciliciæ est reliquum,Syriæ prouinciæ, Phœniciam, Cœlesyriam,Palæstinam, Euphratensémque mediterraneam,quæ nihil ad Mithridatem attinebant,huius victoriæ impetu euecti subiugarunt,& tributa aliis mox,aliis paulò pòst imposuerunt.Paphlagoniam quoque,Gallogræciam,Phrygiam,eísque contermínam Mysiam,præterea Lydiam,Cuiã,Ioniam,aliásque Asiæ partes, quæ Pergamenæ ditionis fuerant,& veterem Græciam,Macedoniámque occupatas, à Mithridate citò receperunt,multísque populis tum primùm tributa imposuerunt. Ac paulò pòst,Hoc bello finito,imperij sui terminos ab Occidente ad Euphratem vsque protulerunt. Idem alio loco,Ipse vnus(Pompeius scilicet)hoc bello sublatis toto mari piratis,& Rege omnium maximo,collatísque signis præter Ponticas gentes,cum Colchis,Albanis,Iberis, Armeniis, Medis, Arabibus,Iudæis,cæterísque Orientis gentibus, imperium Romanum Ægyptum vsque propagauit. Denique sub finem libri. Imperio Romano prolato, per hoc bellum Mithridaticum vsque in Pontum Euxinum, & vsque ad arenosas Ægypti solitudines,necnon à columnis Herculis,quæ sunt in Hispania, Euphratem vsque fluuium meritò magna hęc victoria,& Imperator ipse Pompeius Magnus vocatus est.His denique Ciceronis testimonium accedat,in orat.de prouinciis consularibus,Iamdiu(inquit ille)mare videmus illud immensum,cuius feruore non solùm maritimi cursus, sed vrbes etiam,& viæ militares iam tenebantur, virtute Cn.Pompei, sic à pop.Romano ab Oceano vsque ad vltimum Pontum, tanquam vnum aliquem portum, tutum & clausum tęneri: nationes eas, quæ numero hominum ac multitudine ipsa poterant in prouincias nostras redundare,ita ab eodem esse partim recisas, partim repressas,vt

Cicero.

Mithridate victo,quanta potẽtia Romanis accesserit.

Quas gentes subegerint. Bithynos. Cappadoces. Ponti Euxini accolas,&c.

Appiani testim.

Cicero de amplificato imperio Rom.Mithridatica victoria.

ſas, vt Aſia, quæ imperium antea noſtrum terminabat, nunc tribus nouis prouinciis ipſa cingatur.

Pōticarū gentiū ſtatus poſt Mithridatis euerſionē ſub Romanis.

Nunc de Ponticarum harum gentium, ac ipſius imprimis Ponti propriè dicti regni primùm, deinde à Romanis in prouinciam redacti ſtatu atque conditione, quæ poſt Mithridatis occaſum interitúmque ſub Rom. monarchia extitit, videtur eſſe dicendum, quæ quidem (vt omnes res humanæ) varia, incōſtans & mutabilis fuit. Primò autem generatim hac de re quædam, deinde ſpeciatim de ſingulis conabor explicare, quãtum ex hiſtoriis diſcere potui. Quoad primum Pompeius, è gentibus hiſce debellatis atque ſubiectis alias quidem ob miſſa ſibi auxilia libertate donauit, alias in prouinciæ formam redegit, alias regibus attribuit: id quod in ſequentibus (de quo poſtea) magis diſertè ſpeciatímque explicat. Appiano ſuffragatur Strabo lib. 12. ſimúlque ſignificat illos quoque qui Pompeium conſequuti fuerunt, Romanorum duces alias atque alias earundem harum gentium partitiones feciſſe. Nam, vt paulò antea de Pompeio dictum, & Reges atque Principes conſtituerunt, & ex ciuitatibus alias quidem liberarunt, alias principibus tradiderunt, alias Rom. imperio atque iuriſdictioni ſubiecerunt. Tandem verò, vt teſtis eſt Appianus, quicquid Pompeius, Cæſar, M. Antonius, cæteríque Ro. duces aliis atque aliis pro ſuo arbitrio, ſeu potius plerunque ſua libidine tradiderant, atque donarant populi Rom. prouinciis fuerunt adiuncta, poſt ſubiugatam ab Auguſto Cæſare Ægyptum, cùm Romani quaſuis prolatandi imperii ſui occaſiones venarentur, cupidiſſiméque arriperent. Sub hoc autem imperatore Auguſto (ſub quo & monarchia Romanorum florentiſſima extitit, & Chriſtus verus mundi monarcha, nouæ atque [redacted] monarchiæ conditor natus fuit) omnium in vniuerſum Aſiæ cæterarúmque terrarum prouinciarúmque, quæ Rom. ſubiectæ fuerunt imperio, ratio atque deſcriptio fuerit ſub finem Geographiæ ſuæ planiſſimè meo iudicio his verbis exprimit. Vniuerſæ regionis, quæ ſub Romanorum eſt imperio ac poteſtate, partem Reges tenent, partem verò ipſi habent, quam prouinciam vocant, in eámque ἡγεμόνας & ἀργυλόγους, hoc eſt, præfectos atque quæſtores mittunt. Sunt etiam nonnullæ ciuitates liberæ conditionis, quarum aliæ ab initio per amicitiam Romanis fuerunt adiunctæ, aliæ ab ipſis honoris gratia donatæ. Sunt etiam Δυνάσται, id eſt, principes ſiue poteſtates, & phylarchi & ſacerdotes ſub illis, qui ſecundum patrias quaſdam ſuàs leges viuunt. Prouinciæ verò ſæpenumero aliter atque aliter diuiſæ fuerunt, at nunc talis eſt earum deſcriptio, qualem Auguſtus conſtituit. Nam quum illi patria totius imperii patrocinium, pacis bellíque poteſtatem permiſiſſet: totum imperium bifariam diuiſit, ac partem ſibi aſciuit, partem verò populo Romano dedit. Ac ſibi quidem reſeruauit eam quæ militum præſidio indiget, cuiuſmodi eſt regio barbara, & gentibus nondum ſubactis finitima, ſterilis ac cultu difficilis, ita vt propter & cæterarum rerum inopiam, & munitionum copiam facilè iugum detrectent. Populo autem reliquam conceſſit, quæ pacata eſt, & facilè ſine armis retinetur. Vtramque verò portionem in prouincias complures diuiſit, quarum aliæ Cæſaris, aliæ populi dicuntur. Ac in ſuas quidem præfecturas Cæſar ipſe adminiſtratores mittit, alio atque alio modo prout tempus vſúſque poſtulat, loca regionéſq; diuidens atque gubernans. In populi autem prouincias populus Imperatores, vel conſules mittit, quæ & ipſæ pro tēpore & neceſſitate varias diuiſiones deſcriptionéſq; recipiunt. Initio tamen duas conſulares fecit, Lybiam. ſ. quæ Romanis paret, ea duntaxat excepta, quæ prius ſub Iuba fuit, nunc verò ſub Ptolemæo eſt illius filio. Et Aſiam cis Halym & montem Taurum, Galatis exceptis, & gentibus, quæ ſub Amynta fuerunt, præter etiam Bithyniam & Propontidem. Præturas verò decem. In Europa quidem & adiacentibus inſulis, ea ſcilicet quæ vlterior Iberia dicitur, & circa Bœtim flumen eſt, & Attacem. Et ex Celtica Narbonenſem. Tertiã Sardiniam cum

Pompeius quomodo gētes Ponticas tractarit.

Strabonis teſtim.

Tandem omnes populi Rom. prouinciæ factæ.

Sub Auguſto Ponticarum, & in genere reliquarum gentium quæ fuerit conditio.

Aliæ, reges tenent.

Aliæ ſunt prouinciæ.

Ciuitates quædã liberæ.

Dynaſtæ.

Prouinciarum diſtributiones variæ.

Auguſtus prouincias alias populo tradidit, alias ſibi reſeruauit.

Prouinciæ Cæſaris, aliæ populi.

Cæſaris prouinciæ quomodo regantur.

Populi prouinciæ.

Prouinciæ conſulares, & prætoriæ.

Conſulares duæ.

Præturæ decem.

Cyrno. Quartam Siciliam. Quintam & sextam Illyrii partem, quæ ad Epirum vergit, & Macedoniam. Septimam Achaiam vsque in Thessaliam, & Ætoliã, & Acarnaniam, & nonnullas Epiri partes, quæ Macedoniæ sunt conterminæ. Octauam Cretam cum Cyrenaica. Nonam Cyprum. Decimam Bithyniã cum Propontide, & quibusdam Ponti partibus. Cæteras Cæsar prouincias habet, in quarum alias procuratores mittit consulares viros, in alias prætorios, in alias homines ex equestri ordine. Reges verò & decarchæ atque dynastæ illius portionis sunt, ac semper fuere. Hanc Augusti prouinciarum cõstitutionem atque ordinationem posterioribus temporibus semper ferè durasse testes sunt historiæ. His præmissis nunc speciatim de singulis hisce gentibus atque nationibus Ponticis dicamus exordio ducto ab ipso Ponto propriè dicto. Hoc quum primum regnum fuisse Mithridatis, illo deuicto atque extincto à Põpeio primùm in prouinciæ formam fuit redactum. Fuerunt autem prouinciæ Græcè ἐπαρχίαι dictæ nihil aliud (vt hoc obiter dicam) quàm regiones extra Italiam bello deuictæ (vnde prouinciæ quasi procul victæ atque subactæ) quarum aliæ consulares, ad quas gubernandas proconsules mittebantur aliæ: prætoriæ, ad quas prætores, quod quum fiebat in prouinciæ formam redigi dicebantur. His tandem adiectæ aliæ sub Imperatoribus Rom. quæ præsidales dicebantur, quarum non eadem quæ consularium dignitas fuit. de quibus Alciatus in præfat. in librum prouinciarum Rom. sed procul dubio omnium doctissimè illud singulare literarum & antiquitatum lumen Carolus Sigonius (quem extinctũ esse vehementer dolendum) in illo suo libro de prouinciis Rom. cuius mihi cognoscendi atque legendi hoc tempore facultas defuit. Pontum autem ab initio prætoriam fuisse prouinciam, testis est Appianus sub finem belli Mithridatici, vbi in Bithyniam pariter atque Pontum quotannis prætorem (nam vt Consulatus biennij, ita annuæ erant prætoriæ) missum fuisse testatur. Sed temporis progressu facta est consularis, cuiusmodi sanè prouincias variè mutandi consuetudo apud Rom. vsitatissima fuit. Hinc C. Plinius secundus Bithyniæ atque Ponti proconsul dicitur, qui Traiani temporibus iis præfuit. Pontum & Bithyniam fuisse cõsulares prouincias multis testimoniis probat lib. 2. Lazius: vbi etiam eiusdem Appiani versio in descriptione belli ciuilis, vbi cuiusdam in Bithynia prætoris mentionem facit, ei est suspecta. Vide lib. 2. cap. 5, & 6. de prouinciis Roman. earum discrimine &c. Terminos autẽ Ponti prouinciæ factos eosdem ferè fuisse, qui antea cùm regnum esset locupletissimum, testis est Strabo. Pontum, inquit, Pompeius prouinciam fecit, quibus antea regnũ Mithridatis patrium & auitum fuerat. Ac paulò post. Regibus, inquit, sublatis Romani eosdem terminos seruauere, vt Heracleam Ponto concederent, vlteriora Bithynis. Idem quoque aliis in locis affirmat. Hi autem termini qui fuerint, cùm suprà sit dictum, non opus est repetere. Verùm hi Ponticæ prouinciæ termini atque fines, postea aliis atque aliis additis adiunctísque Ponto regionibus variè fuerunt communiti, de quo antequam dicamus, ordinis commodioris ratio videtur postulare, vt de cæterarum prius Ponticæ prouinciæ, atque mari finitimarum gentium, quas Mithridates regno suo adiunxerat, statu conditionéque dicamus. Ac primò quidem omnium quoad Colchidem clarissimam gentem, quam Mithridates quum regni illius patrij terminus ab initio Orientem versus fuisset, in suam potestatem redactam per gubernatores quosdam (vt paulò antè dictũ) eò missos regere fuit solitus, illius Regem fecit Põpeius (vt testis est Appianus & Eutropius) Aristarchum, cuius opera egregia in illo bello vsus fuerat. Postremò, teste Strabone lib. 10, eã Polemo habuit, quo mortuo vxor eius Pythodoris Colchorum & Trapezuntis, & Pharnaciæ, & aliorũ barbarorum regnum tenuisse, Strabonis ætate testis est ipse Strabo lib. 10. Sed clarius de hoc idem lib. 12. Tibarenos, inquit, & Chaldæos vsque in Colchidẽ & Pharnaciam & Trapezuntem Pythodoris habet pudica sanè mulier & imperandi

Bithynia cum Propontide. *Cæsaris prouinciarum quæ ratio.* *Pontus prouincia factus.* *Prouincia quid.* *Prouinciæ consulares, prætoriæ, præsidales.* *Carolus Sigonius de prouincijs.* *Pontus ab initio prouincia prætoria.* *Põtus prouincia cõsularis factus.* *Ponti prouinciæ ijdẽ termini qui quũ regnum fuisset.* *Ponticæ prouinciæ termini amplificati.* *Colchidis quæ ratio.* *Colchidis rex Aristarchus.* *Polemo Colchidẽ tenuit.* *Pythodoris Polemonis vxor, Colchidis regina.* *Pythodoridis laus.*

perandi perita. Ea Pythodori Tralliani filia fuit, & vxor Polemonis, quæ aliquandiu cum illo regnauit. Deinde illo apud Apurgianos (qui barbari circa Sindicem sunt) mortuo, in regno successit. Ex Polemone filij duo relicti, & filia, quæ Cotyi Sapæo in matrimonium collocata fuit, quo dolo interempto cœlibatum agit, filios ex illo habens, quorum maximus natu imperat. Ex filiis autẽ Pythodoridis alter quidem vt priuatus cum matre imperium administrat: alter maioris Armeniæ nuper Rex declaratus, ipsa Archelao nupta, cum eo mãsit vsque ad extremum. Nunc vidua est & dicta loca tenet, & alia illis elegantiora. Elegãtiora autem quæ hîc Strabo dicit, sunt (vt ipsemet postea testatur) Sidena, Themiscyra, vltra Phanaroëa, Zeliensis & Megalopolitanus ager, regiones agríque fertilissimi. Tandem, teste Suetonio, vniuersa hæc regio Polemone (Pythodoridis illius siue filio, siue nepote) cõcedente, à Nerone populi Rom. prouincia facta est, & Pontus Polemoniacus appellata. Hæc ipsa Colchis Trapezũtini imperij pars potissima à Ioãne Alexio Comnino occupata, quomodo tandem in Turcarum potestatem peruenerit, in Trapezuntis descriptione infrà reperies. Armeniam minorem, quæ à meridie Mithridatici regni terminus fuerat, Pompeius Deiotaro socio belli Mithridatici dedit. Hãc Strabo lib.12. sæpè alios atque alios dicit tenuisse, prout Romani volebant, postremò eam Archelaus tenuit: quæ & ipsa tandem vnà cum maiore prouincia populi Rom. facta, quam à Parthis occupatam Augustus recepit, teste Eutropio. Hæc regio quum in maiorem & minorem, postea primam & secundam fuisset diuisa, postremò à Iustiniano in quatuor prouincias fuit distributa. Prima fuit dicta interior, cuius metropolis prius Bazanis, seu Leontopolis dicta postea à Iustiniano Iustinianopolis fuit appellata. Hanc proconsulatu honorauit, cuius insigne fuit stola; hásque eidem vrbes assignauit, Theodosiopolim, quam etiam prius habuit. Coloneam ex prima (vt ante vocabatur) Armenia assumptam: Trapezuntem, & Cerasuntem ex Polemoniaco prius dicto Põto. Secundam esse voluit eam, quæ antè prima dicebatur, cui cæteris præstãs vrbs Sebastea fuit attributa, & Sebastopolis, quam prius quoque habuit, & Commana ex Ponto Polemoniaco prius dicto, & Zela ex Helenoponto & Brisa, ita vt ea prouincia quinque vrbibus constiterit, præsidalísque permanserit. Tertiam Armeniam constituit eam, quæ prius secunda dicebatur, in qua principatum tenebat vrbs Melitena, antiqua, insignis, in pulchro solo, clementissimóque cœlo posita, hanc quoque prouinciam multis ornamentis decorauit, cui vrbes adiunxit Arcam & Arabissum, Ariarsatheam, & alteram Comanam (quam etiam Chusam appellant) & Cucusum quas prius quoque habuit, ita vt sex omninò vrbibus constiterit. His addidit quartam, quæ prius non continebatur in forma prouinciæ, sed ex gentibus erat, & ex multis barbaricis colligebatur, nominibus, Trophaena, Anzerhena, Ophena, Asteaena, Balabithenáq; dicta & satrapis subacta. Primæ itaque Armeniæ proconsulem, tertiæ comitẽ, reliquis duabus ordinarios præsides voluit præesse. Hæc Iustinianus in Nouellis, constit.31. Hanc Armeniæ Iustinianeam distributionem eò libentius subiicere volui, quò magis pateant variæ atque crebræ prouinciarum mutationes, vnde magnæ in historiis atque geographicis obscuritates dubiæ atque perplexæ, nisi quis diligentius attenderit, solent existere. Sic enim videre licet vnam eandémque vrbem modo huic, modo illi regioni ab aliis atque aliis authoribus tribui.

Pythodoris quas regiones tenuerit.
Pontus Polemoniacus prouincia quando factus.
Colchis in Turcarum potestatẽ peruenit.
Armeniæ minoris conditio.
Deiotaro data.
Archelaus Armeniam tenuit.
Armenia prouincia facta.
Armeniæ diuisio in duas.
Armeniæ diuisio in quatuor partes.

Cappadocia.

Cappadociam quoque suprà intelleximus à Meridie Ponti terminum esse, quam aliquoties Mithridates occupauit. Strabo lib.12. testis est Romanos quũ primum res Asiaticas persequerentur, superatóque Antiocho amicitias atque societates cum regibus ac populis iungerent, hunc quoque honorem Regi populóque Cappadociæ tribuisse. Regia deinde stirpe extincta Romani concesserunt, vt gens ea libera esset secundum amicitiam & societatem antè contra-

ctam, quam cùm missis legatis recusarent, sibíque vt Rex daretur orarent, Romani admirati inueniri qui libertatem recusarent, liberam illis quem vellent, Regis eligendi potestatem permiserunt. Elegerunt itaque Ariobarzanem, qui in progressu, tertia ætate defecit. Ariobarzanem primi illius siue filium siue nepotem Pōpeius aliquoties à Mithridate eiectum atque expulsum è regno, tandem in pristinam suam dignitatem restituit. Quo mortuo creatus est Archelaus nihil illi quicquam affinitate coniunctus ídque Antonij opera. Hic teste Corn. Tacito quinquaginta annorum Cappadocia potiebatur, inuisus Tiberio, quòd eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. & subdit. Sed angore, simul fessus senio, & quia regibus æqua, nedum infima insolita sunt, finem vitæ spōte, an fato impleuit. Regnum in prouinciā redactum est, fructibúsq; eius leuari posse centesimæ vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit. Idem lib. 2. Cappadoces, inquit, in formam prouinciæ redacti Q. Veraniū legatum accepere. Et quædam ex regiis tributis deminuta, quô mitius Romanum imperium speraretur. Cæsarea prius Mazaca dicta teste Eutropio à Tyberio fuit appellata. De Cappadociæ proconsule vide Iustinianum in Nouellis Constit. 30. Comanæ deæ quæ à Comanis colitur Archelaum Pompeius fecit flaminem dynastæ opibus parem, quod sacerdotium Cæsar ab Archelao ad Nicomedem transtulit, teste Appiano atque Strabone. Posteriores Romanorum duces, eodem Strabone teste, Comanis in partes diuisis, alia sacerdotibus Comanorum dederunt, alia sacerdoti Zelorum, alia Teporigi cuidam homini præpotēti, & è tetrarchica stirpe. Galatarum, quo mortuo, portio hęc, quæ non multa erat, Romanis cessit, & prouincia fuit appellata. Galatiam siue Gallogræciam (teste Appiano) Pompeius diuisit tetrarchis quatuor, Deiotaro & aliis, quæ ipsa quoque tādem (vt Eutropius testis est lib. 7.) sub Augusto primùm prouincia est facta, primúsque eam M. Lellius pro prætore administrauit. Paphlagoniam, vt Appianus inquit, Attalo, vt Eutropius Attalo & Pilæmeni dedit, Strabo lib. 12. Paphlagonum, inquit, quosdam iis regendos dedit, qui erāt à Pilæmene. Quo amico & socio pop. Rom. Mithridates expulso eam occupauerat. Hæc ipsa quoque tandem populi Rom. prouincia facta, Honorii temporibus in duas fuit diuisa partes: in Paphlagoniam nimirum, & Honoriada. Honoriadis vrbis erant Prusias, Cratias, Hadrianopolis, Tios, Claudiopolis, Heraclea: quarum tres illæ Prusias, Heraclea, & ipsa prouinciæ metropolis & caput (teste Dione Cassio) prius Cithynis dicta vrbs Bithyniæ vnde ortus Antinous puer eximiæ pulchritudinis, in Ægypto mortuus, siue in Nilum ceciderit, vt Adrianus scribit, siue immolatus, vt veritas habet, Claudiopolis ex Bithynia assumptæ fuerunt. Paphlagoniæ autem propriè dictæ sex vrbes antiquitus fuerunt, Garmanicopolis, Gangra, Pompeiopolis, Dadybros, tumuli Amastridis, Ionopolis, ita duodecim omnino fuerunt vniuersæ Paphlagonię vrbes, testis est Iustinianus in Nouellis. Has duas Paphlagonias idem imperator ad vnum imperium redegit, vt vnus sit illis prætor, qui vna vtatur cohorte ex duabus prioribus conglutinata, quam centum virorum numero vult constare. Ibid, Pluribus idem describit munus atque officium prætoris, quem etiā Græco nomine στρατηγὸν dicit posse appellari. Quoad Bithyniā, illa Nicomedis vltimi Regis testamento sub Cæsare, populo Romano legata cessit, illius prouincia facta est, anno vrbis conditæ D. C. L X X V I. L. Licinio Lucullo & M. Aurelio Cotta Coss. vt Eutrop. testis est, in quam quotānis (teste Appiano) vt & in Pontum prætor missus fuit, postea facta est consularis. Strabo libro 12. Colchidis & Armenię minoris mentione facta: reliqua, inquit, Pompeius in duodecim gubernationes diuisit, & Bithynię addidit, vt ex vtrisque vna prouincia efficeretur. Quoad Bosporum siue regnum Bosporanum illud exceptis Phanagorēsibus, quos liberos suo iure permisit viuere ob nauatam sibi in bello Mithridatico operam Pharnaci Mithridatis filio & proditori, præmii loco com-

Cappadocia prouincia facta. *Cappadociæ proconsul.* *Comana.* *Galatia, Gallogræcia.* *Paphlagonia.* *Bithynia.* *Bosporanum regnum.*

commisit. Hoc quum 15. annis obtinuisset, tandem in pugna quadã cum Alexãdro fortissimè pugnans consauciatus, quinquagenarius occubuit, cuius regnum Cæsar dedit Mithridati Pergameno, cuius egregia opera vsus fuerat, testis est Appianus, qui idem illos suo tempore liberos fuisse dixit. Thracia sub Regibus sociis & amicis populi Romani diu fuit, tandem sub Vespasiano Byzantium vt & Samus, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant, Romano imperio accesserunt. Idem denique Imperator Thraciam, vt & Ciliciam Trachæam, Commagenam (quæ sub Regibus amicis antehac fuerant) in prouinciæ formam redegit, testis est Eutropius libro 7. Hanc fuisse Consularem prouinciam, probat Lazius libro 2. capite sexto. Strabo libro 17. sub finem. Quoad Achæos, Zygos, Heniochos, necnon Scythas, Bospori Cimmerij, Istri, Tanaidis, Mœotidis accolas, acerrimas & ferocissimas gẽtes loca aspera maxima ex parte dura, frigore horrida incolẽtes, latrociniis deditas, illas diu suis quibusdam Regulis regendas permiserunt. quarum nonnullæ tributariæ factæ sunt, vt ex hac Arriani nostri epistola videtur posse colligi. Hę tandem vt semper post hominum memoriam vniuersæ orbis terrarum vastitates, clades, calamitates, tãdem Romani atque Constantinopolitani imperij funera atque ruinę fuerunt. Redeo ad Pontum propriè dictũ, cuius qui ab initio termini fuerint, iam antea dictum est. Hic atque Bithynia diu vni primò Prætori, deinde Consuli fuerunt subditæ, postea vtræque ad vnam prouinciam redactæ. Iustinianus testis est in suis Nouellis. Pontum prouinciã in duos Pontos fuisse diuisum, Pontum nimirum Polemoniacum, & Hellenopontum. Ac Hellenoponti quidem, quem sic Constantinus ab honesta ac pia sua matre Hellena (vt idem testis est Iustinianus) appellauit: vrbes fuerunt Amasia Strabonis patria, Ibera, Euchaira, Zela, Andrapa, Ægeum ad Climacas, hoc est, gradus situm. Sinopè, & Amisus antiquæ vrbes, Leontopolis, quæ & ipsa iam inter vrbes numeratur. Polemoniaci autem à Polemone (de quo suprà sic appellati) vrbes fuerunt quinque, Neocæsarea, Commana, Trapezus, Cerasus, Polemonium. Pitius autem & Sebastopolis inter castra potius, quàm vrbes numeranda esse dicit, inter quos terminos vterque Pontus consistat. His adiungit Lazicam suam, in qua Petræõ, quæ illius beneficio & esse, & nominari vrbs cœpit ipsius nomine Iustinianea. Necnõ Archæopolis, Rhodopolis maxima & antiqua castra, pręterea quę ĩ his sunt, castra, quæ à Persis se dicit recepisse, Scãdine, Sarapane, Murisij, Lusieri, Lazi, Tzani, Suaui, Scynni, Aphilæ, Abasgi, quas quidem gẽtes omnes vel suas iam esse, vel socias, permittẽte Deo esse dicit. Hos duos Pontos quum antea vna fuisset prouincia sub vno Præside oriunda, neque necessitate, neq; ratione aliqua diuisos sibi videri ait, quippe quum ad illius vsque tempora vno tantùm publicorum tributorum, & dispositionum tractatore vtraque prouincia vtatur. Vrbes quoque vtriusque prouinciæ vix vnius prouinciæ iustã mensuram complere. Quamobrem duos illos Pontos, ac tredecim illas vrbes, quæ in illis continentur, paulò antè commemoratas Iustinianus vnius rursus prouinciæ fecit, quam Helenopontum potius tanquam honorificentiore & augustiore Christiano nomine, quàm Polemoniacum voluit appellari, quũ illo nomine & plerique in Ponto tyranni vsi fuerint: & quia bellum atque tumultũ significat, inauspicatius videtur. Ita tamen vt neque alterutri in iis (metropoli Amasiæ scilicet, & Neocæsariæ) metropolis nomen detrahatur, & Dei amantes earum Episcopi, metropolitani quidem in hac vrbe (Constantinopoli scilicet) qui verò sub metropolitanis collocati sunt ab his qui metropoles sub sua cura habent (vt hactenus in more fuit) ordinentur.

Thracia. *Achæi, Zygi.* *Pontus.* *Pontus duplex.* *Pontus Polemoniacus.* *Helenopontus.* *Ponti Polemoniaci vrbes.* *Duo Ponti ad vnum redacti.* *Amasia & Neocæsarea metropoles.*

Postremò quum vniuersus Oriens in quinque Diœceses, nimirum Orientẽ propriè dictum, Ægyptum, Asianam, Ponticam, Thraciam fuisset distributus sub duabus illis postremis, Pontica & Thracia esset ferè has gentes quæ circunquaque Pontum hunc Euxinum accolunt, video fuisse comprehensas. Ac

Orientis quinque diœceses.

Ponticæ diœcesis prouinciæ decẽ.

Ponti quidem prouinciæ enumerantur decem (tanta facta est priorum terminorum mutatio) Galatia, Bithynia, Honorias, Cappadocia prima, Cappadocia secunda, Pontus Polemoniacus, Hellenopõtus, Armenia prima, Armenia secunda, Galatia salutaris. Præsides per Ponticam octo, nimirum Honoriados, Cappadociæ primæ, Cappadociæ secundæ, Hellesponti, Armeniæ primæ, Armeniæ secundæ, Galatiæ salutaris. Consulares ex iis duæ, Galatiæ, Bithyniæ.

Thraciæ diœcesis prouinciæ sex.

Quoad verò Thraciam illius prouinciæ sex sunt, secundum Ammianum Marcellinũ libro 27. Prima (inquit) quæ ex fronte Illyriis est confinis, Thracia speciali nomine appellatur: quam Philoppopolis, Eumolpias vetus, & Beroea amplæ ciuitates exornant. Post hanc Hemimontus Hadrianopolim habet, quæ dicebatur Vsendama, & Anchialon, ciuitates magnas. dein Mysia, vbi Martianopolis est, à sorore Traiani principis ita cognominata, & Dorostorus & Nicopolis, & Odyssus: iuxtáque Scythia, in qua celebriora sunt oppida: Dionysopolis, & Tomi, & Galatis. Europa omnium vltima, præter municipia vrbibus nitet duabus Apris, & Perintho, quam Heracleam posteritas dixit. Rhodopa huic annexa Maximianopolim habet & Maroneã & Æmũ, post quã conditã & relictam, Æneas Italiã auspiciorum prosperitáte perpetua post diuturnos occupauit errores.

Ponticarum gentiũ status labẽte imperio Rom.

Atque hic ferè fuit gentium istarum Ponticarum post Mithridatis eiúsque regni destructionem sub Romanorum monarchia status. Nunc quis earum labente imperio Romano, donec tandem in Turcarum potestatem seu potius tyrannidem (cui adhuc sunt subiectæ) peruenerint, status atque conditio fuerit, quàm potero paucissimis explicabo. Quemadmodũ igitur populus Romanus paulatim Ponticas istas gentes (sicuti dictũ est) vt & reliquas orbis terrarũ nationes armis atq; ferro, per vim atque iniurias, fas & nefas peperit, ita quoque easdem cum toto imperio paulatim amisit, plurimis cladibus atque calamitatibus miserrimè ab iisdem affectus atque afflictus. Ac imprimis illæ communes atque perennes vniuersi orbis terrarũ pestes, gentes Septentrionales imperij Romani, ac postea Constantinopolitani atque Trapezuntini funera atque ruinæ extiterunt. Sæpenumero in Sacris literis mentio fit Aquilonis, hoc est, gentium Aquilonarium atque Septentrionalium, quòd nimirum inde bella, vastitates, clades, atque calamitates omnis generis promanarint. Sic enim cap. 1. Ierem. Dei instinctu atque impulsu, ex Aquilone, inquit, omne malũ pandetur. Item in eodem capite, Ab Aquilone regnorum cognationes conuocabo, & venient, & ponent quisque solium suum in porta Ierusalem, & super muros eius, & super omnes vrbes Iuda. Idem hoc cap. 4. 6. 10. 47. sæpissimè inculcat. Item Ioel cap. 2. Aquilonaris hostis mentionem facit. Ezechiel à lateribus Aquilonis, siue Septentrionis Gog & Magog prodituras esse dicit. Hic Aquilo, Gog & Magog meo, imò doctissimorum quorúmque, iudicio sunt Scythæ, hoc est, Istri, Borysthenis, Bospori, Cimmerij, Mœotidis, Tanais, Caucasi, Caspij maris atque montis accolæ, fatales totius mundi hostes. Nam (vt Nicephorus Gregoras histor. Roman. libro 2. tradit) Scytharum gens est populosissima, magis versus Septentrionẽ habitans, quàm vllæ aliæ nostri orbis: & quanuis non prorsus Arctico polo subiecta, in eo tamen sita, qui maximè versus Septentrionem porrigitur, vt & veteres historici nobis tradiderunt, & ipso vsu atq; experiẽtia diuturna cõpertũ habemus. Hi sunt Gog & Magog à tecto nomẽ habẽtes, quia quasi domipodæ, Samaxohij, atq; Mosinœci in plaustris suas domus secum ferentes, nullas certas & fixas sedes atque domicilia habentes, sed ferarum ritu passim vagantes, atque ex rapto latrociniis viuentes. His gentibus feris atque immanibus, Assyrij primò, deinde Persæ, Medi, Alexander, Mithridates mercede atque pretio semper conductis (nam à nullo Rege atque populo domari omnino potuerunt, vt testis est Chalcondylas, licet hanc sibi laudem Mithridates arroget) maxima mala atque incommoda vniuerso

Gentes Septentrionales.

Ab Aquilone omne malum.

Gog & Magog.

Scythæ.

uerſo mundo importarunt. Hæ & in Africam ſæpe penetrarunt, & Herculeo freto traiecto, Hiſpanos ſubegerunt (teſte Nicephoro, necnon Aſiam ſeptenis irruptionibus ſuis infeſtaſſe dicuntur, eámque occupatam aliquandiu tenuerunt. Europã quoque intactam non reliquerunt, grauiſſiméq; ſæpe afflixerunt. Quamobrem ſcitè admodum, veriſſiméque Sacris literis, de quibus paulò antè, ipsíque experientiæ omnium ſæculorum conuenienter congruentérque à Nicephoro dictum eſt. Vt terrores de cælo ſæpe hominibus à Deo incutiũtur, vt fulmina, incendia, & imbres proceſſoſi: ſæpè à terra, vt telluris hiatus, & quaſſationes: ſæpè ex aere, vt typhones, & nymbi: ita hi à Deo aſſeruantur Septentrionales ac Hyperborei terrores, vt pro pœna quadam, quando, & quibus prouidentiæ diuinæ viſum fuerit, immittantur. Hi autem ſunt (vt ex innumerabilibus paucos tantùm atque notiores proponam) Cimmerij, pòſt Cimbri dicti, à Gomer Iapeti filio oriundi, Ezech. 11, 38. Gomer & Togorma latera eſſe Aquilonis dicuntur. Hos fuiſſe vltra Thraciam, circa paludem Mœotidem Cimmerij, Boſpori, & Cimmerij oppidi nomina teſtantur. Tametſi Theodoretus per Gomer Galatas intelligat: alij per Togorma filium Gomeri Phrygas accipiunt, teſte Lauatero in Ezechielem. Sic Homerus (teſte Nicephoro) Scythas appellat Cimmerios. Plutarchus Cimbros & Teuthonas, *Teutſchen*. Gothi olim Getæ dicti, à Gethero (cuius mentio Paralipom. 1.) filio Semi, vt eſt veriſimile oriundi, quos Gog eſſe voluerunt multi. Inde Ambroſius De fide lib. 24. c. 4. Gog iſte Gothus eſt, quem iam videmus exiiſſe, de quo promittitur futura victoria, apud quos exulauit Ouidius. Item Sarmatæ ſiue Sauromatæ, ſic dicti, vt videtur [redacted] à regione ardua, quaſi dicas ducem ſuperioris regionis: nam aſſurgit terra verſus Septentrionem: hodie Tartari. Item ſunt Bulgari, à Bulga fluuio dicti, Moſcouitæ olim Μοχινοὶ & Μοσσύνοικοι in Argonautico capite dicti, à caſis ligneis, qui quum primùm in litore Ponti Euxini ſedes tenerent ad fluuiũ Thermodontem, vbi poſtea Cappadoces, deinde verſus Septentrionem progreſſi ſunt, inde Pſal. 120. Hei mihi quòd exulo in Meſech à Moſoch filio Iapheti, ab intendendis arcubus, atque iaciendo ſic dicti. Bulgari à Bulga fluuio trans Iſtrum, verſus Septentrionem ſic dicti, origine ſua Scythę. Hi eo tempore quo de imaginibus in Eccleſia certatum, innumerabili multitudine, locuſtarum inſtar (vt teſtatur Nicephorus libro 2.) Myſiam peruagati, ac obuia quæque populati ac prædati, Macedoniam cum vlteriore Illyrico occuparunt. Hunni & ipſi Scytharum ſoboles. Ab his itaque populis Aquilonaribus, ac Scythicis nimirum Cimbris, Gothis ſiue Getis, & Maſtagetis, Sarmatis, ſiue Tartaris, Moſcouitis, Bulgaris, Hunnis (vt nihil dicam de Perſis atque Parthis) pars illa Pontica Europæa atque Thracia, & Aſiatica, quæ Natolia hodie, Anatolia ſiue Oriẽtalis dicitur, quã crebris irruptionibus ceu locuſtarũ, torrentiũ, tẽpeſtatũ, ac procellarũ quarundã vaſtatã ſcimus. Regnũ denique Romanum, Conſtantinopolitanum, atque Trapezuntinum vexatum ac deuaſtatum fuerit Cedrenus Parthimenus, Nicephorus, Chalcondylas atque alij hiſtorici teſtãtur. Verùm hi fuerunt quaſi πρόδρομοι magni illius Gog, & Magog, id eſt, gentis Turcarũ, quæ & omnes illas gentes barbaras, necnon tria illa regna atque imperia peſſundederunt, ac vniuerſum ferè Portum in ſuam poteſtatem redegerunt, taceo de cæteris. Turcos autẽ ſiue Turcas, Scythas eſſe ferè omnes ſcriptores concordiſſimo conſenſu teſtantur. Mela certè Turcas refert inter Scythas. Gaza in quadam ſua epiſtola Scylacem quendã hiſtoricum citat, qui Turcos eas partes montis Caucaſi dicit habitare, quæ ad Septentrionem vergunt, qui mons mari Pontico & Caſpio imminet, quã ſententiã Gaza cõprobat: hinc nonnulli Sybillæ illud de Antichriſto vaticiniũ, ꝙ ſit habiturus nomine vicina Ponto, ad Turcarum gentem referunt: quoniam Caucaſum montem à Septentrione quà Pontum attingit, accoluiſſe dicantur. Laonicus Chalcondylas argumentis ac coniecturis quibuſdam probat Turcas

Scythæ flagella Dei.

Scytharũ populi Cimbri.

Gothi olim Getæ

Gothus eſt Gog.

Sarmatæ.

Tartari.

Bulgari.

Moſchouitæ.

Scythæ ac Septentrionales populi πρόδρομοι Turcarum.

Turcarũ origo.

Scytharum (quos Tartaros nominant) esse progeniem, à victus vitæque similitudine, quod vtrique sint νομάδες, à nominis notatione, quoniã nomen Turcorum significat hominem qui agrestiorem, ac duriorem, vagam, incertã instar Nomadum vitam agat. Eandem Cedronus Turcarum originem tradit. Nonnulli (teste Gaza) Turcas siue Turcos (nam vtroque nomine appellãtur) volunt esse illos quos Strabo Cyrtios appellat, ac Septentrionales Atropatinę Mediæ regiones montanas, asperas, atque duras dicit inhabitare, vagos, errantes, atque latrociniis viuere dicit. Ioannes Baptista Egnatius, Turcæ, inquit, partim Caspio mari proximi, qui Asiam Orientémque vastarunt, Caucasij veteres incolæ, qua parte ad Arctum vergit, partim inter Scythicas gentes relati, & Hũnici sanguinis (qui postea Vngari dicti sunt) existimati, quod ex Græcis atque Latinis authoribus colligi posse dicit. Idem Nicolaus Euboicus Saguntinus Episcopus, quum Turcas ab annis sexcentis & suprà, à Scythis, qui trans Tanaim Asiã versus, nulla stabili sede, nullis vrbibus, nullis certis ac perpetuis domiciliis (campos patentes vagè passímque incolere soliti sunt) originem traxisse, ac veluti riuulus quidam è fonte inde emanasse videntur, iisdem vtitur coniecturis, quibus Chalcondylas suprá. Turcæ imprimis Gog sunt atque Magog. Nam Magog nomen est secundi filij Iapheth. Genes. 10. qui sedes habuit ad Taurum vel Caucasum montem, & in minore Asia. Iosephus Scythiam olim Magogam vult esse dictam. Funccius dicit à Magog filio Iapheti ortos esse qui in tentoriis habitant, vt sint Tartari in Asia maiore, versus Septentrionem circa Mœotida paludem habitantes, olim Scythæ Asiatici dicti. ab his ortos Turcas, qui latè vastarint Asiam & E[redacted]ic ergo Septentrionalis terror omnium maximus Gog atque Magog immanissimus, hoc est, Turcarum populus, vniuersæ huius Ponticæ regionis, imperij Constantinopolitani ac Trapezuntini (vt taceam innumeras alias gentes atque regna, quæ subegit) breuissimo tempore dominium fuit adeptus. Ac primò quidem omniũ ex Caspiis illis suis atque Caucasiis caulibus sedibúsque effusi in Persidem Asiámque minorem irruperunt, eámque partim depopulati sunt atque vastarunt, partim suæ potestati subiecerunt. Septem autem ab initio fuisse Turcarũ duces, Chalcondylas testis est, qui fœdere colligati, communi consensu atque opera bella gesserunt, regionémque quã armis subiecerant, ab initio inter se diuiserunt, postea sorti partitionem cõmiserunt. Caramano obtigit mediterranea Phrygia Ciliciam vsque & Philadelphiam. Sarchani sors addixit maritimam Ioniæ regionem, quà Smyrnam vsque patet. Lydia vsque ad Mysiam obuenit Calami, & filio eius Carasi. Bithyniã autem cum his regionibus, quæ Olympum respiciunt, nactus est Otomannus cum Tecie. Paphlagoniam cũ his regionibus quæ vergunt ad Euxinũ mare acceperunt Amuræ filij sorte sic partitionem regente. Primam tamen omnium Cappadociam Romanis à Turcis esse ereptam, plerique historici testantur. Hinc Sebastia (vt testis est Chalcondylas libro 3.) prima Taurorum regia sedes dicitur extitisse. Hinc Ioannes Funccius in sua Chronologia libro 1. putat Magog ideo principem & caput Mesech ab Ezech. 38. capite appellari, quod Magogim, hoc est, Turcæ, terram Mesech, quæ postea Cappadocia dicta fuit, primam Romani imperij occuparint, suíque dominij sedem constituerint. Antea enim Persidem cum maioris Asiæ dominio aliquot annis occupasse, sed ab Armenis inde pulsos, in Cappadociam ad Solymannum concessisse, vnde magnam orbis terrarum partem imperio suo hactenus subiecerint. Verùm inter hos duces exortis (vt fieri solet in πολυκοιρανίᾳ, quam Homerus improbat) discordijs atque bellis intestinis, quæ diu Turcici regni progressum atque incremẽta retardarunt, tandẽ Ottomannus Orthogalis filius ex familia Ogaziorũ εἷς κοίρανος extitit: qúmque ab initio illius omnium minimè vires atque opes fuissent, tandem omnium potentissimus primúsque Turcarum imperator euasit. Hic (teste Chalcondyla) ex castello

Turcæ Gog & Magog.

Turcæ ex Caucasiis atque Caspijs montibus in Persidem Asiámque minorem irruperunt.

Septem ab initio Turcarum duces

Quomodo septem illi Turcici duces partam regionem partiti sint.

Bithinia Ottomãno obtigit.

Paphlagonia & Euxini Põti loca.

Cappadocia prima pop. Ro. prouincia à Turcis occupata.

Discordia Turcarum.

Ottomãnus solus rerum potitur.

castello quodam siue vico Sogutha nomine iuxta Mysiam (vbi etiam fluuius eiusdem nominis) sito, omnium rerum affluentissimo, 150. stad. à Ponto Euxino dissito, qui etiam Itæus vicus dicitur, Oguziorum antiqua sede ac domicilio oriundus fuit. Ex hoc idem Ottomanum intra viginti octo annos (quibus regnauit) Prusam primo celeberrimam Mysiæ (vt alii Bithyniæ) ciuitatem, hodie quoque Turcicorum imperatorum sepultura claram, fame domitam cepisse, regníque sedem fecisse, ac deinceps maximam Bithyniæ partem, plurimáq; Ponti Euxini oppida in suam potestatem redegisse Chalcondylas, Nicephorus, aliiq; testes sunt. Ottomanno successit Orchanes filius, anno 1328. Is cùm reges Byzantini, Triballi in Thracia, & Mysij bellis mutuis flagrarent, Lydiam regno adiecit. Nicæam clarissimam Bithyniæ vrbem deditione cepit. In Europam facto impetu Thraciam depopulatus est, testis est Chalcondylas. Idē Mysios, Lycaonas, Cares, Phrygas, cæteráque ad Hellespontum vsque loca longè latéque subiecisse suo imperio, tandem in pugna quadam contra Tartaros infœlici occubuisse dicitur temporibus Ludouici Barbari Rom. imperatoris, vt testatur Io. Ramus.

Ottomann. ex Sogutha vico atque castello.

Orchani successit Amurates filius. Is cùm Caicusino cui cum alio controuersia de imperio Constantinopolitano fuerat ex Asia in Europam vocatus, Callipolim, Philippopolim, fauces Hellesponti, Bessos, Tribales, Rhodopem, Orbolum, aliásque circa ciuitates occupauit, longiúsque progressus haud exiguam Thraciæ partem sibi subiecit. Adrianopolim clarissimam ciuitatē posthabita Prusia pristina regni sedem, caput ac dominium Imperii constituit, quā cepit anno 1363. tandem pugione confossus obiit anno 1373, cùm viginti tres annos regnasset Carolo IIII. Imperat. Rom. & Georgio XI. Pontifice.

Quomodo Turcæ paulatim Ponticas gentes expugnarint.

Amurati successit Baiazetes filius, qui Thraciam, Thessaliam, Macedoniam, Phocidem, Bœotiam, Atticam subiecit, itaque metu perculsi atque consternati plurimi reguli legatis missis vltrò se ei dediderunt. Idem (vt Chalcondylas testis est) Thapnidas, qui Cholchidis loca vsque ad vrbem Amastrum tenebāt, vicit: Constantinopolim octo annorum grauissima obsidione pressit. Tandem à Tamberlano Scytharum duce ingenti prælio victus, Mediam & Armeniam amisit.

Baiazeti Calepinus filius, cui insignis illa contra Christianos ad Nicopolim victoria tribuitur, Calepino Moyses, Moysi Mahometus primus Baiazeti filius ab Ottomanno septimus regum Turcicorum. Is primus ex Bithyniæ vrbe Prusa in Adrianopolim Thraciæ vrbem ceu ad res gerendum magnas opportuniorem regni sedem regiam anno 1408. transtulisse, & fractas à Scythis Asię atque Europæ vires pristinæ suæ dignitati restituisse dicitur. Huius successor fuit Amurates II. Amurati successit ille quasi fatalis Imperij Constantinopolit. atque Trapezuntini euersor. Hic igitur primò quidem circiter annum 1453. quarto Calend. Maias, Constantinopoli capta regnum illud florentissimum (*en quo discordia ciues, perduxit miseros*) è Christianorum manu ac potestate extorsit. Nec ita multò post Sinope clarissima vrbe (de qua infrà pluribus) quam Ismael rex postremo obtinuerat deditione capta, illa quoque regione (quæ teste Chalcondyla ab vrbe Ponti Heraclea, quæ regis est, porrigebat se per Pontum vsque ad Paphlagoniam & ad Turgutis regionem) potitus est, quam idem author opibus florentissimam fuisse dicit, ita vt annua inde vectigalia circiter viginti myriades staterum argenteorum inde rex Ismael perceperit. Non multo temporis interuallo pòst Sinopensium colonia Trapezunte (de qua infra pluribus) deditione similiter potitus, vniuersam Colchidem, ac alterum illud regnum Trapezuntinum cui Dauid Despota præfuerat Christianis eripuit anno 1460. Capha quoque (quæ olim Theodosia dicta fuit, caput regni Bosporani) capta atque oppressa, regni illius Bosporani atque Tauricæ Cherronesi dominium fuit adeptus. Hoc itaque progressu celerrimo profectò

magnus ille Gog atque Magog Ponti quasi fæx ex Caucasiis illis Promethei supplicio claris rupibus prognatus, ac proinde durus, crudelis atque immanis, Pontici instar maris fluctuosissimi in regiones atque populos qui illud omnibus ex partibus accolunt, efferuescens atque erumpens, ipsius Ponti vniuersi dominus factus est. Hoc autem factum est, vt omnes historiæ testantur, Christianorum tunc temporis culpa atque vitio, qui suis odiis, inimicitiis, dissensionibus, discordiis, bellis intestinis immanissimæ illi bestiæ in Pontum irrumpendi eúmque deuastandi atque in suam immanissimam impurissimámque potestatem redigendi, quasi pontem strauerunt, hoc est, viam aditúmque patefecerunt. O vtinam hæc illorum παθήματα nostra essent μαθήματα, ne tãdem (quò certè res iam spectare atque inclinare videtur) nos quoque eandem tyrannidẽ subire ac perpeti cogeremur. Quam nimium igitur, proh dolor, verus fuit vates Lactantius ille, qui Diocletiani tẽporibus floruit, cuius hoc fuit obseruatione animaduersionéque dignissimum vaticinium lib. 7. Instit. cap. 15. Cuius vastitatis & confusionis (de qua paulò antè dixerat) hæc erit causa, quòd Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere, sed dicam quod futurum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam reuertetur, ac rursus Oriens dominabitur, ac Occidens seruiet. Huius modum deinde capite sequente sexdecim his verbis exprimit. Imprimis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per vltimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ ciuiles in perpetuum serentur, nec vlla requies bellis exitialibus erit, donec & Reges decem pariter existant, qui orbem terræ non ad regendum, sed ad consumendum partientur. Hi exercitibus in immensum auctis, & agrorum cultibus destitutis (quod est principium euersionis & cladis) disperdent omnia & comminuent & vorabunt. Tunc repente aduersus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ Septẽtrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis, qui tunc Isiam obtinebunt, assumetur in societatẽ à cæteris, ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem, diuina & humana miscebit, infanda dictu & execrabilia molietur, noua consilia in pectore suo volutabit, vt proprium sibi constituat Imperium, leges commutabit & suas sanciet, contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine atque imperij sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Hoc vaticinium de Turcarum imperio, si præcedentia diligenter considerentur, sine vlla interpretatione, satis per se clarum atque perspicuũ videtur esse. Caueat sibi Roma (ne ex Roma ῥύμη fiat, vt est in Sibyllinis vaticiniis,) qua nonnisi destructa idem Vates, lib. de ira Dei, cap. 25. finem mundi adfuturum esse prædixit.

Caput vltimum de religione Ponticarum gẽtium. Ponticorum superstitio quanta.

Sequitur nunc vltimum ac postremum sed reuera dignitate sua primum atque potissimum Ponticæ huius nostræ tractationis caput, nimirum de religionis in Ponto statu atque conditione. Ea priscis illis sæculis ante Christum natum miserrima sanè funestissimáque extitit. Fuit enim reuera Pontus hic Euxinus (vt de omnibus gentibus Paulus 1. Ephes. cap. disserit) ἄξενος, hoc est, planè hospes atque peregrinus in vero Dei cultu ac religione, veræ Dei notitiæ spei, fidei, charitatísque expers. Cœlum Ponticum suprà maxima ex parte caliginosum, nebulosúmque esse diximus, sed non minus densæ atque crassæ, ac vel Cimmeriis illis tenebris tetriores funestioréſque fuerunt spirituales illæ tenebræ atque caligo, hoc est, inscitia ignorantiáque Dei, rerúmque diuinarum atque cælestium, qua Ponticarum istarum gentium animi mẽtésque circumfusæ fuerunt. Mare præterea ipsum ventosum fluctuosúmque esse diximus: verùm multò vehementioribus immanioribúsque errorum variorum atque multiformium ventis atque fluctibus istorum Ponticorum animi huc atque illuc distracti agitatíque fuerunt. Pontum quoque suprà dictum fuit plurimis noxiis, ac venenatis herbis scatere, sicut illæ de Medea fabulæ testantur.

Sed

Sed multò magis venenatis atque mortiferis infœlicissimísque superstitionū plantis ab ipso diabolo satis infamis fuit, donec tandem Dei beneficio spirituales illi agricolæ, iis verbi diuini sarculo euulsis bonum illud atque salutare Euangelii veræque doctrinæ semen ibidem sparserunt. Denique Pontum reuera omnium superstitionum, errorum, idololatriæ receptaculum, siue colluuiem quandam atque sentinam fuisse verissimè dixeris: ita, vt quemadmodum mare omnes suas sordes in litus eiicit, sic Græcia superstitionibus cumulatissima natio, ac reliquæ quoque gentes omnes suas superstitionum sordes atque fæces in Ponticam istam regionem profudisse, videantur. Huiusmodi autem excrementorum, hoc est, superstitionum vestigia quamplurima, cuiusmodi fuerunt fana, simulachra, altaria in falsorum deorum honorem excitata, passim in regione illa Pontica impressa inustáque fuerunt. Atque huius quidem rei, omissis aliis innumeris testimoniis, hæc ipsa Arriani nostri epistola testis est locupletissima. Nam & Trapezuntini Mercurii atque Philesii, & Bosporani Iouis Vrii, & templi Veneris, & Phasianæ cuiusdam deæ, quam Rheam illam deorum matrem, hoc est, *dess tufels gross muetter*, esse putat, denique templi Achillei in insula ab eodem denominata, ei consecrata, aliarúmque superstitionum meminit. Denique & oppida, & portus, promontoria, flumina, aliáque loca deorum commentitiorum, quibus dedicata fuerunt, nominibus insignita plurima in hac ipsa epistola reperiuntur, quæ ipsa quoque Ponticarum istarū gentium idolomanias certissima sunt indicia. Cui præterea vel mediocriter in historiis versato Achæorum, Tauroscytharum illorum atque Thracum monstri simillima idololatria non est cognita? qui Dianæ Orsilochæ ipsos aduenas atque peregrinos (quos omnia diuina humanáque iura ab omni iniuria vindicant) immolare non dubitarunt. Huiusmodi ergò (vt vel ex his pauculis exemplis atque testimoniis apparet) perditus desperatúsque in illis regionibus religionis siue potius superstitionis status fuit. Qua sanè de causa (vt hoc quoque addam) minimè profectò mirum fuit apud Heracleam Pōticum & Acherontem, hoc est, infernalem fluuium, & antrum quoddam, vnde Cerberus ab Hercule extractus, ad Tartara peruium ab historicis pariter atque poëtis proditum fuisse. Dignissima atque sine omni dubitatione vniuersa hæc Iapetica inauspicata certè propago, hoc est, Pontica natio fuerat, quę ob tam diram atque horrendam suam idololatriam, tot tantáque scelera atque flagitia Sodomæ instar atque Gomorrhæ funditus ne vno quidem superstite deleretur, ac in ima Tartara detruderetur. Verùm Deus immensa ac infinita misericordia præditus, quíque non tam hominum improbitatis, quam suæ bonitatis rationem solet ducere, dubium nō est, quin vt in Sodoma atque Gomorrha Lothi, in communi illa vniuersi mundi improbitate atque perditione Noachi, in terra Chaldæorum Abrahami familiam ceu paruam quandam ecclesiolam superstitem, saluam incolumémque conseruauit: sic quoque in isto πονηροτάτῳ.i. extremæ impietatis improbitatísque Ponto quasdam sibi (vt Scriptura loquitur) quasi reliquias, hoc est, exiguum quendā eorum qui illum recto legitimóq; cultu prosequerentur, numerum cœtúmq; reseruarit. Fuerūt autem procul dubio hæ reliquiæ decem illarum tribuum, quarum maximā partem Pōto Euxino vicinas atque finitimas regiones inhabitasse legimus: cuius rei & epistolæ primæ Petri inscriptio, & Act. Apost. cap. 1. testimonium perhibet. Hinc à Iudæis exulibus potius ille Colchorum circumcisionis ritus, quàm, vt vult Herodotus lib. 4. ab Ægyptiis videtur promanasse. Nam quemadmodum doctissimi quique theologi rationi profectò veritatíque consentanea docent, hęc quoque inter alias non minima ratio causáque extitit, quamobrem Deus decem illas tribus è natali suo solo expulsas in omnes orbis terrarum partes disseminari dissiparíque voluit, quò nimirum vera simul religio atque cultus Dei per easdem in vniuersum orbem terrarum propagatas, omnibus in locis

Reliquias suas Deus semper in Ponto habuit.

Reliquiæ illæ fuerunt decem tribuum.

Deus veros aliquos ſui numinis cultores nanciſceretur. Tandem verò in plenitudine temporum (vt Scriptura loquitur) idem Deus Opt.Max. per Chriſtum illuſtriſſimam clariſſimámque ſuam faciem, veram lucem mundi, Solem iuſtitiæ, verum φωσφόρον Pontico iſti populo non minus quàm cæteris, non modo corporeis, verùm etiam ſpiritualibus tenebris obruto atque circũfuſo apparuit, illiúſque tenebras omnes egregiè diſiecit ac diſsipauit. Herculem ſuprà dictum fuit Pontum vniuerſum à tyrannis, morum immanitate ferocitatéq; repurgaſſe, atque ita ex Axeno Euxinum. i. inhoſpitali hoſpitalem reddidiſſe: Cerberum illum immanem iuxta Heracleam Ponticam ex antro illo horrendo extractum domuiſſe atque voraſſe: ita Chriſtus verus Hercules cùm vniuerſum terrarum orbem, tum verò hanc quoque potiſsimùm regionem Ponticam ab omnibus ſuperſtitionibus cœno atque ſordibus repurgauit, Cerberíque illius tartarei, hoc eſt, diaboli immanitate horrenda (qua oppreſſa tenebatur) liberauit, quam quidem crucis ſuæ claua domuit atque vicit. Quẽadmodum præterea (vt Cic. pro lege Manilia dicit) L.Lucullus ille ſummus imperator primus populo Rom. antehac clauſum vi ferro atque armis aperuit: ſic Chriſtus verus quaſi Lucullus, hoc eſt, lux mundi, Pontum hunc, qui diaboli poteſtate, ſuperſtitionum immanitate occluſus tenebatur, non quidẽ ferro, armíſque corporeis, ſed potius ſpiritualibus, hoc eſt, prædicatione Euangelij, ſancti Spiritus vi atque virtute aperuit, atque ex Axeno ſibi Eccleſiæq; ſuæ εὔξεινον.i. hoſpitalem, gratiſsimam ſedem domiciliúmque effecit. Cuius ſanè rei in illo, illo inquam celeberrimo feſtiſsimóque die Pentecoſtes, qui non tam albo (vt dicitur) quàm aureo lapillo eſt notandus, præclara ſanè fundamenta fuerunt iacta: in quo clariſſimum illud Prophetarum vaticinium (ex Sion exibit Lex, ac doctrina de Hieruſalem) plenè perfectéq; impletum fuit. Inter cæteros enim teſte Sancto Luca, magnificentiſſimorum illorum Dei operum auritos oculatóſque teſtes Ponti quoque, Cappadociæ atque Aſiæ incolę recenſentur, quæ procul dubio nonnulli eorum in patriam ſuam reuerſi, popularibus ſuis ceu primi εὐαγγελισαὶ renunciarunt, fideliſſiméque communicarunt. Hæc prima mihi videntur Ponticarum iſtarum Eccleſiarum initia fuiſſe. Deinde vniuerſales illi Euangelij per vniuerſum orbem terrarum præcones à Deo conſtituti, Spiritus illius ſancti, cuius cœleſti igne in illo Pentecoſtes die correpti fuerunt, inſtinctu impulſúque in Aſiam quoque atque Pontum penetrarunt. Aliquantiſper quidem, vt ex 16. Act. Apoſt. patet, Paulus atque Timotheus prohibiti fuerunt in Myſia, Bithynia, Aſia denique Euangelium prædicare, id quod ſingulari quodam atque æterno Dei iudicio factum eſſe quis dubitet? Sed tandem, vt Euſeb. lib. 3. cap. 1. teſtis eſt, S.Thomas in Parthia, S.Andræas in Scythia, in Aſia S.Ioannes, in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia, vt & Romæ S.Petrus Euangelij præconium fecerunt, Eccleſiáſque conſtituerunt. Hi ergo omnes, & imprimis S.Petrus (cuius etiam ad Eccleſias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ, Myſiæ, Phrygiæ binæ extant ſcriptæ epiſtolæ) primi eccleſiarũ Ponticarum fundatores authoréſq; extiterunt. S.Andræã quidem & Euſeb. lib. 3. cap. 1. ex Origenis teſtimonio in Scythiam fuiſſe profectum, & Sophronius Scythis, Sugdianis, Salis (qui & phthirophagi dicti) vicinis, ſecundum Ptolemæum, populis Euangelium prædicaſſe, & Nicephorus libro 2. cap. 39. & lib. 3. cap. 1. per Cappadociam, Galatiam, Bithyniam in Scytharum ſolitudines ad vtrumque Pontum Euxinum acceſſiſſe, teſtantur. Hunc tamen & Nazianzenus in Orat. ad Arrianos in Epirum, & Hieronymus in epiſt. ad Marcellum (de blaſphemia in Spiritum ſanctũ) in Achaiam Epiro conterminam miſſum fuiſſe teſtantur. Philippum in Scythia viginti annis concionatum fuiſſe, Abdias, Vincentius, Bergomenſis, necnon Petrus de Natalibus, prodiderunt. Quemadmodum autem in cœteris orbis terrarum partibus Apoſtoli eccleſiis à ſe primo conſtitutis epiſcopos vitæ morúmque probitate, ſacrarum

crarum literarum ſcientia,doctrina atque eruditione præſtantes prefecerunt, qui partim bene docendo,partim piè honeſtéque viuendo, eaſdem ceu boni fabri exędificarent,quaſique diligentes Ædiles ſartas tectas tuerentur: idē in Ponto quoque factum fuiſſe,minimè eſt dubitandum. Primus autem & antiquiſſimus Ponti Epiſcopus fertur fuiſſe Phocas,cuius teſte Chalcondyla libro 9.iuxta Cordylam(quæ ſecundum Arrianum noſtrum centum quinque ſtad. à Trapezunte diſtat)templum fuit:vbi Ioannes Commagenus rex Colchidis vnà cum Imperatore Græco ad Trapezuntem Zychis ducis Turcarum obſidione liberandam profectus,caſtra primò poſuit. Hic iuſſu Traiani Imperatoris,quòd Neptuno ſacrificare nollet,primò in caminum ardentis calcis detruſus,ac poſtea in Thermas cōiectus necatúſque fuit. Henrichi Chronicôn primum hunc in Ponto fuiſſe Epiſcopum ſub Traiano teſtatur,& ſub eo in vinculis,ferro & igne martyrium feciſſe, quum Hadriano imperatore mandante, ad Neptuni aram ſacrificare noluiſſet. Adon Epiſcopus Viennenſis in ſuæ ætatis commentariis,hunc in Sinope ciuitate,vnde oriundus fuit,Epiſcopatū obijſſe teſtatur. Eccleſiaſticarum centuriarum authores huiuſmodi quandam de primo hoc Epiſcopo Pontico hiſtoriam in vetuſto quodā & manuſcripto volumine legiſſe teſtantur.Phocas vltimo tempore Traiani mortem paſſus, cui Imperatori ille ſpiritu quodā Prophetico huiuſmodi verba fecit: Traiane,perge ad vlteriora abyſſi,& ad præparata tibi tormenta feſtina,vbi morte perpetua,& ſæuo exurendus es incendio, & triduo in hac luce verſaberis. Quo emenſo,caligo mortis te excipiet, nec enim diutius poſthac inultus innocentū ſanguis eſſe poteſt.Hoc vaticinium idem Chronicon ipſo euentu fuiſſe comprobatum,ac triduo exacto,Traianū ventris profluuio expiraſſe teſtatur. De eiuſdem miraculis atque martyrio,vide plura apud Vincentium libro 11.Speculi.Multi præterea alij in Eccleſiaſtica hiſtoria doctrina pietatéque præſtantes viri celebrantur,qui in Ponticis iſtis Eccleſiis vel conſtituendis, vel excolendis egregiam operam nauarunt, quorum nonnullos recenſebo. Meletius Euſebio teſte libro 7.cap.32.& Nicephoro libro 6.cap.35.(quem ille Melitium vocat)aliquot annis ante Diocletianam illam perſequutionem,Ponti Epiſcopus fuit,quo tēpore Pamphylus preſbyter Cęſareæ clarus fuit,vir & eloquentia(vnde mel Atticum vocatus) & omni diſciplinarū genere, & vitæ morúmque ſanctitate eximius.Is perſequutionis vi,ex Ponto in Palæſtinam ſe recepit, vbi Euſebius toto ſeptennio illius ſe familiaritate ac conſuetudine vſum fuiſſe teſtatur.Palmam Ponti Epiſcopum,Synodo Ponticæ quartæ,in qua Paſchatis illa controuerſia agitata fuit,præfuiſſe teſtatur Euſebius libro 5.capite 25.Bacchylidis quoque & Elpiſti doctorum in Pōto Euſebius meminit libro 4. cap.23.quorū hortatu Dionyſius Cerinthius in epiſtola Eccleſiæ apud Amaſtrim nuncupata ſignificauit ſe eam epiſtolā ſcripſiſſe Epiſcopi Pontici Longini nomine:Athanaſius eius meminit prima orat.contra Arrianos, quē cum Meletio & Baſilio coniungit.Epiſcopus quoque Ponti dicitur Quintianus ab Athanaſio,qui eum fraude & furore Arrianorum in exilium pulſum eſſe ſcripſit in Apologia ſua de fuga. Theodoretus libro 2. Verùm inter hos omnes principem facilè locum obtinent hi qui ſequuntur: Baſilius Cæſarienſis Eccleſiæ Epiſcopus,Gregorij Niſſeni frater. Is Gregorio Nazianzeno comite atque ſocio in illo omnium quondam doctrinarum literarúmque domicilio Athenis,liberalibus artibus atque diſciplinis, necnon eloquentiæ (qua vel ad admirationem vſque excelluit)egregiam ſanè operam nauarat. Inde Gregorij Nazianzeni opera vſus,antè ſuum ſtudium Sacris literis addixit, in ſolitudinem quandam ſe recipiens, quò facilius atque etiam melius remotis impedimentis iis incumbere poſſet.Harum autem multiplici cognitione quum pectus ſuum repleuiſſet, regreſſus Ponti vrbes agróſque obiit, Eccleſiáſque partim nouas conſtituit,partim iam conſtitutas confirmauit. Idem monaſteria

Meletius Epiſcopus Ponti.

Pamphylus preſbyter Cæſareæ.

Palmas Epiſcopus Ponti.

Bacchylides & Elpiſtus Pontici doctores.

ſiue cœnobia, ceu doctrinarum atque virtutum ſcholas, Epiſcoporum atque paſtorum Eccleſiæ ſeminaria inſtituiſſe dicitur. teſtis Ruffinus libro 11. Sozomenus autem Euſtathium quendam Sebaſtiæ, Armeniæ Epiſcopum, Armenis Paphlagonibus Pontique accolis, monaſticæ vitæ authorem fuiſſe habitum dicit libro 3. cap. 13. Nicephorus libro 11. cap. 41. Euſtathium, Baſilium magnum, Leontium, qui poſtea Ancyranus Epiſcopus fuit, & Prapidium, qui multarum ciuitatum epiſcopatum geſſit, monaſticæ vitæ atque monaſteriorum in Bithynia, Helleſponto, Ponto, Galatia, Cappadocia authores ac conditores fuiſſe teſtatur. Huic adde Theodorum poſtea Gregorium appellatum, & Athenodorum Neocæſarienſem, quorum Socrates libro 4. cap. 27. & Euſeb. libro 6. cap. 30. mentionem facit. Vtrique hi Græcarum & Romanarum legum ſtudioſiſſimi fuerunt, ac legibus literiſque diſcendis Athenis & Beryli operã dederunt. Profecti quoque ſunt ad Origenem Cæſaream, qui relicta Alexandria, ſcholã ibi ſub Gordiani imperio, ac deinceps aliquandiu habuit. Eo authore ac impulſore, abiecto prophanarum diſciplinarum ſtudio, animum ſtudiúmque ad Sacras literas applicuerunt, in quibus (Origene vſi præceptore) intra quinque annorum ſpatium tantos fecerunt progreſſus, vt domum à parẽtibus reuocati, adoleſcentes adhuc, epiſcopatus in Ponto ſortiti fuerint. Theodorus quidẽ Cæſareæ, Athenodori verò ciuitas non exprimitur. Pietate eruditionéque vterque floruit ſub Galieno, vt teſtis eſt Nicephorus libro 6. cap. 7. & 22. Gregorius miraculis quoque excelluit, quamobrem Magnum eum Theodoretus, θαυματούργον Nicephorus appellatum ſcripſit: de quibus miraculis vide Euſebium. Eiuſdem quoque operum quorundam Hieronymus, Nicephorus & alij Eccleſiaſtici ſcriptores meminerunt. Baſilius Magnus epiſtola 23. eius mores laudatiſſimos deſcribit. Aquila Ponticus duodecimo anno Hadriani floruit, qui Aſtrologicis nugis addictus, quum ne Chriſtianus quidẽ, licet ſæpius monitus, eas miſſas nollet facere, ab Eccleſia proſcriptus fuit. Quam ignominiam ita ægrè moleſtéque tulit, vt abiecta Chriſtianiſmi profeſſione, factus ſit proſelytus, circuncidi ſe paſſus. Deinde animum ad Hebræas literas adiunxit, in quibus quum breui temporis ſpatio plurimum profeciſſet, primus poſt Septuaginta interpretes, qui Ptolemæi iuſſu quadringentis triginta antè annis idem Græcè reddiderant, ipſe quoque Græcè vertit, eo conſilio atque propoſito, vt quædam loca in Chriſtianorum odium corrumperet. Teſtes ſunt Epiphanius in lib. De menſura & pondere, Euſebius & alij. Chryſoſtomum quoque vniuerſalem illum Eccleſiarum reformatorem, & Thraciam in ſex præturas diuiſam, & Aſiam cunctam, quæ ab vndecim pręſidibus regebatur, atque etiam prouinciam Ponticam, totidem præfectis gubernatam, denique Scythiã ad officium reducere conatum fuiſſe teſtis eſt Nicephorus libro 14. capite 3. Hi fuerunt Ponticarum harum Eccleſiarum doctores, paſtores, atque Epiſcopi, quorum opera ac miniſterio Deus poſt Apoſtolos in Ponticis illis Eccleſiis vel conſtituendis, vel promouendis, regendis atque gubernandis vſus eſt. Quum autem duplici ferè modo, doctrina nimirum atque martyrio, Deus in Eccleſiis vel plantandis, vel iis quæ iam plantatæ ſunt confirmandis atque amplificandis vtatur, ſempérque vſus fuerit, vtriuſque modi exẽpla clara atque illuſtria nobis Põticæ hæ Eccleſiæ ſuppeditant. De priore nonnihil iam dictũ eſt, nũc de altero quoque quædam dicamus. Quemadmodum igitur ſuprà dictũ fuit, (hiſtoria teſte) Barbaros quoſdam Ponti accolas, eò immanitatis fuiſſe progreſſos, vt contra omnia diuina atque humana iura, peregrinos atque aduenas ſuis diis, ſeu potius dæmonibus mactare ſint ſoliti: ſic poſtea veræ doctrinæ, ac Spiritus ſancti vt luce illuſtrati, & robore confirmati, præter affectuum mutationem, hoc eſt, compreſſionem, vota caſtiſſima atque preces, eleemoſynas (quæ λογικὴν θυσίαν Paulus appellat) corpora quoque ſua exquiſitiſſimis tormentis excrucianda, Chriſto offerre, eíque ſuum quaſi ſanguinem libare minimè dubitarunt,

bitarunt,in quorum albo Phocam quoque illum primum Ponti Episcopũ fuisse paulò antè dictum est. Hic multos postea in Ponto suæ virtutis atque magnanimitatis in sanguine proChristo profundẽdo egregios imitatores habuit, sicuti Sacra testatur historia,quos nulla quantumuis sæua atróxque tormentorum vis à veritatis religionísque professione deterrere potuit.Eusebius libro 12.cap.9.de persequutione Diocletiani atque Maximiniani Herculei(quæ vniuersum ferè terrarum orbem peruaserat)verba faciẽs, in Ponto Christianos nouis quibusdam inusitatis atque horrendis suppliciis excarnificatos fuisse testatur. Aliorum.n.vtraque manu digiti calamis sub extremis vnguibus fuerũt perforati,alij plũbo liquefacto igne atq; bulliẽte perfusi,& mẽbris corporis potissimis mutilati:alij in pudẽdis mẽbris atq; viscerib⁹ turpes, intolerabiles atq; immanes cruciatus perpessi fuerunt.Huiusmodi intolerabiliũ suppliciorũ quibus Christiani in Ponto fuerũt affecti. Niceph.quoq; Callistus meminit lib.7. c.11.Idẽ quoq;author lib.4.c.17.Pontici cuiusdã pueri x v.ferè annorũ, necnon matris illius Blandillæ nomine,quia per deorum simulachra iurare noluerũt: immanissima tormenta,inuictámque animi fortitudinem pluribus commemorat.Hoc duplici modo incredibile est dictu quantis viribus numeróque Ponticæ hæ Ecclesiæ à temporibus Apostolorum ad Traiani vsque Hadrianíque ætatẽ auctæ fuerint,ac quantos in vera religione progressus fecerint. Ac sub duobus istis Imperatoribus , quorum vterque crudelis ab initio contra Christianos,postea lenior ac mitior factus est,PonticasEcclesias imprimis floruisse, magnáque incrementa accepisse,ex historia Ecclesiastica facillimè colligi potest. Hinc Plinius Bithyniæ Pontíque Proconsul in sua quadam ad Traianũ epistola de Christianis, Visa est,inquit, mihi res digna consultatione, maximè propter periclitantium numerum.Multi enim omnis ætatis,omnis ordinis, vtriusque sexus etiam vocantur in periculum,& vocabuntur. Neque enim ciuitates tantùm,sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est,quæ videtur sisti & corrigi posse. Idem paulò pòst templa desolata, sacra solennia diu intermissa,nullásque victimas allatas fuisse testatur. Idem apud Lucianũ,De Alexandro Pseudomante sceleratissimo flagitiosissimóque apparet.Is enim postquam intellexit Paphlagonas atque Ponticos quasi ex ebrietate quadam(vt Lucianus loquitur)resipiscentes,ad séque redientes, illius dolos atque fraudes sentire atque animaduertere , quæ proculdubio à Christianis potissimum aperiebantur,ira atque furore inflammatus,Pontũ grauissimè conquestus est Christianis impleri,ad quos simul cum Epicureis,lapidibus obruendum populum incitauit. Idem quoque sacra illa sua sacrilega facturus, Christianos pariter atque Epicureos (quoniam vtrique vaticinationes illius execrabantur) solenni quadã formula (Foras pellantur Christiani, foras pellantur Epicurei)ab illis summouebat. Hinc facilè est colligere plurimos tunc temporis in Ponto Christianos fuisse,qui imprimis(vt est in prouerbio)cornicis oculos confixerant:hoc est,impurissimi illius planè fraudes patefecerant. Atq; hæc quidẽ sint dicta de Ponticarũ Ecclesiarũ initio, progressu,incremento,doctoribus atque martyrio,nunc de earundem regimine,ἀταξία disciplináque quædam dicantur.Sed necessariò hîc de Oriẽtalium Ecclesiarum (sub quibus Põtica cõtinetur) cõstitutione atq; regimine antiquo,quod per annos ferè quingentos quadraginta durauit verba simul sunt facienda. Vniuersalis igitur Orientalis præfectura (quòd suprà dictum, hîc operæpretium fuit repetere)in quinque fuit diœceses diuisa,quæ fuerunt Oriens,Ægyptus,Asiana, Pontica, Thracia. Singulæ autem hæ diœceses sub se certas quasdam habuerunt prouincias,de quibus suprà dictũ. Singulæ porrò prouinciæ certas quasdam,aliæ quædam plures,aliæ minores sub se ciuitates habuerunt, inter quas tamen quædam erant primariæ ac Principes,quæ metropoles appellabantur. Has ipsi principes pro arbitrio ac voluntate sua constituebant,in quibus pro-

uinciarum rectores conuentum ac forum agebant, quo ex vicinis ac finitimis ciuitatibus vadimonium promittebatur. Huic verò politicæ constitutioni atque εὐταξίᾳ, Ecclesiastica ferè attemperata accommodatáque fuit. Nam in singulis quidem prouinciis singulæ ciuitates singulos quoque habuerunt episcopos, inter quos tamen principē non tam potestatis, quàm dignitatis atque honoris locum obtinuerunt metropoleωn episcopi, qui idcirco Metropolitæ, seu Metropolitani, itē Patriarchæ, πρῶτοι, πρωτεύοντες, προεστῶτες à Græcis fuerūt appellati, eorúmq; sedes ματρίκιοι & πρῶται καθέδραι, id est, matrices & primæ sedes, nonnunquam etiam μείζονες πόλεις, id est, maiores sedes fuerunt nuncupatæ. Erant autē metropolitani illi Episcopi, quasi magistri collegij, qui quoties res postularet, reliquos Episcopos quasi Senatum cogendi, & ad eos de Ecclesiarum negotiis referendi potestatem habebant, ita vt neque illi sine horū, neque hi sine illorum consensu atque authoritate grauius quicquam gererēt. Hic autem Senatus, siue cœtus, congregatio Episcoporū, concilium prouinciale appellabatur, in quo de prouinciæ suæ Ecclesiasticis negotiis cognoscebant. Episcopi in his Metropolitam ipsum creabant, lites ac controuersias, si quæ ortæ essent, disceptabant. Multis autem conciliorum canonibus egregiè sancitum fuit, ne vel prouinciarū Metropolitani, atque Archiepiscopi, vel singularum ciuitatum vnius eiusdémque prouinciæ Episcopi inferiores, in alienas prouincias ciuitatésve illorum curæ non commissas, ceu in alienam messem (vt est in prouerbio) falcem immittere, aut quicquam iuris potestatísve sibi auderent arrogare. Hæc quæ dixi, nunc subiectis testimoniis comprobabo.

Idem 19. Canon Concilij Sardicensis.

Primò itaque occurrit Concilij Antiocheni canon 9. qui sic habet, Episcopi qui sunt in singulis prouinciis sciant Episcopum qui in metropoli præsidet, curam etiam totius prouinciæ gerere, propterea quòd in Metropolim vndique concurrunt, qui habent negotia. Quare placet vt ipse honore reliquis antecellat, cæteríque Episcopi nihil grauius, & quod maioris sit momēti, sine ipso gerant (secundum decretum Patrum nostrorum) & ea sola quæ ad cuiusque parœciam ac præfecturam, ipsíque subiectam regionem pertinent. Vnusquisque enim Episcopus potestatem & gubernationem habeto suæ parœciæ, eámque pro suo quisque studio & diligentia administrato, curámque gerito totius regionis quæ suæ vrbi subiecta est, vt & presbyteros creet, & diaconos, & cū iudicio omnia disponat. Nihil autem audeat amplius gerere sine Metropoli Episcopo, at neque hic ipse sine reliquorū sententia. Huic consentit Constantinopolit. Cōcilij Canon 2. cuius hæc sunt verba, Episcopi quibus sua diœcesis attributa est, ne in Ecclesias quæ extra fines suos sunt, se inferant, néve Ecclesias confundant: sed secundum Canones. Alexandriæ quidē Episcopus, ea tantùm quę in Ægypto sunt gubernet. Orientis verò Episcopi, solum Orientē administrent, conseruetúrque sua Antiochenæ Ecclesiæ dignitas, amplitudo, authoritas, quæ in Nicæna Synodo declarata fuit: & Episcopi Asianæ diœcesis, siue præfecturæ, ea tantùm quæ in Asia sunt gubernent: qui in Ponto sunt, quæ in Ponto tantúm. Thracij autem, ea tantùm quæ sunt in Thracia. Episcopi autem nisi aduocati, ne in aliorum diœcesim, seu præfecturam se inferant, siue ad suffragia, siue ad alias vllas administrationes Ecclesiasticas. Quòd si prædictus Canon super præfecturis & diœcesibus conseruetur, perspicuum est, quòd cuiusque prouinciæ negotia vnaquæque prouincialis Synodus gubernabit, quemadmodum Niceno Concilio constitutum est. De hoc ipso Concilio Socrates Ecclesiasticus scriptor libro 5. verba faciens, adhuc manifestius & planius Orientalium Ecclesiarum οἰκονομίαν his verbis describit. Rursus, inquit, fidem à Nicæno Concilio traditam confirmauit, & patriarchas descriptis prouinciis constituerunt, & Episcopi certæ diœcesi præpositi, in alienas Ecclesias ne inuaderent, id quod antea propter persequutiones fieri consueuerat. Sortitur ergo Nectarius Megalopolim (Constantinopolim intellige) & Thraciam.

ciam. Ponticæ autem diœceseos, quæ est à Bithynia vsque ad Armenios Helladius, is qui Basilio Cæsariæ Cappadocum Episcopo successit, Gregorius Basilii frater Nyssæ (quæ vrbs quoque est Cappadociæ) Episcopus, & Otreius Melitenæ, quæ in Armenia est, Episcopus Patriarchiã sortiti sunt, Asianã verò sortiuntur Amphilochius, Iconij, & Optimus Antiochiæ Pisidię Episcopi. Ægyptiaca Timotheo Alexãdrino Episcopo attributa est. Ecclesiarũ porro, quæ in Oriẽte sunt, administrationẽ iisdem Episcopis cõmiserunt, Pelagio Laodicensi, & Diodoro Tarsensi Episcopo. Idẽ Niceph. Callist. lib. 12. c. 13. qui addit: Vrbibus autem circa Thraciam & Scythiam sitis Terentium Tomitanum & Martyrium Marcionopolitanum præfecere. Idem Sozom. lib. 7. cap. 9. Hæc fuit simplex Ponticæ cæterarúmque Ecclesiarum Orientalium εὐταξία atque œconomia, quæ quum annis ferè 540. durasset tandem Episcoporum qui subsequuti fuerunt ambitione perturbata ac omnino sublata fuit. Nam quod Constantinopolitani primi capite secundo constitutum erat, vt Asiæ, Ponti, & Thraciæ Scytharum, Metropolitæ, suæ quisque prouinciæ procurationem gererent, proximo vniuersali cõcilio, id est, Chalcedonensi funditus abrogatum est, & nouo more, nullo exemplo constitutum, vt harum omnium prouinciarum metropolitas solus Constantinopolitanus Episcopus constitueret. Hîc nõ possum silentio præterire id quod Nicephorus Gregoras lib. 7. tradit. Heracleatos nimirum Thracios Seueri Imperatoris priuilegio Constantinopolitani Patriarchæ eligendi potestatem habuisse, quam Constantinus Magnus abrogare noluit. Postea aliæ atque aliæ vt inter Principes ac Imperatores de imperio, ita inter Episcopos de ecclesiasticæ dignitatis atque honoris principatu graues pestiferæque controuersiæ exortæ fuerunt, cuiusmodi illa præsertim fuit, quæ inter Rom. atque Constantinopolitanum Episcopum exarsit, quibus tãdem Turcicæ illi bestiæ ad omnes has regiones atque Ecclesias pessundandum quasi fenestra atque ianua patefacta fuit: de quibus controuersiis atque factionibus ecclesiasticis propter Patriarchatus, eas diaboli opus appellans, grauissimè Nicephorus Gregoras lib. 6. suæ historiæ conqueritur. Verùm de statu primitiuę Ecclesiæ si plura vis cognoscere, lege D. Frãcisci Vilerii, hoc est, Francisci Hotomanni Iurisconsulti clarissimi libellum, quo equidem Argentinæ olim optimo fidelissimóque hospite, ac præceptore sum vsus. Religionis præterea in Ponto atque Bithynia quæ ratio atque forma fuerit, earum quondam prouinciarum proconsul Plinius his verbis in illa sua ad Traianum epistola declarat. Affirmabant autem, inquit, hanc fuisse summam vel culpæ suæ, vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem cõuenire, carménque Christo quasi Deo dicere, secum inuicem séque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerẽt, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent, quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursúsque coëundi ad capiendum cibum, promiscuum tamen, & innoxium, quod ipsum facere desiisse post edictum meum, quo secundum mãdata tua hetærias esse vetueram. Quò magis necessarium credidi, ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inueni, quàm superstitionem prauam & immodicam, ideóque dilata cognitione, ad consulendum te decurri. De huiusmodi religionis in primitiua Ecclesia ratione vide plura apud Tertull. de corona militis. Iustinum in apologia pro Christianis secunda. Nunc vltimo loco postquam generatim de Ecclesiarum Ponticarum quasi incunabulis atque fundamentis, earundem augmento atque progressu, doctoribus atque martyrio, disciplinæ religionísq; forma breuiter atque summatim explicatum est, nunc vltimo loco catalogum quendam illustrium in Ponto Ecclesiarum subiungam. Ab illis extremis angustiis per quas Ponticum mare in Ægeum delabitur, hoc est, Hellesponto, vbi veram religionem floruisse, Ecclesiastica historia testatur. Episcopos Hel-

Cœtus antelucani.
Cantus.
Sacramentum.
Agapæ.

lespontiacos Synodo Sardicensi interfuisse author est Sozom.lib.2.cap.2.idem Hellesponti Episcopos recenset lib.6. cap.7. Meminit & Parthenii Episcopi Hellespontiaci,Niceph.lib.8.cap.42. Basilium Amasiæ Hellesponti, vel Armeniæ maioris Episcopum, Neocæsariensi Synodo interfuisse, Gratianus auctor libri conciliorum, distinct.16. refert. Hellesponti autem caput fuit antiquissima illa clarissimáque ciuitas Cyzicus. Gedeonis atque Orphei ætate triginta quatuor annis post Ilium à Cyzico condita,teste Cedreno. Hæc ab Argonautis Iasonis Thessali sociis, Cyzico Hellesponti rege,qui nauali prælio ipsos prohibere conatus fuerat,interfecto capta fuit. Quem postquam genere sibi fuisse coniunctum Argonautæ cognouerunt numinis placandi gratia fanum in vrbe magnificentissimum Rheæ matríque deorum extruxerunt, quod postea Zenone imperante templum Sanctæ Dei genitricis denominatum fuit. author Georg.Cedrenus.Idem author Argonautas scribit oraculo Phœbi Apollinis(quod est ante Pythias thermas) consulto cuinam ædem illam dedicare deberent,huiusmodi responsum Græcum retulisse, quod Latinè sic se habet Guilielmo Xylandro interprete:

Assidua sublime decus virtute parate
Atque vnum sic mando Deum,qui cuncta gubernat,
Cælesti residens solio,colite atque timete
Illius æternum natum anteq; sæcula Verbum.
Nescia virgo viri quondam partu tenera ædet
Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis
Edomitum reddet Patri pro munere mundum
Huius,quam Mariæ nomen manet,alma genitrix
Agnoscet templum proprium tibi ritè dicatum.

Hoc oraculum æreis literis in marmore impressis conscriptum, in superiore portæ templi limine posuerunt. Templi huius in orbe terrarum admirabilissimi descriptionem vide apud Plinium lib.36.cap.15. Huius vrbis incolæ Rhea illa deorum seu potiùs dæmonum matre repudiata,cui templum illud præstantissimum Argonautæ consecrarant,non tam flexiloqui illius Pythij Apollinis, hoc est,diaboli vera falsis,quò facilius homines decipiat,permiscentis, quam ipsius Dei certissimis veracissimísque, quæ per Prophetas, per Christum filiū suum, denique Apostolos ædiderat, oraculis adducti atque impulsi, illum solum colendum venerandúmque susceperunt. Ecclesiæ Cyzicenæ Eusebius præfuit, Iustiniano imperante, qui cùm omnibus quibus cum conuersabatur nimis grauis esset, primò apud Iustinianum Imperatorem accusatus, deinde conspiratione facta in foro à iuuenibus occisus fuit, testis est Procop.lib.1. de bello Persico. Ecclesiam hanc à Sarracenis per septem annos grauissimè afflictam fuisse, testis est Paulus Diaconus lib.19. Idem scribit Cyzici Episcopum quendam Constantinopolitano concilio sexto interfuisse. Ex Cyzico reuocatus Germanus Constantinopolitanus Episcopus, qui ab Heracliensi metropolitano creatus fuit: author est Zonaras. Tom.3. & Sigebertus in Chronico. Nicolai Episcopi Cyziceni mentio fit in actione 7. Synodi Nicenæ. Eleusius qui loco splendido in imperiali aula stipendia fecerat à Macedonio hæresiarcha huic Ecclesiæ præfectus, eam miserè admodum afflixit testis est Niceph. Callist.lib.cap.42. Bithyni qui quidem primi à dextro Ponti Euxini litore occurrunt Martis cùm diu cultores extitissent, tandem verum illum belli pacísque Dominum, Deum exercituum vera fide amplexi sunt atque coluerunt, quemadmodum iam antea ex Plinij secundi Bithyniæ Pontíque proconsul.ad Traianum epistola ostensum fuit. Præclaræ quædam atque illustres apud illos Ecclesiæ fuerunt, cuiusmodi fuit illa Chalcedonensis,in qua celeberrima illa synodus anno secūdo Marciani,in æde Euphemiæ,quę duobus maximè stadiis à Bosporo abest,630.patrum præsentia contra Eutychen, Dioscorum atq; Nestorem celebrata fuit. Nicephorus Callistus lib.15. cap.3.Item Cedrenus. Synodum

nodum quoque ibidem ſub Arcadio atque Honorio habitam fuiſſe, teſtis eſt Socrat.lib.6.cap.16. Eximius illius Eccleſiæ antiſtes atque Epiſcopus fuit Maretes,qui Iuliano apoſtatæ cæcitatem ei exprobranti liberrimè reſpondit gratias ſe agere Deo,quòd tam impium principem non cogeretur intueri. Epiſcopi quoque eiuſdē Eccleſiæ præſtantiſſimi,cui Probo nomen,meminit Niceph. lib.18.cap.37. Non minus præclara atque eximia fuit Nicomedienſis Eccleſia, quam ſub Traiano floruiſſe, ex ſcriptis Dionyſij Corinthij liquidò apparet. Huic ſumma cum laude præfuerunt & Euſebius Epiſcopus vir doctiſſimus, Iuliani illius Byzantini apoſtatæ præceptor,tamen Arriani dogmatis ſuſpicione nonnihil infamis,& ille Euſebio cùm doctrina tum pietate optimo iure anteponendus Anthimus nomine, qui ſub Diocletiano pro Chriſto fortiſſimè mortem oppetiit.Quàm grauiter autem hæc Eccleſia Diocletiani tyrannide vexata afflictáque fuerit,teſtis eſt Euſeb.lib.8. cap.6. necnon Ruffinus libro 1. c.5.Lactātius ſub Conſtantino in hac vrbe Rhetoricam fuit profeſſus. Epiſcopi præterea antiquiſſimi nobiliſſimíque huius Eccleſiæ fuerunt & Andreas ſub Mauritio,cuius Gregorius,lib.5.epiſt.107. meminit, & Petrus qui ſeptimæ actioni Nicenæ ſynodi interfuit & Ioannes, qui tempore Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani vixit, imaginúmque venerationem quum damnaſſet, in ſeptima actione ſecundæ Nicenæ anathematizatus ab Icōdatris fuit, & Georgius Archiepiſcopus qui imaginum, atque Mariæ deiparæ adorationem propugnauit,Author eſt Metaphraſtes,tom.5.de vita Patrum. Huic Eccleſiæ Macedonius hæreſiarcha atque Eccleſiæ tyrannus immaniſſimus Marathonium præfecit,vt idem affligeret,qui tamen cùm eius Eccleſiæ diaconus antea fuiſſet,egregium ſe virum inopum domiciliis,virorúmq; & mulierum ſcholis extruendis atq; curandis prę̄ſtitit:ac in illo Macedoniano furore ſe admodū moderatè geſſit:teſtis Niceph.Calliſtus,lib.9.cap.42. His par & æqualis dignitate fuit Nicæa illa Eccleſia, cui Nicæna illa prima Synodus anno à Chriſto nato 324.imperante Conſtantino celebrata,magnam claritatem atque ſplendorem attulit. Ibidem etiam Synodus ſeptima celebrata fuit: teſte Zonara tom.3.& Diacono lib.23. Illius Epiſcopus fuit Beſſarion ille monachus Trapezuntinus, qui ob eruditionem ſummámque eloquentiam ab Eugenio IIII.tempore Synodi Chalcedonenſis Cardinalis factus eſt.Pruſia quoque illa Turcorum olim ſedes imperatória,hodie Burſa dicta, valdéque celebris Eccleſiæ Chriſti quondam alumna fideliſſima extitit, quēadmodum ex Sacra hiſtoria apparet. Illius Epiſcopus Theodorus nomine ſeptimæ actioni Synodi Nicænæ interfuiſſe fertur. Apameæ Bithynię Epiſcopus Euſtathius nomine,& Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopus nomine Conſtantinus in catalogo ſeptimæ actionis Nicænę Synodi commemorantur, vnde duas illis in locis Eccleſias fuiſſe ſatis conſtat.Quid dicam de Heraclea illa Pontica (de qua infrà pluribus) quæ quum diu Herculis Cerberi domitoris,necnon Iouis Stratij (cuius duas ibi quercus ab Hercule latas fuiſſe, Plin.lib.16. cap.44. teſtatur) aliorúmque idolorum cultrix ſuperſtitioſiſſima ob hoc ipſum Acheronte fluuio tartareo, ſpecu quadam ad infernum peruia,Cerbero illo infernali infamis fuiſſet, tandem abiecto idolorū cultu,verum illum Cerberi tartarei,hoc eſt,diaboli, mortis atque inferni domitorem Chriſtum amplexa,egregia illa Eccleſia extitit. Heracleæ Ponti Epiſcopus Ioannes intereſt ſeptimæ actioni Nicenæ, Nicolao teſte. Hic videtur eſſe ille Ioannes Nicephori Gregoræ hiſtorici auunculus,cuius vitæ morúmq; probitatem hiſtoriæ ſuæ lib.9.ſic deſcribit.Illum,inquit,neque ſenium, neque pedum plaga adducere potuit, vt de iuuenili, vehemētique pietatis exercitatione quicquam remitteret.Illum primum populus Heracleoticus patrem bonum,& Deo plenum vidit,non agreſtem virum, & temerarium doctorem,& linguam è ſuggeſtu inſanam & importunam exertantem, quæ auditorum aures ſauciaret,& magnum ineptúmque tumultum excitaret,nec vnquam ad v-

tilia declinaret. Quin imò ab ineũte ætate,& lingua & auribus,& animo probè institutus,omni doctrina tum sacra tum prophana fuit,ita vt vita & eloquẽtia satis ad auditores suos regendos instructus esset, & ad eas regulas præscribendum,quæ morum elegantiam forment,& manus cohibeant, & animorum impetus moderentur,omnémque immodestum motum coërceant.Hic talis ac tantus vir in illa sua metropoli Ponti Heraclea senio prouectus vitã cum morte, seu potius mortem cum vita commutauit tristissimis illis temporibus quibus Andronicus iunior Byzantio proditione capto patrem suum per summũ nefas Andronicum seniorem imperio, ac tantum non ipsa quoque vita priuauit.Idem testis est Niceph.Gregoras lib.9. Bithynis proximi sunt à dextro Euxini latere Paphlagones,quos Lucianus in Pseudomante, ita δεισιδαίμονας καὶ ἠλιθίους superstitiosos ac stolidos fuisse asseruit,vt si quis tantum apparuisset tibicinem,aut tympanistam,aut cymbala tantùm pulsantem adducens , illum non secus atque cœlo delapsum intuerentur. Quam ob causam Alexander ille Pseudomãtes,cuius historiam pluribus Lucianus describit, vrbem illam Paphlagonum Aboni mœnia sedem suis imposturis aptam delegit, in qua incredibile est dictu quantos Paphlagonibus,ac vniuersis Ponticis fucos fecerit,antequàm illius fraudes detectæ fuerunt . Verùm hi quoque Paphlagones tandem singulari Dei gratia atque misericordia ex hominibus superstitiosissimis egregii Dei Opt.Max. cultores euaserunt, Ecclesiæque Christi passim in sua regione fidelissimum hospitium præbuerunt. Paphlagonas Nicephorus Callistus lib.11.cap.13.testatur,vt & Phrygas,minus quàm cæteri Orientales ad libidines atque concupiscentiam esse propensos : ita vt suis temporibus neque ludi Circenses,neque alia huiusmodi spectacula ludicra apud illos exhiberentur,scortationes magni piaculi loco ducerent,atque abominarẽtur. Quam ob causam idem author tantò procliuiores illos ad seueram illam rigidámq; Nouatiani sectam atque hæresim recipiendam fuisse existimat. Sed hoc mihi potius pristinæ illorum ἠλιθίᾳ quam Lucianus eis tribuit,hoc est, stoliditati futilíque leuitati videtur acceptum ferendum,qua (vt de Galatis testatur Paulus) quouis doctrinæ vento se huc atque illuc agitari sunt passi. Nicephorus libro 9. cap. 42. Paphlagonas Nouatianos in Macedonii Archesiarchæ immanissimi copiis,quæ fuerunt circiter quatuor millia,fundendis atque internecione penè delendis strenuam nauasse operam testatur. Amastris vrbs fuit Paphlagoniæ celeberrima,de qua infrà pluribus,cuius incolas improbos sceleratósq; extitisse vel illud argumento est,quòd locus quidam Byzãtii, vt testatur Georgius Cedrenus, vbi malefici atque homicidæ supplicio affecti fuerunt, Amastriana videntur dicta, ob Paphlagonum βδελυρίαν, hoc est, execrandam vitã atque mores. In hac tamen vrbe Traiani temporibus Ecclesiam florentissimam fuisse,testis est Euseb.lib.4.cap.23.Hanc ob causam verisimile est Pseudomantem illum,teste Luciano,hanc imprimis vrbem odisse, neque cuiquam Amastrino oraculum reddidisse,propterea quòd illius incolæ,forsan magna ex parte Christiani,fraudes atque dolos eius animaduerterent ac patefacerent . Euseb.lib.4.cap.23.Galinæ cuiusdam Amastrianorum Episcopi honorificam mentionem facit,qui tamen in priore,quæ beati Rhenani opera in lucem exiit, interpretatione Palmeas,à Niceph.lib.4.cap.8.Palmas appellatur. Amastridis Episcopus Synodo Seleuciensi interfuit, teste Socrat,lib.2.c.39. Georg. Cedrenus Cyri cuiusdam in Amastridis insula monachi meminit, quem Iustinianus propterea quòd ei recuperationem prædixerat Constantinopolitanum Patriarcham creauit. Syropagi in Paphlagonia Ecclesiæ Phocam Episcopũ præfuisse Dionys.in scripto ad Stephanum Rom Episcopum testatur . Pompeiopolis ipsa quoque clara Paphlagoniæ vrbs atque Ecclesia Philadelphum habuit Episcopum,qui in Synodum Nicænam venit . Post eum Sophronius interfuit Synodo Seleuciensi Isauriæ, teste Socrate lib.2.cap.39. quem idem author

thor magnum patronum Nicænæ fidei appellat. Gangra Paphlagoniæ metropolis clara est Synodo illa Gangrēsi, sub Constantio celebrata. Sozom. libro 3. cap. 14. Ex Innopoli quoque, teste Socrat. lib. 2. cap. 39. Episcopus venit ad Nicenū conciliū. Cimolis quoque (quæ vrbs ab aliis Galatiæ, ab aliis Paphlagonię tribuitur, de qua infrà) Ecclesiam fuisse vel illud est argumento, quòd eius Episcopi mentio fit, partim in Synodo Romana, partim Constantinopolitana. Pessimuntis Episcopus Gregorius celebratur in actione prima Concilij Nicæni, & Germanopolis Episcopus est Theodorus in septima actione eiusdem Synodi. Synope quoque ab Arriano nostro, & aliis Paphlagoniæ annumeratur, vrbs vel Eupatoris natiuitate, educatione, sepultura clarissima. Eius incolę quū Antolytum, quem vrbis conditorem existimabant, vnum ex Argonautis potissimum coluisset, tandem ad Deum debito cultu atque honore prosequendum animum suū traduxerunt, quibus magnū splendorem Phocas ille primus Ponti Episcopus (de quo suprà) attulit. Vrbis huius Episcopi fit mentio partim in Synodo Romana, partim in Constantinopolitana. Episcopi Sinopensis Gregorij nomine, in exercitu Armeniacorum interfecti, meminit Diaconus libro 23. rerum Romanarum. De hac vrbe infrà pluribus. Paphlagonibus proximi Cappadoces homines (vt suprà dictum est) seruiles, ita vt seruituti nati esse viderentur. Qui quàm præterea & superstitiosi fuerint, magorum (quam apud illos fuisse Strabo testatur) multitudo, & vita moribúsque improbi, vel tritum illud τρία κάππα κάκιστα, id est, tria Cappa pessima, satis supérque arguit: per quæ tria Cappa, Cretenses, Cilices, atque Cappadoces denotari Coelius libro 18. cap. 30. interpretatur. Sed tamen hi quoque tandem abiectis superstitionibus Christi iugo ac seruituti (quæ potius libertas appellanda) sese addixerunt, id quod non paucæ apud illos præstantissimæ Ecclesiæ testantur. Sed simul animaduertat lector me in Ecclesiarum istarum enumeratione, sub Cappadocia hîc Pontum quoque Polemoniacum, atque Helenopontum complecti, cuius vtriusq; quidem Ponti vrbes plerasque Cappadociæ à Geographis assignari video. Ecclesiæ Cappadociæ illustres fuerunt Nazianzena ciue & episcopo Gregorio illo Nazianzeno, Hieronymi præceptore illustris: necnon Nissena, vnde Gregorius Nissenus appellatus, S. Basilij frater, S. Hieronymi familiarissimus. Item Sebastiena, cuius Episcopus Eustath. qui cū Ancyrano, Basilio, Macedonianæ hæresis sectator, negauit Spiritus sancti cū Patre & Filio communionē. Trapezuntina quoque Ecclesia valde celebris fuit, cuius Episcopus quintæ Romanę, & Constantinopolitanæ Synodo interfuisse scribitur Tomo 2. Conciliorum. Trapezuntinæ Ecclesiæ meminit quoque Nicephorus libro 17. cap. 9. Eiusdē Ecclesiæ episcopus quoque fuit Anthimus priusquā Constantinopolim transferretur, Nicephoro teste libro 17. cap. 7. Postea cōiugis Iustiniani deprecatione successit Epiphanio Constantinopolitano: quem episcopatum nulla cum laude administrauit, vt idem author affirmat. Domni episcopi Trapezuntini meminit historia concilij Niceni. Incomanorum quoque ciuitate, quæ (vt testis est Strabo) Bellonæ deæ cultu, templo sacerdotióque opulentissimo celeberrima fuit, Ecclesiam fuisse Traiano imperante, testis est Euseb. libro 3. cap. 16. Cerasuntinæ Ecclesiæ episcopus Ephesinum illud concilium primum sua præsentia decorauit atque adiuuit. Verùm inter omnes Cappadociæ Ecclesias quatuor potissimum ceu stellæ quædam, siue margaritæ illustres emicant. Prima est Cæsariensis (quæ vrbs primò Mazaca dicta, postea vel à Claudio Tiberio Imperatore, vt vult Eusebius, vel, vt Hieronymus, ab Octauio Augusto Cæsareæ nomen sortita est) clara fuit inprimis Basilio illo magno episcopo, Gregorij Nisseni fratre (cuius suprà mentio facta est) viro doctrina pariter atque pietate ornatissimo. Huic Iulianus apostata odio religionis Christianæ (cuius amore atque studio vrbs illa flagrabat) obliterato Cæsareæ nomine augustiore atque honorificentiore, rursus vetus illud Mazacæ nomen illius incolis in-

Cappadociæ Ecclesiæ.

ducere conatus fuit. Huius Ecclesiæ præclarum encomium pater Gregorij Nazianzeni suæ illi ad Cæsarienses epistolæ inserit, quod quidem est huiusmodi, Cuiuslibet quidem, inquit ille, Ecclesiæ tanquam corporis Christi habenda est ratio, maxima verò nostræ (Cæsariensis) quæ propè mater omnium Ecclesiarum (scilicet in hac prouincia) & fuit ab initio & nunc quoque est, vt nominatur: quam Christiana respubl. velut centrum suum circulus, vndique obseruat, non solùm propter orthodoxam doctrinam vbique ab initio prædicatam, sed & propter conspicuam concordiæ gratiam, quam diuinitus accepit. Extat apud Basilium epist. 30. Ecclesia hæc, si qua alia, doctrina pietatéque admirandos Episcopos habuit, cuiusmodi fuit Basilius ille Magnus, ob doctrinæ pietatísque præstantiam cognominatus, de quo suprà. Firmilianus, qui sub Alexandro floruit, quo tempore Heraclæ Alexandrini doctoris magna laus fuit. Leontius, qui Neocæsariēsi Synodo vnà cum aliis sexdecim Episcopis interfuit, teste Gratiano distinct. 16. Secunda est Neocæsariēsis (quæ Ponti Polemoniaci metropolis fuit) cui sub Constantino Longinum præfuisse episcopum, historia concilij Niceni testatur. Synodū Neocæsariensem post Ancyranam 17. Episcoporum præsentia fuisse celebratam, testis est Gratianus distinct. 16. Gregorius Neocæsariensis episcopus in Synodo à Cōstantino Copronymo Constantinopoli in Blachernis celebrata, inter præcipuos fuit, ac illius decreta cōscripsit, in quibus imaginum venerationem atque adorationem damnauit, vt ex 7. Act. Nicenæ secundæ apparet. Quum autem intelligeret imaginum cultum ab omnibus approbari, ipse quoque à priore sua sententia discessit, & palinodiam cecinit, & ab ipsa Synodo supplex veniam petiit, quam impetrauit: vt patet ex Act. 2. & 3. Nicenæ secundæ. Sed Carolus magnus libro 4. cap. 14. eius de imaginibus confessionem ceu perplexam & impiam damnat. Fuit etiam alius eiusdem ciuitatis Episcopus Theodorus, qui Mariam negabat Θεοτόκον appellandam, cuius Gratianus meminit. Tertia est Amasiana (quæ altera fuit Ponti Polemoniaci metropolis) quæ Euxinū versus iacet, antea à Mithridate Eupatore, postea à Pompeio Magno Magnopolis appellata, Strabonis Geographi excellentissimi patria. Huius Episcopi in Ecclesiastica historia celebrantur. Phædimus (qui Gregorio Magno mirifico manus imposuit, Nicephor. libro 6. cap. 17.) necnon Basilius, & quidam Eulalius nomine, qui cū cæteris multis in exilium à Valente eiectus, post Valentis mortem à Gratiano reuocatus fuit. Sozom. libro 7. c. 2. Hæc quoque Ecclesia immanissimæ illius Diocletianæ persequutionis particeps fuit. Quarta fuit Tyanensis, tribus superiorib' laude ac dignitate ferè par & æqualis: ex qua vrbe Apollonius ille magus (de quo Philostratus) oriundus fuit. Hæc quoque Ecclesia, cùm Synodo Tyanensi (cuius Sozomenus meminit) tum Episcopis præstantibus floruit, inter quos in Ecclesiastica historia celebratur Anthimus ille, qui (Cappadocia tunc temporis in primam & secundam diuisa) ambitione (vt est verisimile) impulsus, grauissimam Ecclesiísque illis perniciosissimam cum Basilio Cæsariensi episcopo litem contentionémque suscepit atque exercuit, quū nouus ille Metropolitanus vtriusque Cappadociæ Episcopos creandi potestatem sibi arrogaret. Qua de re plura vide in Gregorij monodia de Basilii vita, in qua inter alia dicit Anthimum nouum ciuitatis Thyanensis Metropolitanum Episcopos creare, & parœcias transferre atque perturbare conatum fuisse. Idem 35. Gregorii ad Basilium epist. Martius Antimus immodestus atque importunus bellator dicitur. Eiusdem Basil. epistola 58. ad Meletium, dicit Faustum cum Papa agentem ordinasse, neglectísque iustis suffragiis, Armeniam seditione impleuisse. Cappadocibus secundum Euxinum mare proximi, qui ab Arriano nostro commemorātur Colchi, Samni, Machelones, Heniochi, Zidretæ, Apsilæ, Lazi, Abasci, aliæque huiusmodi feræ barbaræque gentes, quas Iustinianus in Nouellis parti mimperio Romano subiecisse, partim socias effecisse gloriatur. Has

gentes

gentes posterioribus temporibus, cæteris nominibus extinctis atque obliteratis, Abasgos, Zanos, Lazos, reperio fuisse appellatas. Quæ quidem gentes quũ ab initio ferę, crudeles atque immanes, idololatria atque superstitionibus penitus inuolutę atque irretitę extitissent, singulari Dei gratia atque misericordia, Christianę tandem fidei lumine illustratę, insitam illam ingenitámque feritatem exuerunt, & cum Christiana lenitate mansuetudinéque commutarunt. Ac Zanos quidem, siue Tzanos, Sunos antiquitus dictos Procopius, lib. 1. De bello Persico, nullius seruituti subiectos, latrociniis deditos: tandem à Sitta Romanorum quondam duce victos, eiusdémque ducis humanitate qua erga eos vsus fuerat, ad lenitatem quandam mansuetudinémque traductos, tandem omnes Christianos factos, indéque de religione sentire testatur. Idem author de Iustiniani ædificiis Sermone 3. pluribus antequam illorum viuendi consuetudinem αὐτόνομον, ἄναρχον θηριώδη (vt appellat) describens, illos nemora, arbores, aues, omnis generis animalia deorum loco habuisse atque coluisse, tandem verò Iustiniani temporibus prelio quodam victos, ἄπονον δουλείαν, id est, seruitutẽ laboris expertẽ periculosę libertati pręposuisse, exuta naturę feritate, abiectóque superstitionum latrociniorúmque more ad Christianam religionem animum appulisse testatur. Quamobrem (eodem teste) Iustinianus templo illis in loco quodam qui Camalinichon appellatur, extructo, illos precibus, cæterísque Christianorum sacris faciẽdis obeundísque assuefecit. Idem author lib. 2. De bello Persico, Abasgos quoque Christianos, & iamdudũ Romanorum amicos fuisse dicit. De Lazis similiter (quos vult eosdem esse qui olim Colchi fuerunt dicti) idem est eiusdem authoris testimonium libro 3. De Iberorum porrò atque Albanorum gentibus istis finitimorum, necnon de ipsorum Colchorum religione & Procopius eodem in libro & Chalcondylas testes sunt locupletissimi. Alanos quoque Abasgis finitimos Christianos fuisse idem testatur libro 2. belli Persici. De Iberis sic Procopius lib. 1. Iberi qui Asiã incolunt, prope Caspias habitant portas ad Boream pertinentes, quibus sinistrorsus Lazi, dextrorsus Orientẽ versus Persæ sunt finitimi. Is populus Christianus est, fideíque dogma præter omnes quos sciamus, obseruant, regis Persarum subditi. Chalcondylas libro 9. Iberos Colchis finimos, bellicosos, opulentos atque potentes, à muliere quadam, quæ Constantinopolim religionis verę addiscendę gratia, commeare consueuerat, à superstitionibus ad verum Dei cultum conuersos primum fuisse significat, qui postea à Scythis finitimis diuturno admodum tempore vexati fuerunt. Idem author Alanos quoque ad Caucasum vsque se extendentes, Iberis vicinos fortissimos, reíque militaris peritos, Christianæ religionis sectatores studiosissimos fuisse dicit. Venio nunc ad reliquos illos, qui in Arriani nostri periplo sequuntur populos, Bospori, Cimmerij, Borysthenis, Istri, Mœotidis atque Tanais accolas, quorum licet diuersa sint atque varia nomina, omnes tamen vna Scytharum appellatione à Græcis pariter atque Latinis scriptoribus comprehenduntur. Hi sunt illi populi, qui (vt suprà quoque dictum est) omnes totius orbis terrarum populos, atque adeò ipsas feras, monstrosa quadam ac portentosa naturę immanitate vicerunt, nec vlla potentia viribúsque humanis domari frangíque potuerunt. Ex quo tantò magis apparet atque elucet immensa ac infinita Dei misericordia pariter atque potentia, qui non ferro, non armis, aut vi aliqua externa atque corporea, sed partim verbi atque Euangelij, partim Spiritus sui sancti vi atque virtute (præ qua omnis humana potentia nihili planè est) populos istos illius gratia indignissimos, ipsis rupibus atque cautibus (quas incolũt) duriores, ipsísque feris immaniores, ouibus atque agnis molliores mansuetiorésque reddidit, & ab immani illa sua idolomania ad verum legitimúmque numinis sui cultum flexit atque deduxit. Qua in re tam præclara S. Andræ, Philippi atque Thomæ præstantissimorum Apostolorum opera vsum fuisse, suprà

f.iij.

ex historiis probatum fuit. Hinc Tertullianus de Traiani temporibus verba faciens, Britannorum, inquit, inaccessa loca Christo fuerunt subdita, & Sarmatarum, & Dacorum, & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & prouinciarum, & insularum multarum nobis ignotarum, & quę enumerare minus possumus. Idem Euseb. de Adriani temporibus testatur lib. 4. capite 7. Ecclesiam ad Romanos & Græcos, ad Scythas & Barbaros, & ad ipsas penè in vltimis orbis partibus recõditas nationes, sub Adriano propagatã esse, &c. Hi autẽ Scythæ Christiani (id quod summa profectò nõ modò laude, verùm etiam admiratione dignissimũ est) quum plurimas regiones, oppida, vicos, castella incolerent, tamen vnanimi concordissimóque consensu vni tantùm Episcopo omnes paruerunt, cùm apud alios populos non solùm in vrbibus, verùm etiam in quibusque vicis Episcopi fuerint. Author Sozomen. libro 7. cap. 19. Euseb. libro 3. de vita Constantini. Nicephorus libro 12. cap. 34. & lib. 11. cap. 29. Quis, quæso, hîc non in summam verbi atque virtutis diuinæ rapiatur admirationem, quæ istas gentes à se inuicem pariter atque ab aliis omnibus nationibus odio, inimicitiisque acerbissimis distractas, tam arcto concordiæ vinculo constrinxit, atque colligauit, vt quæ antea nullis viribus, nulla potentia cogi potuerunt, vt vel potentissimo alicui totius mundi monarchæ parerent, hæ vnico Episcopo nullis humanis viribus atque opibus septo atque munito, vltrò ac libentissimis animis sese subiecerint, Verbíque diuini habenis eidem sese regendos permiserint? Episcopi autem illius sedes atque metropolis fuit Tomos vrbs (cuius Arrianus noster mentionem facit) teste Nicephoro in maritima Ponti Euxini regione à sinistris sita, fortunata maximè, & magnitudine aliis longè præstantior. Habuerunt autem multos egregios præsides, cuiusmodi fuit Terentius, quem Sozomenus libro 7. cap. 9. Tomæorum Episcopum nominat. Item Theotimus philosophus primùm, deinde episcopus Scytharum, quos industria sua, necnon miraculis, quorum dono polluit, ad morum mansuetudinem conuertisse dicitur. Idem tenuissimo victu vsus est, tantáque modestia præditus, vt Origenis demortui libros, Theophilo Alexandrino, & Epiphanio vrgentibus, damnare noluerit. Socrates est testis libro 6. cap. 12. & Sozomenus libro 7. cap. 25. Valentis temporibus funestissimis Britannio quidam eis præfuit, vir fortis ac generosus, vt ex hoc illius facto, quod Nicephorus Callistus libro 11. cap. 29. commemorat, satis apparet. Valens Imperator quum Tomos venisset, templum ingressus, Episcopo, vt Arrianam sectam reciperet, persuadere voluit. At ille pluribus cum Imperatore de dogmate Nicenorum Patrum colloquutus, quum nihil se apud illum proficere videret, illo relicto in templo, in aliud sese Templum recepit, populo pastorem suum sequente. Quam rem ita indignè molestéque tulit, vt Britannionem comprehensum in exilium deportari iusserit, quem tamen breui pòst, Scytharum quorum iracundiam atque fortitudinem perspectam habebat, metu pristinæ suæ dignitati restituere coactus fuit. Quamobrem optimo iure illos constantes Sozomenus libro sexto capite vicesimo primo. Nicephorus Callistus testatur Chrysostomum illum vniuersalem Ecclesiæ reformatorem Scytharum multitudinem, vt Arrianæ hæresis contagione liberaret, qui eiusdem cum illis linguæ essent illis præfecisse, sæpius quoque eos visens, doctrinísque suis per interpretem illustrans, ad veram sententiam religionémque adduxisse testatur. Præterea Istri accolas veritatis atque salutis fame sitíque affectos, in veritatis potestatem redegisse. Venio nunc postremò ad truces illos Thraces, qui etiam in Arriani nostri periplo postremò ponuntur, Scytharum regionibus pariter atque moribus affines, qui cùm teste Herodoto lib. 5. Martem, Liberum, Dianam, & præcipuè Mercurium, per quem solum iurabant, à quo se progenitos affirmabant, colere atque venerari fuissent soliti, tandem sacrosancti Euangelij lumine illustrati commentitiis atque ficulneis illis diis derelictis

lictis atque desertis vnicum atque solum cœli terræque Dominum cognouerunt, cognitum debitis meritísque honoribus affecerunt. Fuerunt itaque in hac regione multæ nobiles Ecclesiæ inter quas primò occurrit illa quæ videtur omnium antiquissima Neapolitana in Thraciæ finibus sita, ad quam primùm Paulum post illam nocturnam Macedonis Troade visionem appulisse testis est Lucas Act.16. Anchiali quoque (de qua vrbe infrà) Ecclesiam fuisse, cuius Episcopus Zotas, necnon Debelli, cui Iulius præfuit (teste Euseb. libro 5. cap.19. ex Serapione) Heracleæ Episcopus Hypatianus, teste Sozom. lib.2. cap. 8. & lib.6. cap.7. ad Synodum Nicænam venerunt, necnon Perinthi Episcopus. De Heracliensis Episcopi priuilegio, quo Constantinopolitanum Episcopum creare potuit, suprà ex Chalcondyla dictum fuit. Ex Adrianopoli & Neapoli Episcopi in 5. Rom. Synodum missi dicuntur Tomo 1. Concil. in eadem synodo. Verùm vniuersæ Thraciæ lumen, fuit Constantinopolitana illa Ecclesia cùm ob celeberrimam synodum in illa vrbe celebratam, tum ob nobilissimum Sophiæ templum ibi extructum, cui simile in toto terrarum orbe inueniri non potuit, teste Euagrio lib.4. cap.31. Nicephoro lib.17. cap.20. denique ob innumeros doctrina pietatéque excellētissimos Episcopos, quibus ornata palmam inter omnes Orientales Ecclesias tulisse videtur. Longiorem quidem orationē descriptionémque clarissima hæc Ecclesia postularet, sed quoniam cùm instituti mei ratio, tum temporis angustiæ id minimè patiuntur, ea supersedeo, ad eum qui nunc est miserrimum sanè Ecclesiarum illarum statum paucis (nā pluribus præ animi dolore non possum) describendū me cōuertens. Ac vnicā quidem ex omnibus ferè historiis Ecclesiasticis constat imperii pariter & Ecclesiarum harum Orientalium (sub quibus Ponticæ comprehenduntur) exilii interitúsque causam extitisse. Ea autem fuit ambitio perpetua atque fatalis Rerumpub. simul atque Ecclesiarum pestis atque ruina. Hæc enim simul atq; Ecclesiæ illæ florentissimæ post horrendas illas persecutionum tempestates atque procellas, quietem tranquillitatémque serenam nactæ fuerunt, ceu infernalis quædam furia à diabolo immissa illuc inuasit, miserabilésque ruinas atque strages ædidit. Hinc enim grauissimæ lites, cōtentiones, controuersiæ, schismata, hæreses, bella intestina, quibus & Imperium & Ecclesia illa Orientalis (cuius pars ferè potissima Pontus fuit) distracta atque dilacerata tandem Sarracenæ, Mahometicæ & Turcicæ illius belluæ spolium prędáque extitit, cuius immanissimę tyrannidi adhuc subiecta iacet. Reseruauit quidem sibi Deus pro antiqua illa sua perpetuáque clementiæ atque misericordiæ plenissima consuetudine in illis regionibus Ecclesias quasdam ceu secundas tabulas, titiones atque rudera quædam ex antiquarum illarum Ecclesiarum naufragio incendio atque ruina ereptas: quę Mahometanę illi bestię genua flectere fortiter recusant, ab illiúsque superstitionibus toto pectore abhorrent. Nam & Constantinopoli viginti Christianorum templa, vt in Gręcia, Athenis, in Asia, Niceę, Nicomedeę, Cesareę, Antiochię, in Syria, Armenia, aliísque in locis illis Christianorum Ecclesię feruntur esse admodum multę, quemadmodum narrant illi qui eas regiones obierūt. Veruntamen (proh dolor) vt ex iisdem oculatis testibus cognoscere licet, hę ipsę Ecclesię innumeris superstitionibus, necnon Nestorianorum, Maioritarum, Monothelitarum, Iacobitarum, Eutychianorum, aliísque huius farinę pestiferis hęresibus ita infectę sunt atque pollutæ, vt illorum qui ritè legitiméque Deum colunt perexiguus numerus reperiatur. Hactenus de priore epistolæ parte, hoc est, de personis, ac imprimis illius subiecto, hoc est Pontico mari regionéque generatim à me dictum explicatúmque est. Nunc Deo iuuante alteram epistolæ partem aggrediamur, in qua præter alia nonnulla, singularum Pontici huius tractus regionum, populorum, oppidorum, vicorum, templorum, fluminum, portuum, promontoriorū, aliorúmque locorum (quæ ab Arriano potissimum in hac epistola attingun-

Heraclea Thracia.
Perinthus.
Adrianopolis.
Neapolis.
Constantinopolitana.

tur) ſpecialis deſcriptio ſparſim hinc inde ex probatiſſimis quibuſque authoribus deprompta vnóque quaſi faſciculo comprehenſa continetur, &c.

Reliquum epiſtolæ corpus in quatuor quaſi membra ſeu partes principes commodiſſimè diſtribui poteſt. Pars prima eſt deſcriptio itineris, tractúſque eius, qui eſt à Trapezunte Sebaſtopolim vſque olim Dioſcuriadem dictã, qui, vt infrà inquit Arrianus, eſt 2260. ſtad. Secunda, (quæ tamen ordine naturæ prior eſſe debuerat) illum tractum complectitur, qui eſt à Boſporo Thracio ipſáque vrbe Byzantio Trapezuntem vſque. Tertia, à Dioſcuriade ad Boſporum Cimmerium. Quarta, à Boſporo Cimmerio vſque ad Boſporum Thracium illi è regione oppoſitum, ipſámque vrbem Byzantium. Atque hæ quidẽ quatuor partes omnem Põti velut inſularis circuitus litoream nauigationem, vt Ammiani Marcellini verbis vtar, videntur complecti, quarum tres priores ipſius Ponti dextra, poſtrema verò læua ferè continent. De ſingulis ordine. Quoad primam partem plurima illa ſcitu cognitúque iucunda & vtilia complectitur.

T*Rapezuntem peruenimus.*) Hic eſt terminus à quo, vt Sebaſtopolis terminus ad quem, interuallum vtriuſque modò dictum eſt. Videtur autem ex abrupto exordiri nulla neque loci, vnde Trapezuntem ſit profectus, neque cuiuſque alterius rei mentione præmiſſa.

Trapezus Τραπεζοῦς, vrbs, vt inquit Mela, illuſtris, ſic forſan vel à mẽſæ, vel trapezij ſimilitudine, olim quoque, teſte Stephano, Οἴζηνις *Oezenis* dicta, hodie vulgò Trapeſonda appellatur. Vrbs hæc ſecundum Xenophontem, Strabonem, Arrianum noſtrum eſt Græca, Sinopenſium colonia, in Ponto Euxino Colchorum regione ſita, à Ptolemæo Cappadociæ, à Iuſtiniano in Nouellis Ponto Polemoniaco annumeratur. A Dioſcuriade, cui Strabo & Euſtathius eã finitimam eſſe dicunt, ſecundum Arrianum noſtrum 2260. ſtad. à Phaſide fluuio ſecundum Strabonem 1400, ſecundum Arrianum noſtrum 1357, à Pharnacia, quam ſemel atque iterum, Strabo lib. 7. cum Trapezunte coniungit, ſecundum Arrianum noſtrum 745. ſtad. diſtat. Hãc Euſtath. in Dionyſ. magnum emporium, iuxta quam ſit Trapezuſa regio: Plinius liberam, vaſto monte clauſam eſſe dicit. Vrbs olim adeò clara & illuſtris vt Trapezuntino Imperio ſedẽ, noménque dederit, cuius partem Alexius propinquus Andronici ſenis Palæologi primus Imperator extitit. Nati enim è familia Comnenonum, vt refert Laonicus Chalcondylas lib. 9. de rebus Turcicis, Colchidis reges, feruntur olim Byzantii reges fuiſſe. Hi autem poſtquam exciderunt regno Conſtantinopolitano, Iſaacius (mendum videtur eſſe, & Alexius legendum) Regis filius fugiens, patre à populo interempto, in Colchidem ſeſe atque Trapezuntem contulit. Quem aduenientem Colchidis incolæ ducem pronunciarunt, & ex eo tempore regnum Colchidis Trapezuntem contraxit, quod quidem ad noſtra vſque tempora durauit, quum Græcorum mores linguámque retinerent. Affinitatem iunxerunt cum barbaris finitimis, quos Albos Probatantes nominant, necnon cum Temicis nepotibus, qui nati erant ab Tzokiis, & Caraiſuphis liberis, ne regio illorum ab iis vaſtaretur, denique cum Græcis, qui Bizantii morabantur. Hęc ille. Alexii autem illius, quem paulò antè capta vrbe Byzantio Colchorum & Lazorum regno potitum fuiſſe diximus, ex filio nepos Ioannes cognomento Lazus (vt teſtis eſt Nicephorus lib. 5.) ſcripto iureiurando ab Imperatore Byzantino Michaële Palęologo accepto Byzantium profectus, Eudociam filiam illius in vxorem duxit, vt Aſiaticum regnum rurſus cum Europęo affinitatibus copularetur. Huic duo ex Eudocia filij nati, quorum maior natus Alexio patri ſublato ſucceſſit, cum iuniore autem Eudocia ſpe regni Europęi ſibi propoſita Byzãtium rediit. Alexio ſucceſſit Baſilius filius, qui cùm vt

vt idem teſtis eſt Nicephorus, Irenem Imperatoris filiam in vxorem duxiſſet, cúmque ea perexiguo tempore legitimè, iuſtè, & qua decet concordia, modeſtiáque vixiſſet, tandem alterius cuiuſdam vxori ſuæ cognominis meretriculæ amore nefario captus, turpem cum illa (legitima ſua vxore è palatio eiecta) ſtupri conſuetudinem habuit. Cui leui quodam morbo ac potius ira numinis, vt inquit Nicephorus, non ſine veneni à legitima ſua vxore accepti ſuſpicione extincto, Irene vxor ſucceſſit: quam quidem (quum poteſtate cupiditati blandiẽte, muliebris appetitus, omnia vincula abrumpat, vt ſcitè admodum inquit idem author) clandeſtinã Trapezuntini cuiuſdã Magni domeſtici nominati conſuetudinẽ habere ſuſpicio erat. Hinc magna Trapezunti coorta ſeditio, plurimorũ, quæ conſequuta fuerunt, malorum atq; calamitatum cauſa. Quo ſanè exemplo monemur, quàm periculoſa atque pernicioſa plærunque ſint impotentis illius atque fragilis, flexibiliſque ſexus imperia, quem Deus parere potius, atque parêre, quàm imperare voluit. Tandem in regno ſucceſſit Alexius Comnenus, qui (vt teſtatur Chalcondylas lib. 9.) Ioanni Byzantio Regi filiam ſuam elocauit. Huic ſucceſſit filius, Ioannes nomine, impius ac parricida patris ſui, cum quo bellum nefarium geſſerat, cædis interitúſque cauſa. Atque hoc quidem portenti monſtríque ſimillimum parricidij facinus plurimorum ſtatim maximorúmque malorum caterua, imperiíque Trapezuntini, Colchorum atque Lazorum horrenda miſerandáque deuaſtatio atque πανολεθεία fuit conſequuta. Nam primò omnium Zyches cognomine Artabiles Orthobulis filius, Daiazetis nepos, cum innumerabilibus copiis irruptione facta longè latéque regnum depopulatus, ipſam quoque metropolim Trapezuntem grauiſſima obſidione cinctam delere ſtatuerat: qua tamen ſua ſpe atque conatu fruſtratus, re infecta diſcedere coactus fuit. Sed non multò poſt ab Amaſiæ præfecto, Chiteres nomine, ſubita expeditione oppreſſa, quum & peſte funeſtiſſima, & circiter bis mille à Chitere comprehenſis vrbs exhauſta, ac ferè omnino deſerta, in extremo euerſionis periculo verſaretur, Ioannes rex ſupplicationibus pariter atque ingentis tributi annui trium nimirum millium aureorum pollicitationibus à Mahumete per fratrem ſuum Dauidem Deſpotam impetrauit, vt vrbem tributariam acciperet, captiuóſque reſtitueret. Hæc fuerunt extremæ illius, quæ mòx conſequuta fuit, diræ duræque calamitatis, ac ſeruitutis, quam florentiſſimum illud regnum ſubiit, quaſi præludia quædam Tragica atque funeſta. Mortuo enim Ioanne immaniſſimo parricida, ac relicto vnico filio legitimo regni ſucceſſore, Dauid Deſpota Ioannis frater coactis Cabazitianis, qui Meſochaldiis imperant, Trapezuntis regno per vim atque nefas potitus eſt iniurius in fratris filium tunc temporis quadrimum legitimúmq; imperii hæredem. Qua quidem Dauidis Deſpotæ perfidia ſummus ille omnium rerum δεσπότης. i. Dominus Deus Opt. Max. ad Ioannis demortui parricidium, aliáque ſcelera atque flagitia in ipſius quoque ſobole vlciſcendum atque puniendum pro immenſa ſua ſapientia atque potentia vſus eſt. Sed mox ipſe quoque Deſpota huiuſce ſuæ ſceleratæ perfidiæ iuſtas debitáſque pœnas perſoluit. Nam paulò pòſt Mahumetes Turcarum Imperator (horrenda illa Dei ſecuris atque flagellum) à Sinope, quam ſubegerat, Trapezuntis (vt paulò antè dictum eſt) matre, dextrà Macedoniã tenens rectà Trapezuntem profectus, illam ſuburbanis omnibus incenſis per triginta duos ferè dies grauiſſima obſidione afflixit. Rex Dauid in his extremis ſui, regníque anguſtiis ad Æneam Syluium Papam, quemadmodum ipſemet in ſua Geographia confitetur, legatos auxilii contra Turcas petendi gratia, ſed fruſtrà, miſit. Tandem omni Dei pariter atque hominum ope auxilióque deſtitutus, vrbis deditionem cum Turcarum Rege iniqua ſanè impiáque conditione (qua potior illi mors eſſe debuerat) pactus eſt. Ea fuit vt Turcarum Imperator filiam ſuam in vxorem duceret, atque ita ſuam illam in fratrem demortuum, eiúſque

filium perfidiam, noua hac alia longè grauiore atrocioréque in ipſum Deum perfidia auxit atque cumulauit. Hoc itaque modo vniuerſum illud Trapezuntinum atque Colchicum imperium vna cum Trapezunte eiuſdem ſede atque metropoli in Turcarum poteſtatem peruenit. Trapezuntios autem miſerrimè in multa quaſi membra diuulſit atque diſtraxit. Quoſdam enim ſecum retinuit, quos Silictarios, Spathoglanos, ianitores conſtituit, eorúmque opera ac miniſterio ad nefarias libidines abuſus eſt. Alios Byzantium tranſmiſit, alios Ianizaros, quoſdam ſeruos in tabernaculis ſeruientes fecit, denique pueros ex omnibus circiter 800. electos in peregrinorum cohortem ſubmiſit. Dauidem regem cum filiis (inter quos minor natu erat Georgius) coniugem, & ex fratre nepotem Alexium Comnenum Conſtantinopolim perductos in carcere necauit, filiam Dauidis non vxoris ſed concubinæ loco habitam non parum dilexit. Atque hæc quidem de principio, progreſſu atque exitu ſeu potius exitio imperij Trapezuntini breuiter atque ſummatim dicta ſunto, quæ pluribus à Nicephoro, atque imprimis Chalcondyla lib. 9. explicantur. Vt autem Trapezus, quemadmodum dictum eſt, imperij corporei atque externi, ita [redacted] quoque regni Chriſti, hoc eſt, Eccleſiæ florentiſſima ſedes, ac domicilium extitit, plurimum doctrina pariter ac pietate inſignium virorum alumna. Ex illa enim oriundi fuerunt nobilis ille Philoſophus Georgius, Trapezuntinus cognomine, omnis generis literarum doctrinarúmque cognitione pariter atque obliuione, quæ illi in extrema ſenectute contigit, clarus: necnon Beſſariō monachus Baſilianus, qui ob ingenii doctrinæque præſtantiam admirabilem magno Romæ in pretio & honore habitus, tandem ab Eugenio IIII. Cardinalitia dignitate, & Patriarchæ Conſtantinopolitani titulo ornatus, honoratúſque fuit. Apud hanc vrbem, vt minima cum maximis coniungam, authore Ariſtot. mella quædam odore grauia ex buxis defluunt, quarum ea eſt mirifica vis atque natura, vt & eos qui ſana ſunt mente, inſanos reddant, contrà mente captos ſanitati reſtituant. Huic vrbi, teſte Strabone, Tibareni, Chalybes, Heptacometæ, qui antiquitus Moſynoeci ſunt dicti, imminent. Alia huius nominis vrbs fuit in Arcadia à Trapezeo Lycaonis filio ſic dicta, de qua Pauſanias lib 8. alia item teſte Stephano, prope ſinum Arabicum. Mons quoque eodem nomine eſt in Taurorum montana regione. Strab. lib. 7.

Græca ciuitas.) Græci enim quemadmodum ex innumeris Græcis pariter atque Latinis literarum monumentis conſtat, vniuerſam hanc regionem gentémque Ponticam incultam, vaſtam, feram atque immanem, plurimis oppidorum, portuum, templorum ædificiis excoluerunt, atque exornarunt, & à feritate immanitatéque ad ciuilem humanioremque cultum moréſque traduxerunt. Nicephorus ſimiliter lib. 11. Trapezuntem ad ſua vſque tempora Græcorum linguam, moréſque retinuiſſe ait.

Vt Xenophon ille inquit.) Nobilis philoſophus Grylli filius, Athenienſis, Socratis diſcipulus, cuius multa præclara atque eximia literarum monumenta extant. Huius aliquoties infrà quoque Arrianus mentionem facit, eúmque Xenophontem ſeniorem appellat. Arrianus enim noſter ingenioſus, ſtudioſúſque Xenophōtis illius cùm in vitæ genere, peregrinationum laboribus, tum hiſtoriis conſcribendis, ipſóque orationis ſtylo æmulus & imitator, Xenophontis iunioris cognomē adeptus eſt. Xenophontis autem opus, ex quo hæc, & alia (de quibus infrà) fuerunt ab Arriano deprompta ex hiſtoria ἀναβάσεως, id eſt, expeditionis Cyri in Græciam, cuius ipſe Xenophon comes extitit. Xenophontis verba, quæ hîc ab Arriano citantur, libro 6. Anabaſeωs huiuſmodi ſunt, Καὶ διῆλθον ἐπὶ θάλατταν, εἰς Τραπεζοῦντα πόλιν Ἑλληνίδα, οἰκουμένην ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ, Σινωπέων ἀποικίαν, ἐν τῇ Κόλχων χώρᾳ. Ibi (vt idē docet) Gręci per triginta ferè dies ſtatiua habuerūt in Colchorū agris, quos hoſtiliter depopulati fuerunt. A Trapezuntiis autem Græci hoſpitaliter humanitérque tractati, ac

plu-

plurimis donis hoſpitalibus, vt bubus, farina, vino, aliíſque cumulati fuerunt.

In mari ſitam.) Ammianus Marcellinus, Inſulæque arduæ, inquit, Trapezunta & Pityunta continent, oppida non obſcura. Fuit igitur mercaturis apta & accommodata, vnde Euſtathius eam magnum emporium vocat.

Sinopenſiũ coloniã.) Sinope Mileſiorũ colonia præter Trapezuntẽ, multarũ quoque aliarum illuſtrium ciuitatum quaſi matrix atque procreatrix fuit, vt Pharnaſiæ (quæ & Ceraſus dicta eſt) quam Strabo & Mela cum Trapezunte coniungunt, necnon Cotyori, & aliarum, teſte Arriano. Hæ autem duæ vrbes, quarum vna mater, altera filia fuit eodem ferè & tempore, & ſimili modo, deditione nimirum (vt paulò antea ex Chalcondyla dictum eſt) in Turcarum ditionem potoſtetémque peruenere. Sed Sinopes deſcriptionem ampliorem vide infrá.

Ipſum mare libenter contemplati ſumus.) Non ſine cauſa: eſt enim (vt Herodotus libro 4. inquit) mare hoc vaſtum ἀξιοθέατον, hoc eſt, ſpectatu dignum, ac præ cæteris ferè omnibus valde admirabile. Vnde Darius quoque (eodem teſte) vt hunc ipſum Pontum videret apertum, profectus eſt ad Cyaneas (à Græcis Planctas atque Symplegadas appellatas) ibíque in fano (nimirum Iouis Vrij, de quo infrà) ſedens, illum ſumma cum admiratione delectationéque oculis colluſtrauit. Gyllius lib. 3. de Boſporo Thracio author eſt ex vertice Panij promontorij quoquò verſum longè latéque Pontum Euxinum videri poſſe.

Eo ex loco vnde tu quoque.) Hinc facile eſt colligere Adrianum Imperatorem has quoque regiones peragraſſe. Fuit enim hic Imperator (vt Ælius Spartianus teſtatur) peregrinandi, multáſque regiones viſendi ita cupidus, vt omnia, quæ legerat de locis orbis terrarum, vellet addiſcere, nullúſque ferè principum (vt idem inquit) tam celeriter tãtum terrarum peragrauit, ac peragratis ſanè omnibus orbis partibus capite nudo, & in ſummis plerunque imbribus atque frigoribus in morbum incidit lethalem. Hinc Flori poetæ & ſummi adulatoris carmina,

Ego nolo Cæſar eſſe,
Ambulare per Britannos.
Scythicas pati pruinas.

Cui Adrianus hunc in modum reſpondit,

Ego nolo Florus eſſe,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

Dignum ſanè hoc fuit (vt eſt in prouerbio) patella operculũ. Sed quàm multos hodie, proh dolor Reges, Principes ac proceres Chriſtianos Flori iſtius potius, quàm Adriani imperatoris magis ſimiles cernere licet?

Contemplati eſtis.) Fuit enim Adrianus res admirabiles videndi percupidus, quæ quidem illi tantarum peregrinationum cauſa extitit. Sic in Sicilia Æthnam montem conſcendiſſe legimus, vt Solis ortum videret arcus ſpecie (vt dicitur) varium. Idem in monte Caſſio, quum videndi Solis ortus gratia noctu aſcendiſſet, imbre orto fulmen decidens hoſtiam ei ſacrificanti victimariã afflauit. Hæc Ælius Spartianus. Quàm, proh Deum immortalem, diſſimiles huius Imperatoris ſunt noſtri hodie Principes ac Magiſtratus, qui ab omni honeſta liberalíque actione pariter, atque contemplatione alieni, in ganeis, luſtris, tabernis atque popinis (vt Adrianus Floro obiecit) latitantes, ſomno, vino Veneríque ita ſunt addicti, vt (quemadmodum ille inquit) neque orientem, neque occidentem Solem ferè vnquam videant. Rhamnuſius vir doctiſſimus, qui epiſtolam hanc Italicè vertit, tritam lectionem retinet. Geſnerus noſter [redacted] qui hanc epiſtolam, vt plurimos alios omnis generis libros, non

modò legendo, verùm etiam diligentissimè quæque obseruando atque corrigendo, quæ mendosa videbantur, percurrit, sic locum hunc legendum corrigendúmque existimat, ὅθιπερ καὶ Ξενοφῶντι καί σοι οἱ βωμοὶ ἑστᾶσιν. i. ex eo loco, vbi stant aræ Xenophonti, tibíque erectæ. Tanti viri coniecturam doctis & acutis viris diiudicandam relinquo.

Aræ stant.) Loco proculdubiò ædito, & excelso, & idcirco ad maris cõtemplationem opportuno. Arę enim atque fana in locis excelsis, vt collibus atque montibus, vbi maximè præsentes deos fabulosa credidit antiquitas, extrui solebant. Hinc trita illa ac peruulgata in Sacris literis vox במות *Bamoth*, id est, excelsorum (vnde forsan Græcum βωμὸς) profluxit, quo nomine cùm montes atque colles, tum altaria atque sacella in iisdem à gentilibus ædificari solita designantur. Hæ igitur arę secundum Gesneri nostri lectionem, seu potius vulgaris lectionis correctionem, in Xenophontis, atque Adriani honorem fuerunt erectæ. Sic enim antiquitus apud omnes ferè nationes veræ religionis expertes, innumerísque superstitionibus imbutas, cùm in commẽtitiorum quorundam numinum, tum hominum quoque dignitate, virtutibus, rebúsq; præclarè gestis illustrium, viuorum pariter atque mortuorum honorem aræ atque statuæ plurimæ excitari, dedicaríque consueuerunt. Præterea, quemadmodum in veteri Testamento sæpenumero sanctissimos illos Patriarchas, atque heroas diuinæ gloriæ studio inflammatos, aras iis in locis posuisse legimus, in quibus Deus illustribus quibusdam suæ Maiestatis notis atque vestigiis sese conspiciendum præbuerat, sic ethnicos Reges, Imperatores, duces, viros denique dignitate, rerúmque gestarum splendore conspicuos, alio quodam, ambitionis nimirum, spiritu ductos impulsósque aras ceu monumenta quædam iis in locis excitasse legimus, in quibus versati, résque aliquas præclaras gesserant. Eius rei testes sunt aræ illæ ab Alexandro Magno ad Tanais fontes excitatæ. Adrianum quoque Imperatorem, ad quem hæc scripta est epistola, Ælianus Spartianus in eius vita testatur, Athenis ædem Ioui Olympio, sibíque aram posuisse, & per Asiam iter facientem, passim templa sui nominis fieri, consecraríque curasse. Fuit enim (vt omnes historici testantur) mirum in modum ambitiosus. Huiusmodi autem altarium atque templorum honorẽ soli Deo deberi (vt omittam alios) Augustinus testis est augustissimus: cuius hæc sunt Tom. 10. Sermone 6. verba. Nam illi (scilicet Ethnici) quod numen habeant & pro numine accipiant illam statuam, ara testatur. Quid illic faciat ara, si illud non habetur pro numine? Nemo mihi dicat, Non est Deus. Iam dixi. Vtinã ipsi sic norint hoc, quomodo nouimus omnes nos. Sed quid habeãt, pro qua re habeant, quid ibi faciant, ara illa testatur. Hæc ille.

Ex lapide aspero.) Hîc mihi in mentem venit, quòd Deus quoque in veteri Testamento aram sibi vel ex cespitibus terræ, vel ex rudi & impolito lapide fieri, dedicarique voluit. Vt autem Deus altarium, quæ sibi fieri iusserat, nõ modò formam, sed etiam materiam quàm diligentissimè Iudæis præscripsit: sic Ethnici quoque κακοζηλίᾳ quadam in aris suis (quas haras verius dixeris) efficiendis construendísque, & formam (quæ plerunque rotunda, nonnunquam quadrata fuit) & materiam superstitiosa quadam curiositate & diligentia obseruarunt.

Epigramma.) Hæc enim aris atque statuis consueuerunt insculpi.

Græcum.) Linguæ Græcę, quæ quidem longè latéque per vniuersum terrarum orbem propagata fuit, vsum in Ponto quoque Euxino viguisse cùm ex hoc epigrammate, tum illis quoque quorum infrà fit mentio in tẽplo Achillis epigrammatis, locorúmque plurimorum nominibus Græcis satis supérque constat.

Vt à Barbaris.) Illiteratis atque idiotis. Pontus enim Euxinus (vt Herodotus inquit libro 4.) in quem Darius expeditionem fecit, nati [redacted]

impe-

imperitiſſimas,Scythica excepta.Nullius enim nationis earum,quæ ſunt intra Pontum,aut aliquid ad ſapientiam pertinens proferre poſſumus,aut aliquem virum pro erudito habitum legimus , præter Scythicam gentem & Anacharſim.

Aras ex candido lapide.) Nam quemadmodum innumeri ſcriptores teſtantur,aræ olim ex candido marmore fieri ſolitę ſunt.Hinc Ouid.de ara Dianæ Orchilochæ verba faciens, inquit,

Aráque,quæ fuerat natura candida ſaxi,
Decolor à fuſo tincta cruore rubet.

Statua tua.) Statua à Græcis ἀνδριὰς dicitur, quaſi dicas virago, id eſt,viri imago,ſiue ſimulachrum,nam(vt inquit Cicero) ſtatuæ & imagines non animorum ſimulachra ſunt,ſed corporum.Huic reſpondet aliud Græcum vocabulum βρέτας,de quo ſic Clemens Alexandrinus in Protreptico: Poſtquam, inquit,ſtatuæ cœperunt formari,ab hominibus βρέτας cœperũt denominari,ἀπὸ τῶν βροτῶν,id eſt,mortalibus.A Latinis ſtatua,à ſtatuendo ſiue ſtando dicta eſt, cui reſpondet Hebr.מצבה *Mazzebah,* quod ipſum quoque à ſtatuendo deriuatur.Statuarum autem ſimulachrorúmque vſum ſanè antiquiſſimum,ac longè latéque per vniuerſum terrarum orbẽ diffuſum, partim ſuperſtitio, partim ambitio peperit.Romę quidem tantam fuiſſe legimus ſtatuarum multitudinẽ, vt vulgò alter adeſſe populus lapideus diceretur.Sic Cicero in Offic.omnibus in vicis ſtatuæ factæ ſunt,ad eas thus & cerei.Nam creſcente ſuperſtitione pariter atque ambitione,ſimul quoque ſtatuarum creuit multitudo , quæ partim diis fictitiis,partim hominibus bene de repub.meritis,dignitate, rerúmque geſtarum gloria florentibus fuerunt ſtatutæ. In Pontica quoque regione,licet barbara,tamen ſtatuarum vſus viguit,atque dominatus eſt. Sic enim celebratur argentea illa ſtatua Pharnacis,qui primus regnaſſe fertur in Ponto,necnon alia Mithridatis Eupatoris , quæ Pompei Magni triumpho Romam fuerunt tranſlatæ,vt teſtis eſt Plinius libro 34.cap.12. Non mirum igitur Adriani quoque Imperatoris ſtatuæ hîc mentionem fieri,qui proculdubio pro ſua illa qua laborauit ambitione(ſtatuarum huiuſmodi procreatrice)nõ in Ponto ſolùm, verùm aliis quoque in regionibus huiuſmodi ſibi ſtatuarum monimenta fieri curauit.Teſtis eſt huius rei Pauſanias lib.5.Imperatoribus(inquit ille)ſtatuas, Adriano quidem,quæ Achæorum conſilij participes ſunt ciuitates,poſuerunt ex pario marmore:Traiano autem,qui vltra Thraciam Getas ſubegit, Græci omnes.Georg.Cedrenus teſtis eſt Adrianum in vrbe Ælia ſtatuam ſuam poſuiſſe,vrbémque Gręcos habitare iuſſiſſe.

Figura quidem atque forma.) Statuarum vt materia,ita forma atque figura varia fuit & multiplex.Apud Romanos enim erant ſtatuæ triumphales,quæ & illuſtres appellabantur,triumphantis habitu ſculptæ: equeſtres quum in equo ad curſum incitato aliquis ſculpebatur,quarum antiqua fuit origo:pedeſtres ſine equo,quæ Romæ longo tempore fuerunt in authoritate. Erant prætera coronatæ,laureatæ, cum ahenea ſphæra, cuiuſmodi hodie ſunt Sanctorum ſimulachra,togatæ,palmatæ,penulatæ, loricatæ, bigæ, trigæ,trepidaneæ, coloſſeæ,de quibus vide Plinium libro 34.cap.4,5 & 6. Lazium lib.9.cap19.Cicero in Officiis,Declaratur autem,inquit,ſtudium bellicæ gloriæ,quòd ſtatuæ quoque videntur ornatu ferè militari. Imperatorum autem ſtatuas equeſtres plerunque fuiſſe,cuiuſmodi forſan hæc quoque Adriani fuit , ex Symmacho probat Lazius. De ſtatuarum materia,quæ primò ſimplex , ex bitumine,lignea,fictilis,ænea fuit,poſtea creſcente luxu atque luxuria,argentea atque aurea fieri cœpit. Vide Plin.lib.34.c.4.

Oſtentat enim mare.) Bifariam videtur poſſe intelligi,vel, ſpectat mare: vel (quod magis placet) porrecta manu atque digitis mare oſtentat. Similẽ fuiſſe ſtatuæ illius in tẽplo Iouis Vrij(de quo infrà)habitũ atque figurã,teſtis eſt Dio-

nysius Byzantinus. In fano,inquit,statua ærea est antiquæ artis,ætatem puerilem prę se ferens,tendens manus.Quam figuram quidam aiunt audacię signum esse nauigantium,deterrens temeritatem nauigationis periculis plenã, atque ostendens redeuntium salutis fœlicitatem,& pietatem, non enim sine errore vtrunque est.

Neque tui similis.) Statuę enim (vt inquit Plinius) ex membris eorum, quibus dicabantur , similitudine exprimi solitæ erant, vnde εἰκόνες appellabantur.

Tui nominis inscriptione.) Nomina enim eorum , quibus statua aliqua ponebatur,necnon causa honorificentissimè in ipsius statuę basi insculpi consueuerant. Hinc Plinius:Honores,inquit,legendi æuo,basi fuerunt inscripti.Idẽ testatur Cicero Philipp.9.huiusmodi inscriptiones titulos appellans,cuiusmodi titulorum exempla,vide cùm apud eundem Ciceronem loco citato, tum apud Cœlium Rhodiginum lib.8.c.39.Spartianus testis est Adrianum in operibus titulos adamasse, multas licet ciuitates Adrianopoles appellari curauit.

Est enim locus ad æternitatem.) Trapezus enim vrbs fuit clara atque illustris,ob commerciorum commoditatem maxima hominum frequentia celebrari solita. Non enim in locis desertis & obscuris, sed frequentissimis atque celeberrimis monumenta huiusmodi collocabantur. Sic Romæ in foro,loco,(vt inquit Plinius) oculatissimo, pro Rostris, in templis, familiarum curiis, in sepulchris statuebantur:vt ex Lazio,Cicerone Philipp.9.constat. Atque hinc quoque rursus colligimus ambitionem (vt vocat Plinius) humanissimam huiusmodi statuarum causam non minimam extitisse : quippe quum huiusmodi monumentis memoriam suam ab hominum obliuione vindicari, æternitati consecrari,in omnem posteritatem propagari posse existimarent. Hinc Ammianus Marcellinus libro 14.Quidam,inquit,æternitati se commendari posse per statuas ęstimantes,ardenter eas affectant, quasi plus præmij ex figmentis æreis sensibus carentibus adepturi,quàm ex conscientia honestè rectéque factorũ:eásque auro curãt imbractearí,quod Acilio Glabrioni delatũ est primò, quum consiliis,armísque Regem superasset Antiochum.Quàm autem sit pulchrum exigua hęc spernentem, & minima, ad ascensus verę gloriæ tendere longos,& arduos,vt memorat vates Asciæus: Cẽsorius Cato monstrauit,qui interrogatus,quamobrem inter multos nobiles statuam non haberet. Malo, inquit,ambigere homines,quamobrem id non meruerim,quàm quod est grauius,cur impetrauerim mussitare. Hæc ille. Omnino statuarum huiusmodi triplex ferè vsus semper habitus fuit,quòd nimirum & ædificiorum publicorũ & priuatorum,sacrorum atque prophanorum,siue ornamenta,& rerum atq; personarum ne temporis diuturnitate,obliuione obruantur μνημόσυνα atque monumẽta,& denique(vt Salustius docet in præfatione belli Iugurthini) virtutum illecebrę atque incitamenta. Verùm si rem vero libet ęstimare,omnia hæc quæ modò commemorata sunt,literarũ potius monimenta,quę non corporum, sed animorum simulachra sunt, melius atque commodius præstant. Nam huiusmodi corporum simulachra nec tam latè patẽt, quàm illa, nec tam sunt diuturna,facilius enim(vt Cicero Philipp.9. ea cum sepulchris conferẽs, ait)tempestate,vi,vetustate intereunt.Adde quòd corporea illa simulachra(vt omnium temporum experientia docet)superstitionis,ambitionis, omniũ denique vitiorum potius,quàm virtutum sunt irritamenta.Nũc Mercurij simulachri,faníque descriptio sequitur.Mercurium autem à Trapezuntiis cultum fuisse haudquaquam mirum existimari debet. Is enim non modò literarum, musicæ,palestræ,geometriæ,verùm etiam orationis,mercaturæ,quęstus,lucri, furtorum denique(quę plerunque cum mercaturę,quęstus atque lucri studio sunt coniunctæ)Deus atque patronus creditus fuit, quibus omnibus vrbs hæc magnum(vt inquit Eustathius)emporiũ mirificè dedita addictáque fuit. Prætere

terea

terea cùm idem viarum quoque atque itinerum dux à priscis illis habitus fuerit, eam quoque ob causam Trapezuntini maris huiusce importuosi, tempestuosi atque fluctuosi incolæ videntur coluisse.

Templum.) Græcè νεὼς, & ναὸς, aliquando ἔνναιος teste Clinia διὰ τὸ ἐνναίειν ἐν αὐτῷ τοὺς θεούς. i. quod in ipso dij habitent. Sic enim in Sacris quoque templa in veri Dei honorem extructa ipsa sæpenumero sedes atque domicilia appellantur. Infrà pro νέως Arrian. aliquoties vsurpat nomen ἱερῦ, quod sanctuariũ significat, vocabulum in Sacris quoque literis de veri Dei templo tritum & vsitatum. Templorum vsum nonnulli & Philosophi & populi ethnici omnino repudiarunt. Zenonis dogma vulgò celebratur ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖν. i. templa deorum non sunt ædificanda. Sic gentes quædam nefas ducebant deos ædiũ, & parietum septis includere, quibus omnia pateant, mundúsque ipse sit pro templo, cuiusmodi fuerunt Persæ, Carmeli, Germani, quos templorum vsu caruisse, imò ab illo abhorruisse legimus. Sed Græci, Romani, aliæque gentes minus feræ, & barbaræ templorum vsum plurimi fecerunt. Sic Isidorus ex Tranquillo docet homines cùm primùm exuta feritate rationem vitæ habere cœpissent, séque ac deos suos nosse, eos & templis, & simulachris & splendidiore sermone cœpisse colere. Similiter verisimile est Ponticas quoque has barbaras feras & immanes gentes ab initio templorum vsu caruisse, qui postea à Græcis primi, deinde à Romanis fuerit inuectus. Hinc & apud Arrianum nostrum & alibi quoque Ponticorum templorum fit mentio. De templorum autem origi-[redacted]dificata pluribus Gyraldus in suo illo egregio opere disp[redacted]t, templa condere. persuasit, quæ enim prius hominum sepulc[redacted]fuerunt magnificentius condita, templa cœperunt appellari, id quod exemplorum appositione comprobat. Hæc ille de ethnicorum templis disserit, quorum parens atque procreatrix fuit superstitio, Nam vera legitimáque templa, quę in [redacted] Dei Opt. Max. honorem extruenda, etiam egregiè docet August. ex vera atq; germana religione numinis diuini, ipsiúsque iussu atque mandato profecta esse, simul & quis sit eorum genuinus legitimúsque vsus sacræ Veteris & Noui testam. literæ satis supérque nos docent. Hoc verò Mercurij templum in foro verisimile est positum fuisse, qui locus à priscis plerunque Mercurio fuit consecratus, vnde ἀγοραῖος. i. forensis appellatus est. Non enim diis omnibus omni in loco templa ponenda esse censuerunt, qua de re vide plura apud Gyraldũ.

Lapide quadrato.) His verbis materia simul atque forma huiusce fani designatur. Materia templorum apud veteres varia fuit & multiplex, vt & forma. Solis ædem Liberíque patris rotundam veteres probarũt. Iouis verò templa, quòd omnium rerum semina patefacere credebatur tecto esse oportere (aiebat Varro) perforato: ædem Vestæ, quam cum terra eandem putabant, rotundam ad pilæ similitudinem formabant: plura vide apud Gyraldum. Mercurij autem templum, vt hîc Arrianus docet, confectum fuit ex lapide quadrangulari. Lapidem quadratum, inquit Cœl. lib. 26. cap. 32. eundémque vastissimum in mœnium ratione antiquis, præcipuéque Hetruriæ populis probatum fuisse inuenio, contrà ab Atheniensibus spretum: authore Themistocle ad Piræum. Quadrata siue quadrangulari, & cubica figura Mercurii fana pariter atque simulachra à veteribus conformata fuerunt, quia τετράγωνος. i. quadrangularis, siue quadratus Deus ab iisdem habitus & appellatus fuit, quam sanè ob causam quadratus quoque numerus ei tributus fuit. Cœl. lib. 22. cap. 9. Duplex autem potissimum affertur ratio cur figura hæc simul & nomen Mercurio fuerit tributum. Vna ob quatuor illius inuenta, quæ sunt literæ, musica, palestra, geometria. Altera causa quia orationis, veritatis, fœlicitatis præses habitus fuit, quæ quidem ob suam stabilitatem atque constantiam cubicæ siue quadratæ figuræ (quæ in quamcũque partem cedat semper stat recta) ima-

gine veteres adumbrarunt. Sed vt ob causas modò dictas quadrangularis ita quoq, τετρακέφαλος atque τετράγλωσσος.i.biceps dictus fuit.de quo vide Gyraldũ.

(*Mercurij simulachrum.*) Macrobius pleraque ait Mercurii simulachra quadrato statu figurantur, solo capite insignita, & virilibus arrectis. Pausanias lib.6. Ad Pallonem, inquit vrbem euntibus, in ipsa via Mercurii statua occurrit, cognomento Dolii, figura tetragona, quod Geometriæ inuentorem Mercurium existimauerit antiquitas, barbam habens, & in capitis vertice galerũ. Gyrald.Syntag.9. Iuuenis, inquit, effingebatur hic Deus, cui talaria & alas in pedibus. i. πεδίλα adhibuere, ea causa, vt Phurnulus ait, quod sermo aëre trãseat, vnde & Homerus ἔπεα πτερόεντα.i.verba alata dixit, & Orpheus in eius hymno πτυοπέδιλον nominat.i. alata talaria habentem. Sed Fulgentius Pennata inquit, talaria habet, quod negotiationis pedes vbique pergendo quasi pennati sint. Pingitur præterea cum galero alato, & cum talaribus, & petaso in pedibus, caduceo, siue virga, & gladio falcato. Sed de varia & multiplici Mercurii figura atque habitu, vide plura si vis apud Gyraldum. Hic non possum silentio prætermittere quòd Ælius Lampridius in Alexandri Seueri vita prodidit. Alexander Seuerus, inquit, Christo templum facere voluit, eúmque inter deos recipere. Quod & Adrianus cogitasse fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus sine simulachris iusserat fieri, quæ hodie iccirco, quia non habent numina, dicantur Adriani, quæ ille ad hoc parasse dicebatur, sed prohibitus est ab his, qui consulentes sacra repererant omnes Christianos futuros, si id optatò euenisset, & reliqua templa deserenda. Hæc illa. [redacted] Romanorum priscorum fana, Varrone teste, 170. circiter annis imaginum atque simulachrorum fuerunt expertia. Numæ Pompilii nimirum instituto, qui Pythagoræ summi ac nobilissimi illius Philosophi discipulus fuit, ac proinde secun-[redacted]illius documenta nefas ducebat primum illud omnium rerum principiũ omnis sensus ac perturbationis expers caduci alicuius hominis atque animalis imagine exprimere: huius rei testis est Plutarchus in vita Numæ Pompilii. In eandem sententiam Strabo lib.16. de Mose verba facit quæ quia magni videntur esse momenti subiicere volui. Iudæorum, inquit, progenitores esse Ægyptios vulgò fama obtinet. Nam Moses vnus ex Ægyptiis sacerdotibus cùm partem quandam regionis illius possideret, eorúmque instituta molestè ferret, inde Hierosolymam commigrauit, cui sese multi comites atque socii adiunxerunt, quibus diuina cordi erant. Docebat enim ille neque Ægyptios rectè sentire, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græcos, qui deos hominum figuris insignirent. Id solùm Deum esse, quod nos contineret, terrã ac mare, quod cœlum, & mundum & rerum omnium naturam appellamus. Huius sanè imaginem nemo sanæ mentis, nostræ similem audeat effingere, ac proinde relicta omni simulachrorum effigie, templo quod eo dignum sit excitato sine omni forma colendum esse. Hæc ille. Eandem quoque summi cuiusdam philosophi Cheremontis nomine (cuius Plato in lib. de legibus facit mẽtionem) sententiam fuisse Euseb.lib.3.cap.3. Præparationis suæ Euangelicę testatur. Mortales homines eos existimauit fuisse, quibus imagines ac simulachra à veteribus fuerint tributa. Dei autem veri nullum ex ligno, vel quauis alia materia verum posse esse simulachrũ. Quis enim, dicebat ille, adeò stultus erit, vt ligneum simulachrum atque effigiem Dei creatoris omnium similitudinem habere arbitretur? Natura enim diuina omnem materiam & omnia quę percipimus excedit, mente solummodo, ac sanctis animis comprehensa. Hæc ille. Pręsens hoc Mercurii simulachrum sibi ait non probari, quod neque templo, neque loco sit dignum ob illius deformitatem nimirum ac paruitatẽ. Non mirum est (vt illud quoque obiter dicam) Arrianum de tẽpli, altaris, atque statuarum ratione tam diligenter accuratéque ad Imperat. Adrianum scribere.

Fuit

Fuit enim (vt testes ſunt hiſtorici, imprimis Ælianus Spartianus) hic Imperator cùm ædificandi, tum pingendi, & ex ære marmoréque fingendi mirum in modum peritus, ita vt ſummis illis artificibus Polycleto atque Phanagoræ fuerit comparandus.

Quinque pedum.) Quoniam antiquum illud nimis paruum & exiguum fano illi proportione non reſpondebat. Hîc obſeruandum priſcorum illorum ethnicorum ambitionem atque ſuperſtitionem ſimulachrorum atque ſtatuarum omnis generis non modo forma atque materia magnifica & ſumptuoſa, verùm etiam quantitate, hoc eſt, magnitudine atque multitudine omnem planè modum exceſſiſſe. Eiuſmodi autem maximarum molium & admirandæ vaſtitatis ſtatuas Coloſſeas appellarunt, de quibus vide Plin. lib. 34. cap. 7. Eiuſmodi fuit in Capitolio Apollo tranſlatus à M. Lucullo Apollonia Ponti vrbe triginta cubitorum, centum quinquaginta talentis factus. Verùm omnem amplitudinem ſtatuarum eius generis vicit ætate noſtra Zenodorus, Mercurio facto in ciuitate Galliæ Aruernis per annos decem, pedum 300. immani pretio. Hæc ex multis exempla excerpere volui.

Aliud Phileſij.) Apollo Phileſius fuit nuncupatus, vt ſcribit Lactant. in comment. lib. 8. Theb. cui templa conſecrata fuere, quæ ab oſculo dicta ſunt Phileſia Branchi pueri Apollinis dilecti, ſiue (vt alii dicunt) filii. Hac de re vide plura apud Gyraldum, Syntag. 7. Phileſium hũc Arrianus Mercurii ἔγγονον appellat, quum vbique Phileſius Apollinis vel cognomen, vel filius etiam dicatur. Et tamen ſi allegoriam ſpectes, rectè Phileſius. i. amor, amicitia, oſcula Mercurii. i. ſermonis, ſiue orationis proles eſſe dicitur.

Non enim à ratione mihi alienum videtur.) Sic enim ſæpenumero alibi quoque legimus duos pluréſue deos commune & templum & aram habuiſſe. Pauſān. lib. 5. Apollinis & Mercurii cõmunem in Græcia aram fuiſſe teſtatur, propterea quod Mercurium lyræ, Apollinem cytharæ inuentorem Græci eſſe dicerent. Sic Cic. Verr. 6. Ariſteus, inquit, qui (vt Græci ferunt) Liberi filius, inuentor olei eſſe dicitur, vnà cum Libero patre apud Syracuſanos eodem erat in templo conſecratus. Hoc Arrianus noſter σύμβωμον & σύνναον appellat. Infrà quoque in ore Ponti ſtrictiſſimo vnum idémque Iouis Vrij, Dianæ atque Neptuni templum, ex Gellii ſententia videtur fuiſſe.

Bouem ibi immolaui.) Verbum βουθυτεῖν quo Arrianus vtitur duo ſignificat. Primò bouem immolare: deinde, quoniam bouem immolare non erat, niſi diuitum atque Regum, in genere quoduis magnum, ſplendidum & ſumptuoſum ſacrificium facere ſignificat. Inde deductum verbale βουθυσία cùm bouis immolationem tum quoduis aliud ſplendidum atque magnificum ſacrificium cuiuſmodi erat Hecatombe deſignat. Hanc vocem Latini quoque vſurpant, vt Tranquillus in Nerone. Hinc prouerbium, Nemo benè meritò bouem immolauit. Vtrumque hoc in loco commodè intelligi poteſt, nimirum bouis ſacrificium, quod (vt poſtea docet) magnifico ſplendidóque apparatu Trapezuntiis adiuuantibus fuit celebratum. Sciendũ eſt autẽ omnibus ferè diis ſuas victimas, & ſua ſacra certa & peculiaria cõſtituta fuiſſe, quæ præterire & tranſgredi nefas ducebatur. Nanq; aliena hoſtia Deus placari non credebatur, nõ enim eadẽ Ioui & Neptuno, Iunoni & Cereri victima aſſignabatur, quod tamẽ non perpetuò vbique ratũ fuit, qua de re pluribus Gyraldus. Mercurii proprias hoſtias legimus fuiſſe capras, vt & Mineruæ linguas, necnon hoſtias humanas verè hoſtiles, quibus Galli, teſte Cæſare lib. 6. Mercurium placare conabantur. Quoad bouis ſacrificium, illud olim illicitũ atq; nefariũ exiſtimabatur. Solonis quidẽ lege de boue nulli deo ſacrificare licebat, quia animal putaretur innocuum, colonum, laboris humani ſocium. Tantæ enim venerationis veteribus fuit, vt æquè capitale cenſerent bouem, ac ciuem necaſſe. Sic Ægyptii bo-

uem Apin dictum summa veneratione coluerunt, vt testis est Plin. lib. 8. Homerus cecinit Apollinem, siue Solem, Vlyssis sociis grauiter succensuisse, quòd illi bouem animal τροφῆς πολιτικὸν occiderint, de quo Cœl. lib. 12. cap. 1. Postea tamen bouis sacrificia crebrò admodum frequentata atque celebrata fuisse legimus. Bouem primo à Prometheo nonnulli tradunt fuisse occisum, quidam Erechteum Athenis imperantem primum omnium in Iouis Poliei ara bouē immolasse aiunt, vnde Buphonia vetus festum sit profectum. Ægyptii vniuersi, vt testis est Herod. lib. 2. boues mares eosdémque mundos ac vitulos immolant. Fœminas autem eisdem immolare non licebat, quippe cùm Isidi essent consecratæ, cuius simulachrum muliebre erat, bubulis præditum cornibus. Sed de boum sacrificiis vide plura apud Gyraldum Syntag. 17. Illud quoque hîc obseruatu dignum, Arrianum Mercurio bouem immolasse cùm Xenophontis (vt ipsemet hic profitetur) tum Argonautarum illorum exemplo & imitatione, qui (vt testis est Apoll. lib. 1. Argonaut.) ferè ab initio, non quidem Mercurio, sed Apollini ἀκτίῳ atque ἐμβασίῳ binos boues sacrificarunt. Fuit autem hîc veterum mos vt quoties graue aliquod longum periculosúmque iter essent suscepturi, primò diis sacra facerent: quæ iccircò ab illis ἐξόδια appellabantur. Eiusmodi & Arriani, & Xenophontis olim atque Cyri, & Argonautarum antequam vasti huiusce maris periculosissimam nauigationem inirent, sacrificia fecerunt.

Non vt Xenophon.) De quo sic Xenoph. lib. 6. Pecudes iam omnes consumpserant, bouem itaque de plaustris emptum mactarunt. & paulò pòst. Xenophon, cui eo die litatum non fuerat, boue de plaustro immolato (neque enim erant aliunde hostiæ) ad ferēdum auxiliū aduolat. De Calpes portu infrá.

Trapezuntijs ipsis apparantibus) Obseruanda Trapezuntiorum hospitalitas, atque munificentia, qua (teste Xenophonte) erga Græcos quoque olim vsi fuerunt, plurimis in eos hospitalibus collatis muneribus.

Victimam haud ignobilem.) Ethnici in superstitionibus suis, nullis neque sumptibus, neque laboribus pepercerunt, vtinam idem nobis in vera nostra religione colenda atque tuenda studium, animúsque esset. Præterea cùm Stoici cæteris ferè philosophis ethnicorum religiosiores, seu potius superstitiosiores extiterint, non mirum Arrianum nostrum, quem è familia Epicteti Stoici fuisse historiæ tradunt, tantum in huiusce suæ superstitionis procuratione operæ studiique posuisse. De qua etiam diligenter Adrianum certiorem facit, assentandi forsan studio, quem superstitionum huiusmodi studiosissimum nouerat esse. Nam vt de ipso Spartianus testatur, sacra Rom. diligentissimè curauit, peregrina contempsit.

Extorum inspectionibus, visceratiomibus.) Verbum σπλαγχνεύεσθαι duo significat, quorum vtrunque tritum & vsitatum apud ethnicos in illorum sacrificiis, intelligi potest. Primò enim significat exta in manus assumere, ea attrectare, inspicere, consulere, cuiusmodi actio extispicium, & aruspicina dicebatur. Huiusmodi autem extorum inspectio (certum diuinationis genus ab Hetruscis profectum) in ethnicorum sacrificiis vsitatissima fuit. De qua vide pluribus apud Gyraldum Syntag. 17. Huiusmodi itaque extorum inspectione, qua Græcos quoque in illa sua expeditione crebrò apud Xenophontem vsos fuisse legimus, Arrianus atque illius socii & comites itineris deos de profectione fœlixne illa necne futura esset, consuluerunt. Præterea cùm per exta olim ethnici societatem aliquam inire, séque mutua fide atque religione astringere sint soliti (quod ipsum quoque vox σπλαγχνεύειν secundum Grammaticos significat) verisimile est eadem cæremonia Arrianum, quíque cum illo erant, periculosissimæ nauigationis societatem contraxisse, séque mutua religione atque fide obstrinxisse. Idem quoque verbum extorum esse participem, conuiuari atque epulari significat, vt qui sacrificii, conuiuii quoque cōsortes essent.

Vt enim olim in veteri Testam. cum veris illis sacrificiis, quæ Deus præceperat, coniunctæ erant epulæ, quas cum gaudio atque hilaritate celebrari par erat: sic quoque apud Ethnicos sacrificiorum appendices erant epulæ, viscerationes dictæ, quas immoderato luxu luxuriáque agitare consueuerant. Vnde Athenæus vult verbum μεθύειν inebriari significans promanasse, quasi μετὰ τὸ θύειν, quòd peractis sacrificiis ebrietati indulgerent. Ex hac denique cùm Iudæorum, tum Ethnicorum consuetudine illæ priscorum in primitiua Ecclesia Christianorum ἀγάπαι, post Cœnam Dominicam celebrari solitæ doctissimis quibusque videntur originem suam traxisse, quæ quum ab initio (vt Ecclesiastica docet historia) bono animo, pauperum nimirũ inopiæ atque famis subleuandæ atque sustentandæ gratia fuerint institutæ, diúque admodum vsitatæ, tandem in luxuriosum pariter atque superstitiosum abusum abierunt.

Super extis libauimus.) Σπονδὴ Latinè libatio, seu libamen, nihil est aliud quàm (vt Grammaticus in suis in Hesiodum commentariis testatur) vini supra victimam effusio. Hinc Hebr. נסך *Nesek* appellant, à נסך, id est *Nasak*, quod libare simul & effundere significat. De huiusmodi libationum more ac consuetudine, quę plerunque vino, nonnunquam aliis liquoribus fiebant, vide Gyraldum Syntag. 17.

Cui autem primò omnium fausta.) Precationes quoque sacrificiis ab Ethnicis adhiberi fuisse solitas legimus. Hinc Iamblichus Porphyrij discipulus in libro de mysteriis, voto & oratione dixit sacrificium perfectius fieri, & absolutius, & totam denique religionem effici firmiorem. Multa præterea idem deprecationis vi atque virtute egregia nostræque religioni (si modò veræ precationis naturam cognitam habuisset) cõsentanea disseruit, vt testis est quoque Cœlius libro 2. cap. 25. Vt autem sacrificia, ita carmina quoque atque precationes Deo certas & peculiares institutas fuisse, author est Gyraldus Syntag. 17. Huiusmodi autem Ethnicorum, precationes sacrificiis adhibendi, morẽ atque consuetudinem, & ex Iudæorum, qui olim sua sacrificia, & Christianorũ, qui sua hodie sacra atque Sacramenta precationibus adhibitis atque interpositis celebrare solent, quadam quasi κακοζηλίᾳ videtur profluxisse. Arrianus pro Magistratus sui salute atque incolumitate vota fecit, quãtò magis id nos Christianos decet facere secundum illud Pauli Apostoli præceptum, 1. Tim. 2. Sic primitiuæ illi Ecclesiæ Christianæ, teste etiã Plinio illo, studiosissimos sese apud Deum pro Imperatoribus Rom. truculentissimis Ecclesiæ religionísque Christianæ hostibus patronos deprecatorésque præbuerunt.

Dignus pro cuius salute.) Ob eximiam nimirum illius sapientiam, clementiam, doctrinam, eruditionem, quibus instructus virtutibus vtilis admodum fuit imperio. Idem quoque erga Christi regnum, id est, Ecclesiam licet ab initio crudelem, tamen tandem lenem, mansuetum atque benignum se prębuit. De consuetudine Proconsulum in prouincias euntium, votorum nuncupatione, vide Lazium pagina 212. Hactenus Trapezuntinam suam commorationem quæque in illa vrbe cùm ad Adriani dignitatem, tum ad religionem spectantia gesserit, commemorauit. Obseruandum est autem hîc postremò quasi compendium quoddam, siue epitome Ethnicæ superstitionis, quæ partim fictitiis quibusdam numinibus (cuiusmodi fuerunt, Mercurius Philesius, & innumerabiles alij) partim instrumentis, vt fanis, sacellis, statuis, simulachris, altaribus, partim denique actionibus quibusdam, cuiusmodi fuerũt sacrificia, extispicia, libationes, viscerationes, precationes, constitit. Quæ quidẽ potissima superstitionis membra quasi vno fasciculo colligata, comprehensáque hisce Virgilianis versibus videntur, quæ subiicere volui. Æneid. 4.

Principiò delubra adeunt, pacémque per aras
Exquirunt, mactant lectas de more bidentes.
Legiferæ Cereri, Phœbóque patríque Lyæo

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, pecudúmque reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.
Heu vatum ignaræ mentis, quid vota furentem
Quid delubra iuuant?

Hyssi portum appulimus.) Hyssus Ὕσσος, & fluuius fuit (vt infrà docet, & portus à fluuio illo sic cognominatus, à Trapezunte distans centum octoginta stad. Ptolomæus portum hunc in Ponto Cappadocum, iuxta Sidonem, inter Pharnaciam & Trapezuntem ponit. Eiusdem quoque meminit Sophronius in vita Mathiæ, his verbis, ἐν τῇ δευτέρᾳ Αἰθιοπίᾳ (mendum videtur esse, & Καππαδοκίᾳ legendum) ὅπου ἡ παρεμβολὴ Ἀψάρου, καὶ Ὕσσου λιμὴν: in secunda Æthiopia (seu potius Cappadocia) vbi Apsari eruptio, & Hyssi portus. Nobilē autem hunc fluuium portúmque fuisse (licet nullam alibi eius mentionem fieri legerim) vel ex hoc constat, quòd præsidia Romana ibi fuerunt collocata.

Milites exerceri curauimus.) Ex hoc loco & aliis quibusdam infrà, colligi potest Arrianum nostrum non priuatū, sed cum legatione seu potestate quadam præsidatus, aut quæsturæ illi ab Adriano (à quo vt tradunt historiæ, ad Consularem quoque dignitatem euectus fuit) data atque permissa, Ponticas hasce regiones obiisse ac peragrasse. Milites autem hi (quorum Arrianus mentionem facit) fuerunt limitanei finium Romanorum aduersus externorum populorum incursiones, custodes ibi à Romanis collocati, cuiusmodi militū præsidiariorum infrà quoque apud Absarum, Phasim, Sebastopolim fit mentio: de quibus idcirco summatim quædam videntur esse significanda. Ac primò quidem omnium sciendum est Romanos quadrifariam imperij sui terminos seu limites constituere fuisse solitos. Aut enim ripis fluuiorum intercurrentiū distinguebantur: aut si fluuij nulli essent, vel ij tam exiles forent, vt vado transiri potuerint, cum muro lapideo, stipitibúsve limes constituebatur, qui à Barbaris Romanam ditionem separabat. Erat & quarta ratio positis saxis, à Germanis adhuc vsitata, quæ saxa vernacula lingua *Marckstein* à Marcellino lib. 18. lapides terminales videntur appellari. Hîc verò Hyssi fluuius atque portus ex primo illo est genere limitum, quos riparenses Lazius cōmodè appellari posse ait. Eiusmodi fuerunt Euphrates Orientis, Ister Illyrici, Rhenus Galliæ, Borysthenes (de quo infrà) Scythiæ: qui fuerunt maximi imperij Romani limites, sub quibus deinde plurimi alij fuerunt minores, vt Hyssus, & (cuius infrà facit mentionem) Apsarus, & Phasis fluuij. In his autem fluminum ripis limitaneis castella & munimenta ad tuendos imperij limites construere solebant, quæ vulgò præsidiaria munimenta, castra: à Liuio vna dictione præsidia, à Græcis φρούρια (qua voce Arrianus noster infrà bis vtitur) fuerunt appellata. Hinc exercitus limitanei (cuiusmodi hic fuit ad Hyssi portum) qui in limitibus populi Romani perpetuò à Romanis Augustis alebantur milites limitanei, qui in exercitu limitaneo merebant. Ciuitates limitaneæ, quæ in ripis fluminum limitaneorum constitutæ præsidia militum cōtinebant, quarum meminit Dion Cassius in Adriani vita, quæ quoniā ad propositum nostrum imprimis faciunt, subiiciam. Ciuitates, inquit, socias atque tributarias & subditos mirificè iuuit, multas earum inuisit, quas nullus antea Imperatorum viderat, atque omnibus aliquid opis & auxilij, vt ita dixerim, tulit. Eiusmodi fuit (de qua infrà) ciuitas limitanea Sebastopolis, quam tamen Iustinianus in suis Nouellis, vt & Pitiunta, castrum potius quàm oppidum appellandam esse dicit. Duces prætereа limitanei erant, qui limites procurabant, vt essent præsidio firmati. Stationes limitaneæ erant domus, vel villæ, manúsque militum in his subsistentes, extra limitem

mitem ripensia castra. Horũ omnium exempla, licet satis clara atque illustria nobis hæc ipsa epistola suppeditet, tamẽ si plura vis cognoscere, lege Lazium lib.1.cap.2.

Exerceri.) Varia & multiplicia fuerunt apud Romanos exercitationum militarium genera, de quibus elegãtissimè Cicero, libro 2. Tusculanarũ, hunc in modum disserit: Nostri exercitus, inquit, primùm vnde nomen habeant vides: deinde qui labor, quantus agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad vsum velint: ferre vallum. Nã scutũ, gladiũ, galeã in onere nostri milites non plus numerant, quàm humeros, lacertos, manus. arma enim membra militis esse dicunt: quæ quidem ita geruntur aptè, vt si vsus foret, abiectis oneribus, expeditis armis, vt membris pugnare possint. Quid exercitatio legionũ? quid ille cursus, clamor, quanti laboris est? ex hoc ille animus in prœliis paratus ad vulnera. adduc pari animo inexercitatum militem, mulier videbitur: cur? tantum interest inter nouum & veterem exercitum, quantum experti sumus. Ætas tyronum plerunque melior, sed ferre laborem, contẽnere vulnus, consuetudo docet. Sed huiusmodi exercitij militaris rationem omnium optimè suis quasi coloribus depinxit Vegetius libro 1. Rei militaris c. 27. Præterea, inquit, vetus cõsuetudo permansit, & diui Augusti atque Adriani constitutionibus præcauetur, vt ter in mense tam equites, quàm pedites educantur ambulatum, hoc enim verbo hoc exercendi genus nominant. Decem millia passuum armati, instructique omnibus telis pedites, militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita vt aliquam itineris partẽ gradu alacriore conficerent. Equites quoque diuulsi per turmas, armatique similiter tantum itineris peragebant, ita vt ad equestrem meditationem interdum sequerẽtur, interdum cederent, & recursu quodam impetus repararent. Non solùm autem in campis, sed etiam in cliuosis & arduis locis, & ascendere, & descendere vtraque acies cogebatur: vt nulla res vel casus prorsus pugnantibus posset accidere, quam non antè boni milites bona exercitatione didicissent. Eundem vide hac eadem de re libro 2. cap. 23. lib. 3. c. 4. Ad huiusmodi imaginarium militiæ genus pulcherrimè alludit Tertullianus in illa sua orat. ad martyres, Nemo, inquit, miles ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit, sed de papilionibus expeditis & substrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuauitas consistit. Etiam in pace, labore, & incõmodis bellum pati ediscunt, in armis deambulando, campum decurrendo, fossam moliendo, testudinem desiccando. Sudore omnia constant, ne corpora atque animi expauescant. De vmbra ad Solem, & Sole ad cælum, de tunica ad loricam, de silentio ad clamorem, de quiete ad tumultum.

Est enim ibi cohors peditum.) In aliis enim locis peditum, in aliis equitum erant præsidia, in aliis (vt hîc) vtraque.

Equites quoque lanceas.) Nomen λόγχη quod lonchum Tertullianus lib. De corona militis appellat, alij lanceam (quam Festus à Græco vult esse dictam) alij hastam vertunt. Verbũ ἀκοντίζειν & eiaculari siue emittere, & vibrare, siue torquere significat. Hastam enim antiquitus vel pili telique ritu eiaculabantur, vel larissæ & conti modo manibus retentum agitabant atque vibrabant. Vtrumque exercitationis genus hoc loco intelligi potest. Sciendum autem vt tyronum atque veteranorum, ita peditum & equitum diuersa quædam atque disparia exercitationis genera extitisse. De equestribus autem exercitationibus (quarum infrà certum quoddam aliud genus) nimirum quorum insultatio ponitur, postea dicemus.

Nunc sequitur iter à portu Athenas vsque, periculosæque tempestatis descriptio.

Auris quæ spirarunt è fluminibus.) Flumina enim plurima, circiter quadraginta, teste Strabone, in Pontum Euxinum influunt. Inter aurã atque ven-

tum huiusmodi differentiam Arist. in libro De mundo statuit, τὰ δὲ ἐν ἀέρι πνέοντα πνεύματα καλοῦμεν ἀνέμους, αὔρας δὲ τὰς ἐξ ὑγροῦ φερομένας ἐκπνοάς.

E fluminibus.) Aristoteles sect. 23. scribit è fluuiis tam calidis, quàm frigidis auram tolli. Celebrantur tamen à scriptoribus fluuij nonnulli, ex quibus nulla aura exhalat, cuiusmodi est Nilus, necnon Borysthenes (de quo infrà) cuius (vt testis est Plinius libro 31.) aquæ adeò sunt tenues, vt innatent Hypani, neque nebulam, neque halitum vllum emittit. Similis quoque fertur esse quidam in Arcadia sub Parrhasio monte fluuius, à quo nullam vnquam aiunt exhalare auram, qui idcirco à Callimacho Anaurus. i. auræ expers appellatur. De quo sic Lucanus cecinit,

Quique nec humentes nebulas, nec rore madentem
Aera, nec tenues ventos suspirat Anauros.

Huiusmodi autem auræ expertium fluuiorum causam, alij Solis calorem, alij aquarum insignem quandam vel crassitudinem, vel tenuitatem: alij denique intimam quandam atque abstrusam in ipsis scatebris elaboratam qualitatē esse affirmant. qua de re vide Cardanum, de Subtili. & qui contra eum scripsit, Scaligerum. Quare autem manè aura frigida de mari non spiret, de fluminibus autem spiret, vide Aristotelem sect. 23. Problematum. De fluminibus his Anauris, vide quoque Agricolam libro 2. De natura eorum, quæ effluunt ex terra.

Repentè nubes exorta.) Mela Pontum nebulosum appellat, quòd (vt Marcellinus inquit) concrescit aer ex humorum spiramine sæpe densatus. Huiusmodi cæli κατάστασις constitutio ἐπινέφεις, ἢ ἐπίνεψις, ἢ συννέφεια à Græcis dicitur.

Erupit in Eurum.) Verbum ἐκρήγνυμαι quo vtitur Arrianus, violentā quandam eruptionem significat. Plutarchus νότος ἐκραγεὶς ἄπιστος τὸ μέγεθος, id est, vētus incredibili magnitudine exortus.

Ventum violentum.) Græcè ἐξαίσιον, quod significat μέγαν, καὶ ἔξω τοῦ αἰσίου, hoc est, aliquid omnem mediocritatem excedens: sæpenumero ventis, & tempestatibus, vt hîc, accommodatur. Xenophon in OEconom. ἐξαίσιον νότον, id est, validum Notum vocat. Eurus autem ventus Orientalis ab Hebræo קדים *Kadim* dictus, in Sacris literis vehementer celebratur ob illius vim omnia exiccantem pariter atque confringentem, secundū illud Psal. 48. Vētus Orientalis franget naues Tharsis.

Planè aduersum.) Nam ipsis ad Apsarum fluuium versus Orientem (vt infrà inquit Arrianus) à dextris Ponti nauigantibus, Eurus ventus ab ortu spirās necessariò contrarius, & aduersus fuit.

Id quod solùm nobis adiumento fuit.) Quomodo dicit ventum hunc violentum & aduersum illis fuisse adiumento, quum (vt sequentia docent) hic ventus naufragij vnius triremis, ac tantùm non extremi exitij interitúsque causa videatur extitisse? An forsan, quia aduersus fuit prorā, tantum nauis feriit minore cum periculo, quàm si latera nauium feriendo in causa fuisset, vt maior aquarum vis in naues irrupisset, vnde certissimum omnium fuisset exitium interitúsque consequutus? Quam coniecturam sequentia videntur comprobare, quum ait qui lateralis fuerit fluctus, idcirco ipsos licet ægrè tandem euasisse. An forsan magis Gesneri coniectura placet, qui locum hunc sic corrigendū putat, nimirum μόνον οὐχὶ ὤλεσεν ἡμᾶς. i. tantùm non perdidit nos: quum trita lectio sit, quam Rhamnusius retinet, ὅπερ καὶ μόνον ὤνησεν ἡμᾶς. i. quod solùm nobis adiumento fuit?

Non ex illa tantùm parte vbi remi.) Hinc apparet periculi magnitudo, quod aquarum copia non ex illa tantùm parte in naues irruit, vbi est remigium, quę quia depressior, aquarum irruptioni magis est obnoxia, verùm etiam ex illa nauium parte, quæ quia altior, ab aquarum influxu magis est immunis. Nam παρεξειρεσία est ea pars nauis quæ extra remigium (vt ipsum nomen significat) inter

ter puppim & remiges posita, puppis atque proræ pars est altissima.

Transuersus erat fluctus.) Mare hoc Mela fluctuosum & ferues dicit: quia minus sit profundum.

Multa perpessi.) Rectè igitur Grammatici πόντον quasi πόνον dici affirmāt, quòd laborum atque dolorum mare sit plenum. Iure quoque optimo illud Homeri de Vlysse huic nostro Arriano accommodari potest:

Πολλὰ δ᾽ ὅγ᾽ ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κτ̀ θυμόν.

Athenas peruenimus.) Athenæ duplices: celebres primò illæ atque illustres in Græcia: deinde hæ Ponticæ, quæ proculdubio à Græcis illis suum nomen fuerunt sortitæ. Sic enim plurimorum locorum, portuum, fluminum, oppidorum, ædificiorum denique omnis generis in Ponto nomina legimus similia eorum quæ sunt in Græcia, à Græcis nimirum illorum conditoribus atque habitatoribus iis imposita. Ptolem. quoque Athenarum promontorii meminit, quod quidem iuxta Scissios (qui nunc Lassij dicuntur) inter Rhizum portum, & Chordylam ponit. Earundem & Niger in sua Geograph. sed ex Ptol. & Stephanus ex Arriano nostro meminerunt.

Mineruæ fanum.) Minerui vno nomine fana Mineruæ consecrata nuncupari solita sunt. Duas huic deæ aras in Bosporo positas fuisse legimus: vnam Mineruæ Echasiæ in arce Byzantii, alteram Mineruæ dissipatoriæ sic ab hostibus dissipandis dictæ, supra Bosporum à Megarensibus excitatam. Non mirum igitur eiusdem deæ templum hîc quoque extitisse, cùm præsertim Mineruæ à veteribus ventorum quoque (quibus mare hoc Ponticum vehementer infestatur) potestas nonnunquam fuerit tributa. Mineruam scribit Herod. lib. 4. Lybici dicere soliti sunt Neptuni, & Tritonidos paludis esse filiam. Sic, Pausania teste, Minerua ἀνεμῶτις. i. ventosa colebatur in ciuitate Mothone, vbi & templum, & simulachrum habuit, quod Diomedes dicasse fertur, sic dicta, quòd ibidem molestum ventum sedarit. Idem author refert Mineruæ Asiaticę templum à Castore & Polluce post illorum ex Colchide reditum fuisse constructum: addit deinde: nam & apud Colchos eodem nomine tēplum fuerat. Hæc ille. Verisimile est, hoc ipsum fuisse, cuius hîc fit mentio.

Castrum quoddam est pro derelicto habitum.) De huiusmodi castellis, munimentis præsidiariis suprà dictum. Loca autem illa ex quibus præsidia erant à Romanis abducta, propriè nudata vel nuda præsidiis vocabantur: cuiusmodi hic fuit locus. Hinc deducere præsidia dicebantur, sicubi limitaneos exercitus auocabant, & alibi vbi necessitas postulabat, locabant.

A noto vento.) Ventorum ferè sex Arrianus in hac sua epistola mentionem facit, quorum nomina hæc sunt. Eurus qui etiam Subsolanus dicitur, Boreas qui & Aquilo, Notus qui & Auster, Lips qui & Affricus, Aparcias qui idē ferè cum Zephyro, Thraocias quem in Græcia ait Scironem appellari. Ventos olim veteres primò duo tantùm, deinde secundum quatuor mundi plagas, quatuor statuerunt, quos summatim Manil. lib. 4. Astron. his elegātissimis versibus complexus est:

—totidem venti de partibus iisdem
Erumpunt, secumq; gerunt per inania bellum.
Asper ab axe ruit Boreas, fugit Eurus ab ortu.
Auster amat medium Solem, Zephyrusq; profundum.

De iisdem sic Ouid. lib. 1. Trist.

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu
Nunc Zephyrus suo vespere missus adest.
Nunc gelida siccus Boreas bachatur ab Arcto,
Nunc Notus aduersa prælia fronte gerit.

His Aristot. & Philosophi octo, nautæ triginta sex addiderunt, de quorum vi atque natura, efficientia, ordine, situ, vide Strab. lib. 7. Plin. lib. 2. cap. 26, & 27. 28, &c. Gel. lib. 2. cap. 22. Aristot. & alios innumeros cùm priscos, tum recentes

ſcriptores. Ventorum ſcientia quàm non modo iucunda, verùm etiam vtilis pluribus diſſerit, Plin.lib.2.cap.26, & ſequentibus capitibus.

Aparcia.) Ariſtot. Aparctiam Septentrionalem ventum eſſe dicit.

Thraſcia.) Græcè & θρασκίας & θρασκίης ab Ariſtot. & θρασκίην à Suida. Latinè Thraceas, & Thraſceas, & Thraſcias dictus, teſte Plin.lib.2.cap.22. ſpirat inter Septentrionem & Occaſum ſolſtitialem. Hic (vt teſtis eſt Ariſtot. lib. de mundo, Cæcias à quibuſdam dicitur.

Sciron in Græcia appellatur.) Strabo lib.7. Zephyri in Attica, qui à Scironiis petris (à Scirone latrone, quem Theſeus interemit, dictis) ſpirãt, qui potiſſimum ſunt Cauri. Plin.lib.2.cap.47. Sunt etiam quidam peculiares quibuſque gentibus venti, non vltra certum procedentes tractum. Vt Athenieſibus Sciron, paululum ab Argeſte deflexus, reliquæ Græciæ ignotus Thraſciam in Põto, in Græcia ait Scirona appellari. Sic enim ſæpenumero ventorum nomina pariter atque vires pro locorum diuerſitate mutantur. Sic enim exempli gratia Etheſiæ venti, qui nauigantibus in Pontum contrarii exiſtunt, quibus Argonautæ aliquandiu fuerunt retenti, in Ponto ſunt Boreæ, in Græcia Zephyri, qui noctu deſinunt ferè, & à tertia diei hora oriuntur. In Hiſpania & Aſia ab Oriente flatus eſt eorum, in Põto ab Aquilone, & reliquis in partibus à Meridie. Plin. Idem, permutant & duo, inquit, naturam cum ſitu Auſter Affricæ ſerenus, Aquilo nubilus.

Sub noctem tonitrua.) In nube, inquit ſcitè admodum Plin.lib.20. ſi luctetur flatus, aut vapor, tonitrua: ſi erumpat ardens, fulmina, ſi longiore tractu nitatur, fulgetra. His finditur nubes, illis perrumpitur. Horum quoque tonitruum atque fulgurum mentione notandum merito Aparciam & Thraſciam (quorũ paulò antè meminit Arrianus) ab Ariſtot. χαλαζώδεις, αἰθρίους & ἀστραπαίους, hoc eſt, grandinis, ſerenitatum, atque fulminum procreatores appellari.

In notum commutatus.) Nam (vt teſtis eſt Ariſt. Meteor.2.) Eurus ab ortu æſtiuo ſpirans, vicinus eſt Noto, vnde ſæpenumero Euronoti dicuntur. Adde quòd leui celeríque momento huiuſmodi fit ventorum metamorphoſis.

Subduximus.) Νεωλκεῖν enim propriè ſignificat vento ceſſante atque deficiente nauem remis, ac certis quibuſdam machinis & inſtrumentis in portum attrahere, ſiue ſubducere.

Trireme.) Longæ naues, quarum ſpecies erant biremes, triremes, quadriremes, quinquiremes, & liburnicæ differebant ab onerariis, quod & multis remorum ordinibus agitabantur, & ex his præliarentur milites, quum in onerariis neceſſaria tantum veherentur, quibus noſtro ſeculo galeas noſtras militares comparare poſſis. Vide plura apud Lazium lib.6.cap.8.

Ἀπεξύσθη.) Ἀπεστύθη videtur legendum, vt paulò antea, vel redundat.

Fluctu.) Aliquoties iam fluctuũ facta mentio vbi nota, rectè Melam Pontum, quia non ſit profundus, fluctuoſum atque feruentem affirmare.

Quorum magna in Ponto copia. Idem Xenophõ lib.6. in deſcriptione portus Calpes, & Strabo lib.12. in deſcriptione regionis Sinopicæ.

Vt noſti.) Hinc videtur poſſe colligi Adrianum quoque has regiones obiiſſe, atque vidiſſe.

Διατρεμῆσαι.) Ἀτρεμεῖν quieſcere, non moueri ſignificat: illud διὰ emphaſis & amplificationis cauſa additur, q.d. longè latéque per omnia loca.

Procedente die Boreas.) Boreæ qui in Ponto iidem qui Etheſiæ ab Aquilone flantes, noctu deſinunt, & à tertia diei hora oriuntur. teſtis Plin.lib.2.cap.27. Tertia ſequitur ſtatio ſeu commoratio Apſari, in qua primò exercitus, qui illic fuit, luſtratio, deinde loci deſcriptio continetur.

Quinque cohortes.) Cohortes hæ fuerunt ſtipendiariæ militum limitaneorum, de quibus ſuprà. De cohortibus autẽ atque legionibus Rom. ac multiplici earum differentia vide Lazium.

Stipendium militibus.) Hinc Vegetius milites ſtipendioſos vocat, qui ſtipendia faciunt,& ſtipendiare pro eo quod ſoluere. Plin.lib.6. Erat autem ſtipendium multiplex,legitimum,ſimplex,duplex, triplex, quadruplex gregariorum.de quibus vide Lazium. Stipendium autem annuum ex Auguſti decreto prætoriani quidem militis erant denariorum quina millia,hoc eſt,ſecundum noſtræ monetæ æſtimationem aurei 500.reliquorum autem, qui extra vrbem vel in limitibus pro cuſtodia fluuiorum, vel in exercitibus aduerſus hoſtes miſſi merebant, erant tria millia, hoc eſt 300. id quod ex Suetonio in vita Auguſti,& aliis probat Lazius.Stipendia præterea erogandi rationem hanc idẽ fuiſſe teſtatur.Vel pecunia prompta diuidebatur inter milites, vel veſtimenta, ingruente hyeme pecuniæ loco,& interdum boum tergora ex quęſturæ militaris officio dabantur.Pecunia autem,quæ numerabatur, aut ex tributo prouinciarum colligebatur,coloniíſque Rom. vel à delinquentibus ſociis accipiebatur. Quòd ſi hæc non ſatisfacerent,vel ex ærario Saturni vrbis, aut ex fiſco Auguſtorum pecuniæ reliquum depromebatur.Hæc plurimis exemplis & teſtimoniis probat Lazius lib.2.cap.13.Stipendia autem limitaneis militibus accepta à procuratoribus numerabat Quæſtor prouincialis, expoſitáque & accepta in librum referebat:de quo vide eundem.

Arma inſpexi.) Armorum inſpectio apud Romanos creberrimè fuiſſe in vſu,paſſim ſcriptores teſtantur.

Murum atque foſſam.) Capellorum. ſ. ſeu munimentorum præſidiariorũ, de quibus ſuprà. Caſtelli autem hoc in loco Plinius quoque meminit.

Ægros.) Curam illorum habuit,vt curarentur,ne quid iis deeſſet,quod ad ſanitatem recuperandam valeret. Quæſtoris quoque prouincialis munus fuiſſe ſuſpectas morborum cauſas inueſtigare ex Marcellino, probat Lazius. Videtur etiam hac in re Adrianum Imperatorẽ fuiſſe imitatus, qui(teſte Sparitano, ægros bis ac ter die, & nonnullos equites Rom. ac libertinos viſitauit, ſolatiis refouit,conſiliis ſubleuauit,conuiuiis ſuis ſemper adhibuit.

Rem frumentariam.) Annona prouincialis intelligenda, quæ limitaneis militibus cuſtodias agentibus ad ripas fluminum terminantium ditionẽ Romanam dabatur. Fuit autem annona ſiue res alimentaria apud Romanos varia & multiplex,nimirum militaris,prouincialis,municipialis,macelli, alimentaria,menſtrua,ſalaria,de quibus vide Lazium lib.2.cap.10.

Romanis literis.) Semel atque iterum Latinarum literarum fit mentio, vnde conſtat Arrianum duplices ad Adrianum ex Ponto literas miſiſſe, Græcas vnas,cuiuſmodi hæ fuerunt, hiſtoricas atque geographicas, quibus Ponti periplum complexus fuit: alteras Latinas, quibus proculdubio ea mandauit, quæ ad Rempubl.propriè ſpectabant.

Apſarum.) Græci ἄψαρον & ἄποαρον ſcribunt. Arrianus noſter χωρίον appellat. Plin.lib.6.cap.4,& 9.Flumen Apſarum cum caſtello cognomine in faucibus ſitum à Trapezunte 150. mille paſſ.abeſt, quod flumen Pariedri montes (qui pars ſunt Tauri) fundunt, atque id loci vbi Ponticos populos & Adiabenem ab Armenia minore ſeparat,in Pontum defluit,Macrones illud accolunt. Idem auctor Sebaſtopolim inter Phaſin, & Apſarum vult interpoſitam eſſe. Ptol.in ſitu Cappadociæ iuxta Sciſſios, ante Sebaſtopolin ἀψόρρου. i. Apſorri fluuij oſtia atque fontes ponit,necnon ibidem, in Glaucum & Lycum amnes eundem ait ſcindi. Plinius alio in loco Phaſim Apſaro dicit abeſſe ſeptuaginta quinque mill. paſſ.eiuſque loci à tergò montium Ibernam eſſe,in ora vero Heniochos,Amprentas,Lazos,&c. Eiuſdem quoque Sophronius meminit in vita S.Mathiæ his verbis. In ſecunda Æthiopia, vbi ἀποάρου. i. Apſari eruptiones ſiue oſtia & Hyſſi portus. Æthiopes autem ſecundi,quos hîc nominat,ſunt hi, qui interiores Æthiopes appellantur, qui ſunt Cappadoces, Leucoſyri dicti. Appianus Mithridatem in illa ſua fuga Colchos verſus Euphratem tranſiiſſe,

Apſarum fl.& caſtellum, Plinio Ponticos populos ab Armenis ſeparat. In Pontum influit. Macrones Apſari accolæ.

Chotenen præfecturam Armenię inuasisse, ac Chotenis, Hiberísque, qui illius iter impedire conabantur, fusis ad flumen Apsarum peruenisse dicit. Verisimile est igitur ab illo flumine & vicum istum, siue regionem, ipsúmq; castellum, cuius Plin. meminit, denominatum fuisse. Agathius lib. 3. Apsarunthæ oppidi cuiusdam in Colchorum regione siti meminit quod verisimile est sic ab isto fluuio fuisse denominatum.

Ibi enim Apsyrtum.) Alij, inter quos Ouidius, immanem hanc Apsyrti lacerationem volunt contigisse apud Tomos vrbem inde sic appellatam, Ouidii exilio claram, de qua infrá. Alij, vt Strabo lib. 7. in insulis, quas inde Absyrtidas volunt fuisse nuncupatas. Idem Plin. lib. 4. cap. 26. affirmat. Iuxta Istrorũ agrum, inquit, Cissa, Pullariæ, & Apsyrtides Graiis dictæ, à fratre Medeæ ibi interfecto nomine Apsyrto. Orpheus vult Medeam, antequã è Colchide soluisset, Apsyrtum fratrem secuisse, & in mare proiectum Nereides ad Absyrtidas insulas detulisse, quæ sunt cõtra Dalmatiam. Apollon. lib. 4. *ὑγρὸν δ᾽ ἐν γαίῃ κρύψε νέκυν: ἔνθ᾽ ἔτι νῦν περ κέαται ὀστέα κεῖνα μετ᾽ ἀνδράσιν Ἀψυρτεῦσιν.* Hoc est, humidum in terra occultauit mortuum, vbi nunc quoque illius ossa iacent apud Apsyrtenses. Infrà Arrianus ad Apsarum vsque, ceu ad Orientem à dextris Põti Euxini se nauigasse, ipsúmque Apsarum sibi terminum longitudinis Ponti visum fuisse dicit.

Apsyrti sepulchrum.) Sæpenumerò vnius hominis sepulchrum pluribus in locis offenditur: exemplo esse potest ille poëtarum princeps Homerus, cuius patriam pariter atque sepulchrum multæ sibi gẽtes vendicarunt, teste Cic. in orat. pro Archia poëta.

A barbaris corruptum.) Quàm facilè nomina à barbaris immutentur atque corrumpantur, Strabo lib. 13. exemplis quibusdam probat.

Tyana.) Vrbs, teste Philostrato lib. 1. Græca, in Cappadociæ finibus, vel (vt Strabo lib. 12. Plinius lib. 6. cap. 3.) in Tyanensi prætura sub Tauro, qui apud Ciliciæ portas est, vel, vt Stephanus vult, inter Ciliciam & Cappadociam sita, Apollonij (teste Philostrato) patria: iuxta quam, eodem teste, fons esse dicitur, quem indigenæ *ἀσβαμαῖον*, hoc est, inextinguibilem vocant. Is frigidus sanè scatet, non secus ebulliens, atque igne calefactus lebes. Huius aquam pueris, ac iurisiurandi fidem seruantibus viris aspectu placidam, gustúque dulcem esse ferunt, periuris verò ac infidis palàm aduersari. Epota oculos, pedes, manúsque peierantium, pustulis, ac totum corpus vomicis inquinat, neque illis inde discedendi facultas datur, sed ibidem permanentes coram aqua ipsa suã deplorant calamitatem, palàm sua confitentes periuria.

Thoana à Thoante.) Ouid. lib. 3. de Ponto, epist. ad Cottam,

> *Regna Thoas habuit Mœotide clarus in ora*
> *Nec fuit Euxinis notior alter aquis.*

Vide ibidem totam hanc fabulam, cuius hîc Arrianus noster meminit, necnõ apud Lucianum in Toxari. Ab hoc autem Thoante Thoanes Scythiæ populus videntur fuisse appellati.

Sequitur fluuiorum catalogus, quos Arrianus præteruectus est.

Hyssus.) Et fluuius & portus à flumine cognominatus: de quo suprá.

Ophis.) Latinè, serpens, sic forsan vel ab illius quasi serpentino, hoc est, tortuoso atque erratico flexu fluxúque, quod sit (vt de Haly Ouid.) crebro vertice tortus: vel à serpentibus qui ibi nascuntur (cuiusmodi circa Lycum aliter Rhindacum fl. esse dicuntur) appellatus. Sicuti Ophiusa insula quæ & Rhodus, propter serpentium multitudinem qui ibi sunt, dicta fuit, teste Strab. lib. 3. Huius fluuii nullam alibi mentionem fieri vidi. Plin. lib. 6. cap. 8. in descriptione gentium circa Mœotidem paludem Ophari flu. meminit, apud Cantabros populos.

Colchidem à Thiannica separat.) Nota hîc obiter, vt montium, ita flumi-

num

num hanc non esse minimam commoditatem, quòd regiones iis distinguuntur, verùm insatiabilis atque inexplebilis auri, auræque popularis fames hos à Deo ipso positos terminos transiliendi, violandíque nullum finem facit. Quæ sit ista Thiannica nescio, (forsan τυανικὴ legendum) quæ vna ex decẽ præturis Cappadociæ fuit, quam Strabo Τυανῖτιδα appellat.

Psychrus.) Ψυχρὸς, Latinè frigidus: ab aquæ frigiditate, vt est verisimile hoc nomen sortitus Ptolom. tab. 2. Asiæ in descriptione Sarmatiæ Asiaticæ, Psychri fluuij ostia ponit post Hermonassam, inter Bata portum vicúmque & Achæa vicum, iuxta quem tradunt Phthiothas Achæos ex Iasonis exercitu habitasse. Hinc Niger quoque in sua Geographia inquit, Post pagum dictũ Bata vel Bathea, Psychrus fluuius in Pontum influit, vltra quem Ligrorum atque Heniochorum litus extenditur L v. millia passuum totum importuosum, & petris asperum. Sic amnis cuiusdam qui Frigidus cognominatur, mentio fit ab historicis iuxta Aquileiam.

Calus.) Καλός. Sic proculdubio à pulchritudine, amœnitate, bonitatéve aquarum appellatus. Infrà Istri quoddam ostium Calos appellatur: aliter καλόστομα.

Rhizius.) Ῥίζιος. Ptolomæo ῥίζους Rhizus portus inter Pitinsam & Athenarum promontorium. Hinc Niger in sua Geographia, Post Trapezuntem Cissiorum quondam, nunc Lassiorum (forsan Lazorum) litus ad Orientem excurrit, & in eo Pitinsa pagus, Rhizus portus, cui Athenarum imminet promontorium, inde Cordyla oppidum, Morthula castellum. Hinc proculdubio χωρίον ῥιζαῖον dictum fuit, quod Procopius Sermone 3. de ædificiis Iustiniani, post Trapezuntinorum fines in Lazorum regione situm, Iustinianum instaurasse, validóque vallo circumdedisse dicit. Idem libro 2. De bello Persico. E petra, inquit, rectà eunti ad Austrum, Romanorum montes conspiciuntur, oppidáque hominibus frequentata Rhizæum vocatum, & Athenæ, & alia nonnulla vsque ad Trapezuntios. Ῥίζους vrbs Thessaliæ, de qua Plinius libro 4. cap. 8. Rhizei populi Strabo meminit lib. 7. Ῥίζις magnum Troglodytarũ promontorium, Ῥίζων vrbs & flumen in Illyria. Vrbis nomen Rhizus suprà Demetriadem, teste Strab. lib. 9.

Ascurus fluuius.) Huius nominis fluuium nullum apud authores positũ inuenio.

Adienus.) Ἀδίηνος. De hoc quoque summum apud authores silentium.

Zagatis fluuius.) Huius quoque nulla (quod sciam) alibi fit mentio.

Prytanis.) Sic forsan ad Prytanei Atheniensis similitudinem dictus, vbi regia Anchiali, qui (vt infrà inquit Arrianus) Machelonum atque Heniochorũ rex fuit. Plinius libro 36. cap. 15. meminit cuiusdam loci, quem Prytaneum appellat, ex eo dicit Argonautas lapidem quendam, quo pro anchora vsi sunt, sæpe profugum (vnde fugitiuus appellatus) plumbo fixisse. Ptol. de Cappadociæ situ, iuxta Cissios, inter Athenarum promontorium, & Arcadin (de quo infrà) ponit Chordulam, atque Morthulam.

Pyxites.) Prytani vicinus. Huius Plin. meminit lib. 6. cap. 4. his verbis: In ora ante Trapezunta flumen Pyxites, vltrà verò gens Sannorum, Heniochorum &c. Niger in sua Geograph. Xytina vrbs ad Cissi amnis ostiũ sita, qui ex monte eiusdem nominis oritur, à quibusdam Pixis appellatus.

Archabis.) Ἄρχαβις. Ptolomæus Ἄρκαδιν Arcadim appellans, eius ostia in Cappadociæ situ, iuxta Cissios, inter Athenarum promontorium & Apsorũ, siue proximè quidem inter Morthulam & Xylinam ponit. Hinc Niger, Ptolomæi in plerisque sectator, in sua Geograph. Cui Athenarũ imminet promontorium, inde Chordyla oppidum, Morthula castellũ, & Arcadus fluuius in mare editur.

Ab Archabi ad Apsarum.) Ptolomæus loco paulò antè dicto, inter Arcabin & Apsorrum interponit adhuc Ξυλίνlω Xylinam, & Κίσσα Cissæ fl. ostia. De Apsaro suprá.

Ab Apsaro Α'καμψιν.) Ptol. post Apsorrum (sic enim eum appellat) ponit Sebastopolim. Plin. Campseonysin vocat.

Bathys.) Βαθὺς, Latinè profundus. hoc epitheto Phasim insignit Theocritus, de quo paulò póst. Plinius Bathim appellans Campseonysi subiungit. Hinc videtur dictus Batha, siue Bathea vicus, inter quem & Achæa (vt suprà dictū) Ptolomæus Psychrum fluuium collocat. Strabo libro 11. Bata vicum & portum à Sindiaco portu & ciuitate distare ait quadraginta stad. Huius Chalcondylas videtur mentionem facere lib. 9. quū Iberiā, quam ibi describit, ab eo loco qui Bathi dicitur, & à Phaside fluuio porrigi dicit vsque Chalthichi, &c.

Acinasis fl. Α'κίνασις.) De hoc nihil alibi potui inuenire.

Isis.) Teste Arriano nauigabilis, sic forsan ab Iside dea Ægyptiaca nuncupatus. Isis quoque portus est Rubri maris, teste Plinio lib. 6. cap. 29. Isidem atque Acampsin dicit manè validas auras emittere, quas supra ex Homero frigidas esse dixit. De fluminibus quoque anauris. i. nullas auras exhalantibus suprà dictum fuit.

Mogrus.) Μώγρος. Plinius Nogrum appellat, post Campseonysim: nauigabilis est, teste Arriano. alibi nulla (quod sciam) eius fit mentio.

Phasis.) Fluuius celeberrimus, cuius elegans admodum hîc descriptio sequitur, ad quam priusquam accedam, alia quædam, quæ de hoc fluuio apud authores prodita inueni, proponam. Phasis Græcè Φάσις fluuius, vt plerique tradunt, Colchorum, vt Plutarchus (siue quisquis author illius libri) libro De fluminibus & montibus, Scythiæ est (Colchis enim sæpenumero Scythię accensetur) clarissimus, sic dictus fuit (teste Eustathio in Dionys.) à Colchide, cuius filius Colchus fuit. Alij volunt appellatum à Phasi Nympha in eū conuersa. vnde Flaccus Valerius,

> *Barbarus in patrijs sectatur montibus Euan.*
> *Phasis amore furens, pauida iacet illa pharetras*
> *Virgineo turbata metu, discursibus & iam*
> *Deficit, ac volucri vitam Deus alligat vnda.*

Plutarchus libro De fluminibus Phasim fluuium Scythiæ, vrbem quandam præterfluentem, ab initio Arcturum fuisse nominatum, nimirum à situ regionis frigidæ versus Arcturum, sed postea huiusmodi quodam casu Phasim fuisse appellatum. Phasis enim Solis, & Ocyroes filiæ Oceani filius, matrem suam in adulterio deprehensam interemit. Furore itaque Erinnyum conspectu correptus, semetipsum in Arcturum præcipitauit, vnde postea Phasis fuit cognominatus. Sed omissis fabulis, mihi videtur hoc nomen sortitus, vel à sua pelluciditate, claritatéque limpida, quam Arrianus infrà ei tribuit, quasi διαφανής: vel (cuius idem testis est) coloris illius mutabilitate, quod variæ crebræque sint illius φάσεις, hoc est, modò hoc, modò illo colore appareat Chameleontis instar. Procopius libro 2. De bello Persico, ab initio ortus sui Boam dicit appellari, hodie corrupto vocabulo Phasa. Ortum suum ducit (vt Plinius inquit, in Moschis, vt Strabo in Armenia, vt Dionysius à monte Armenio. Apollonius libro 2. eum oriri dicit ἀμαραντῶν, τηλόθεν ἐξ ὀρέων, πεδίοιό τε κιρκαίοιο, hoc est, procul ex montibus Amarantis, campóque Circæo. Amaranta autem (vt inquit Eustathius scholiastes in Apollonium) vel vrbs est in Ponto, vel montes Colchidis, vnde secundum Herodotum Phasis delabitur. Quo ignorato, Egestratus Ephesius Phasidis portus ἀμαραντίους, hoc est, ἀειθαλεῖς καὶ ἀμαράντους, id est, semper florentes reddidit. Amaranta autem esse mōtes Colchorum, Ctesias quoque libro 2. prodit. Phasis autem oritur ille quidem ex montibus Armeniæ (vt Eratosthenes inquit) sed apud Colchos in mare exoneratur. Circæum autem

locus

locus est Colchidis à Circe Æetæ sorore, aut est campus. Hæc ille. Stephanus lib. De vrbibus. Amarantos populos dicit esse inter Colchos, apud quos Phasis fluuius oriatur: vnde à quibusdam Amarantius dicitur. Procop. libro 2. Boã, ab initio dictum, ait exire extra Zanorum fines in Armeniis, qui circa Pharangium habitant. Atque hæc de illius ortu, quem ex Armenia duci inter omnes ferè authores satis constat. Hunc Plinius nauigari quamlibet magnis nauigiis triginta octo M.D. pass. vsque ad Sarapanos, inde minoribus longo spatio, centum viginti pontibus peruium esse testatur. Strabo autem libro II. per angustias castelli Colchorum centum viginti pontibus pertransiri, ac propter flexiones asperas violentum in Colchidem deferri, ex imminentibus montibus auctum multísque fluminibus impletum, postquam in campos venerit, alia in se flumina, vt Glaucum & Hippum ac Cyaneum recipere, tandémque auctum ac nauigabilem factum, in Pontum exire. Regio per quam fluit (teste Eustathio in Dionys.) siue quæ illi adiacet Phasiana, & illius incolæ Phasiani, à Diodoro, Xenophonte & reliquis appellantur. Xenophon libro 4. A Phaside quadraginta mill. pass. biduo confectis, obuios se habuisse dicit in montium verticibus Chalybas, Taochos, Φασιανοὺς, Phasianos. Hos Hippocrates libro de aere, aquis, & locis Φασιηνοὺς, id est, Phasienos appellãs, vitam agere dicit in paludibus, domos ligneas, & ex arundinibus in ipsis aquis habere extructas, neque inde multum ad emporia vrbésque prodire, verùm nauiculis quibusdam ex vno ligno fabrefactis sursum ac deorsum (quum fossas, ductúsque aquarum plurimas habeant) commeare. Aquas bibere calidas & stagnantes, à Sole putrefactas, imbribúsque auctas. Regionem illorum calidam, aquosam & densam, imbribus magnis & impetuosis obnoxiam. Ventos plurimos Austrinos, præter vnum eius regionis proprium & indigenam, Cenchrona vernacula lingua appellatum, qui calidus aliquando violenter & molestè spirat. Boreas vel rarus, vel leniter admodum. Ob hanc cæli terræque constitutionem & fructus insalubres qui ibi nascuntur, qui nunquam maturescunt, & incolæ magni, corpulenti, quorum neque iuncturæ, neque venæ apparent, colore pallido, qualis eorum qui Regio morbo laborant, lingua grauissima, ob aerẽ obscurum & humidissimũ, ad laborem à natura segnes. Anni tempora non varia habent, neq; ad ęstum, neque ad frigus mutationes. Ex hac Phasianorum Hippocratica descriptione apparet quantum cæli locíque natura ad hominum non modò corpora, verùm etiam animos variè afficiendos atque formandos momenti obtineat, de quo suprà. Fluuius hic multis nominibus clarissimus est. Primò vrbibus celeberrimis, quibus illius ripæ vestitæ atque ornatæ fuerunt. Vt Tiritace, Cygnus, & quæ (teste Plinio) in illius faucibus sita est Phasis, Polistonia hodie dicta, Colchorum (vt Strabo tradit) emporium, quod ex alia parte amni præcingitur, ex alia lacu, ex alia mari, vnde biduo triduóve Amisum, Sinopémque nauigatur. Præterea, quæ (vt inquit Plinius) maximè inclaruit, Æa quindecim mill. pass. à mari, vbi Hippus & Cyanos, siue Cyaneus vasti amnes è diuerso in eum confluunt, quæ vrbs Milesiorum est colonia: item Dioscurias, vt testatur Marcellinus, nunc vsque nota. Fluuios (vt inquit Plinius) magnitudine numeróque mirabiles recipit, inter quos sunt Hippus, Cyaneus, Glaucus, Surius. In ore eius, insulæ sunt sine nomine, eodem teste Plinio. Per hunc fluuium Argonautæ cum Iasone in Colchos nauigarunt ad rapiendum vellus aureũ. Vnde Ouid. lib. 7. Metamorph.

Multáque perpessi claro sub Iasone tandem,
Contigerant rapidas limosi Phasidos vndas.

Et idem libro 4. de Ponto,

Et quondam Grays Phasi petita viris.

De hac expeditione vide Ouid. lib. 7. Metamorph. Diodorum Siculum, Flaccũ, Orpheum, Apollonium & alios. Hinc prouerbium illud natum,

Εἰς Φᾶσιν ἔνθα ναυσὶν ἔσχατος δρόμος.i. Ad Phasim, vbi cursus carinis vltimus, cui respondet illud, Ad columnas vsque Herculis. Vnde Plinius libro 26.cap. 8. Alui, inquit, gratia ad Phasim nauigatur. Veteres enim crediderunt Scythas populorum omnium ad Septentrionem habitantium postremos esse. Hinc Theocritus,

Πεζὸς ἐς Κολχῶσιν καὶ ἄξενον ἵκετο φᾶσιν.

Phasidis autem nomẽ Synechdochicῶs pro Colchide vsurpari testis est Strabo libro 11. Sic Ouidius & alij sæpenumero pro regione Colchica, ipsáq; Medea, Phasidis nomine vtuntur. Magnam præterea, vt Euphrates, Nilus, aliíque fluuij, Phasis quoque agros fœcundandi vim obtinet. Hinc Lucanus,

Colchorum qui rura facit ditissima Phasis.

Admirabilis porrò est fluuij huius profunditas (est enim, vt inquit Procopius libro 2. De bello Persico sub finem, Si quis alius maximè profundus) vnde rectè à Theocrito βαθὺς fuit appellatus. Deinde eiusdem latitudo, quam Procopius magnam, Xenophon libro 4. Anabas. circiter viginti pass. esse dicit. nõ sine causa igitur ab Apollonio εὐρὺς & εὐρείων libro 2. dictus fuit. Denique eiusdem celeritas atque rapiditas tanta est, teste Procopio libro 2. vt in mare Euxinum prorumpens longè distinctus feratur, nusquam cæteris aquis commixtus, ita vt ex ea pura bibendi nautis in medio pelago sit facultas. Hinc optimo iure ab Ouid. rapidus dictus. Apollon. lib. 2.

Φᾶσις δινήεις εὐρὺν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει.i. Phasis verticosus lato suo fluxu in mare ruit. Hinc Marcellinus libro 2. tremebundis cursibus eum Colchos dicit attingere. Mirum itaque ab Agricola inter tardè & leniter fluentes fluuios enumerari, & ab Hippocrate in lib. de aquis, aere &c. (vnde proculdubiò Agricola suã hausit opinionem) στασιμώτατον & ἠπιώτατον ῥέοντα, id est, stagnantissimum leuissimíque fluxus appellari, de quo infrà. Celebris quoque hic est fluuius plurimis rebus, quæ in illo, vel circa illum nascuntur: cuiusmodi est tragelaphos, qui non alibi, quàm iuxta Phasim amnem nascitur. Plinius libro 8. cap. 33. aues Phasiani, Iornandi pretiosissimæ epulæ, inde sic dictæ, quòd illarũ ibi maximus prouentus, vnde ab Argonautis primùm in Græciam, atque inde ad nos putantur esse deportatæ. Vnde Martial. lib. 13.

Argiua primùm sunt transportata carina,
Antè mihi notum nil nisi nomen erat.

Columella libro 8. Plin. lib. 10. cap. 48. geminas in Colchis ex pluma aures submittere atque subrigere dicit. Phasianos quoque equos vel ab eius auis inusto insigni, vel quoniam ad Phasim equi nascuntur pulchritudine præstantes nõnulli volunt esse dictos, teste Cœlio libro 21. cap. 24. Phasiani quoque lini vt & Carthaginensis ceu præstantissimi meminit Xenophon lib. De venat. vnde ab Ouidio linosus appellatur Metamorphos. 7. Plutarchus in lib. De fluminibus baculum quendam in hoc fluuio Leucophyllon nomine dicit generari. Hunc autem inueniri in mysteriis Hecatis sub diluculum cum panico quodã furore ibidem circa initium veris. Quem viri zelotypi decerpentes abiiciunt circa thalamum virgineum, atque ita matrimonium castum inuiolatúmque conseruant. Si quis præterea hominum impiorum per ebrietatem nimis se temerarium & improbum præbuerit, ingressus in locum, vbi forsan hę virgæ fuerint, extra se raptus, ac mente captus continuò omnibus enuntiat, quæ vel fecerit, vel est facturus. Quem, qui adsunt, confestim comprehensum corio inuolutum coniiciunt in impiorum ostium (vt appellatur) est autem rotundum instar putei. Illud autem triginta post dies cadauer in paludem Mœotim eiicit, plenum vermiculis, quod ex improuiso vultus inuisibiles abripiunt, vt testatur Ctesippus lib. 2. Scythicorũ. Cui fluuio adiacet Caucasus &c. Phasim Æschylus in Prometheo soluto Europæ atque Asiæ δίδυμον καὶ μέγαν τέρμονα.i. geminum magnúmque terminum appellat, de quo infrà. Ad hunc fluuium, teste

Proco-

Procopio lib. 1. Getharum, Taunasis rex Gothorum Vesosem Ægyptiorum regem insigni prælio vicit,& inde in Ægyptum vsque persequutus est. Per eũdem Pancratius, Iberiæ rex, per Sunnos & Colchos iter faciens Trapezuntem peruenit, teste Cedreno. A Mœotide ad Phasin vsque atque Colchos expedito viatori triginta dierum Herodotus, à Chalcedone verò ad hunc ipsum fluuium quadraginta dierum iter esse, Procopius lib. 2. de bello Persico testantur. Nunc ad ea veniamus, quę ab Arriano de hoc fluuio traduntur. Phasidis aquã & leuitate, & coloris mutabilitate cæteris omnibus fluuiis, quos ipse quidem norit, dicit antecellere. Quoad leuitatem, inter omnes medicos atque philosophos constat aquas quò leuiores, eò meliores salubrioresque esse. Ægineta cum Galeno (teste Cœlio lib. 27. cap. 6.) his rationibus bonas & malas aquas cognosci testatur. Primò si hieme calent, æstate frigent: deinde si puræ, nec colore oblæso, vitiatóve, & si mala nequaquam fuerit hypostasis. item si leues sint, quando terrę permixtione non pondus arguat. Hippocrat. lib. de lacis, inter alia bonarum atque malarum aquarum indicia quatuor illas, quæ Orientẽ versus præsertim æstiuum fluunt maximè probat, quia Orientales & splendidæ sunt, & boni odoris & leues. Athen. lib. 2. Aquam, inquit, bibere oportet, quæ tenuis sit aspectu & pura, quæ pondere sit leuis & nihil terrestre in se cõtinet. Eiusmodi aqua leuis illa est, quæ citò calefit, & æquè celeriter refrigescit teste Hippocrate. Hinc Homerus quoque, eodem Athenæo teste, leuem aquam plurimi facit, Titaresium enim idcirco (de quo paulò pòst) Ponto ob suam leuitatem supernatantem ἱμερτὸν, id est, desiderabilem, magníque precii appellat. Hanc ob causam aquæ, quæ profluunt, vtiliores stagnantibus atque pigris: aquæ etiam pluuiæ, & quæ ex glacie manant, quia leuiores, meliores quoque habentur, cuius rei argumento est, quòd & ipsa glacies reliqua aqua leuior reperitur. Plin. tamen lib. 31. cap. 3. hanc sententiam improbat atque refellit. Vt igitur aquæ leues, quia minus sunt terrestres, aëri magis vicinæ, (cuiusmodi salubrem aquam esse oportere Plin. tradit lib. 31. cap. 3.) & ob id minus corruptioni putrefactioníque obnoxiæ, magis sanitati conducunt, ita contrà graues ob contrarias nimirum qualitates sanitati magis sunt inimicæ atq; infestæ. Nec tamen hîc est silentio prætereũdum Erasistratum philosophum, teste Athen. lib. 2. cap. 2. eos reprehendere, qui aquas solo pondere probant, nulla alia inuestigatione, quippe cùm Amphiarai & Eretriæ aquarum, cùm hæ sint bonæ, illæ malæ, nulla prorsus ponderis differentia reperiatur. Quemadmodum autem Arrianus Phasidis aquæ leuitatis palmam defert, ita Herod. lib. 1. Choaspis apud Susos fluentis aquam omnium leuissimam suauissimámq; esse dicit. Ex hoc fonte, idem author, solum Persarum regem, dicit bibere solitum, quem plurimi currus quatuor rotarum à mulis tracti, huiusmodi aquam ferentes in vasis argenteis sequuti semper fuerint. Idem Plin. tradit lib. 31. cap. 3. Coaspis & Eulæi aquam cõiungens. Strabo lib. 16. sub finem, & lib. 21. cap. vlt. refert Eulai aquam aliis drachma, hoc est, acetabuli mensura fuisse leuiorem. Est autem hoc iuxta Plinium parte decimaquinta. Hanc idem tradit inde afferri solitam Persicis regibus, vt ex Asso Æolica triticum ex Syria virum dictũ Chalydonium. Athenæus lib. 2. Qui fontis, inquit, Pirenes dicti in Corintho aquam ponderauit, omnibus aquis totius Græciæ leuiorem illam inuenit.

Colore mutabilis.) Huius quoque causa est summa illius leuitas: color enim aquarum ex terrestri materia prouenit. Quo igitur Phasidi aqua minus terrestris, ac per consequẽns leuior, existit, eo colore quoque mutabiliorem esse minimè profectò mirum est. Mutantur autem sæpè aquarum colores, sicut Babyloniæ locus æstate rubras habet aquas diebus 11. Et Borysthenis aqua æstatis temporibus cœrulea, siue rosacea fertur, quãuis valdè sit tenuis, ita vt in borealibus supernatet ob leuitatem: de his Athen. lib. 2. & Plin. lib. 31. cap. 5. Nilum quoque aiunt colorem mutare. Leuitatis autem duplex signum affert.

Primò, quia id libra siue statera posse cognosci tradit. Aquaticarum librarum, & dioptrarum alicubi fit mentio. Ea verò instrumenta sunt aquarum dicata librationibus, vbi perducenda sunt ad mœnia. Libratores autem apud Tacitum sunt vibrandis talis milites destinati, apud Frontinum, qui aquas librant ad libellum. Cœl. lib. 27. cap. 6. Alterum argumentum, quia mari supernatat, quod illustrat exemplo Tilarchij Peneo innatantis. Leuior est, teste Arist. omnis aqua non solùm in fluminibus, sed fontibus ac puteis, quæ supernatat, sicut grauissimæ, quæ in imo. Eadem enim ratio partium, quæ totius. Descendunt enim quæque grauia, quæ autem leuia, supernatant. Hinc Plin. lib. 2. cap. 103. Dulces quædam, inquit, aquæ inter se supermeant alias. Vt in Æacino lacu inuectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Seuinno Ollius, in Lemano Rhodanus. Dulces mari inuehuntur leuiores haud dubiè. Ideo & marinæ, quarum natura grauior, magis inuecta sustinent. Hęc ille. Idē lib. 31. cap. 5. (quod hîc de Phaside Arrianus tradit.) Borysthenem omnium fluuiorum leuissimum esse, affirmat, quoniam Hypani innatat, & tamen (id quod est mirabile) Austris flantibus Hypanim fieri superiorem. Hoc argumentum leuitatis aquæ Phasianæ illustrat simili Titaresii fluminis, qui Peneo ob nimiam leuitatem innatat. Verba Homeri, quæ hîc attingit Arrianus, de istis fluuiis Iliad. γ. integra sic se habent.

Οἵ τ' ἀμφ' ἱμερτὸν Τιταρήσιον ἔργ' ἐνέμοντο,
Ὅς ῥ' ἐς πηνειὸν προΐει καλλίρροον ὕδωρ,
Οὐδ' ὅγε πηνειῷ συμμίσγεται ἀργυροδίνῃ,
Ἀλλά τέ μιν καθύπερθεν ἐπιρρέει ἠΰτ' ἔλαιον,
Ὅρκου γὰρ δεινοῦ στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.

Huic ceu optimus interpres Lucanus concinit hoc modo.

Solus in alterius nomen cùm venerit vndæ,
Defendit Titaresus aquas, lapsusq; supernè
Gurgite Penei pro siccis vtitur aruis.
Hunc fama est Stygijs manare paludibus amnem,
Et capitis memorem fluuij contagia vilis,
Nolle pati, superumq; sibi seruare nitorem.

Hunc alii vocant εὐρώτην Eurotam, teste Strabone lib. 9. Idem author idcirco illum ab Homero Titaresium dicit appellatum, quoniam promanat ex monte Titaro, qui Olympo est contiguus. Hanc præterea idem subiungit rationem, cur in superficie natet, quoniam Penei aqua est pura, vt Titaresii pinguis ex quadam materia, quam ob causam ei non commiscetur, sed supernatat. Hæc ille. Eustathius in eūdem Homeri locum duplici de causa hoc fieri existimat, nimirum vel ob aquæ leuitatem, id quod accidit fluminibus mare ingredientibus, vel ob viscosam atque metallicam quandam tenuitatem. Plinius eadem de re sic elegantissimè differit lib. 4. cap. 8. Et ante cunctos claritate Peneus ortus iuxta Gomphos, intérque Ossam & Olympum nemorosa conualle defluēs D. stadiis, dimidio eius spatio nauigabilis. In eo cursu Tempe vocantur quinque mill. pass. longitudine, & fermè sesquiiugeri latitudine, vltra visum hominis attollentibus se dextra leuáque leniter conuexis iugis. Intus sua luce viridante allabitur Peneus, viridis calculo, amœnus circa ripas gramine, canorus auium concentu. Accipit amnem Euroton, nec recipit, sed olei modo supernatantem (vt dictum est ab Homero) breui spatio portatum abdicat, pœnales aquas dirísque genitas argenteis suis misceri recusans. Idem Plin. lib. 2. cap. 103. nigras oues ab hoc fluuio dicit effici.

Olei instar.) Oleum enim sursum petere ipsa experientia manifestum est, humidū siquidem alicui admixtū, in superiores se è vestigio partes recipit. Atque adeò in ipso oleo, quod superfluit, optimum indicatur, quia aëreū, ac proinde sursum petit. Vide Cœl. lib. 28. c. 25. vbi hinc dicit apparere olei leuitatē, quia omnibus supernatat. Nō etiam hic est omittendū, quosdā esse fluuios olei

instar

instar pingues, oleóque stillantes: exempla vide apud Eustathium in hunc Homeri locum, necnon Athenæum lib. 2. Agricolam lib. 1. de natura eorum quæ effluunt ex terra. Strabo quoq; prope Ochum fluuium à nonnullis fodiëtibus olei fontem inuentum esse, necnon in Carchedoniorum regione fontem esse, cuius id quod imminet oleo est simile, nigrius tamen colore tradit. Sciendum quoque est præter illum Thessaliæ alium esse eiusdem nominis fluuium qui in Pontum influit, cuius Ouid. meminit lib. 4. de Ponto:

Huc Lycus, huc Sagaris, Peneusq́;, Hypanisq́;, Cratésq́;.

Huius Plin. quoque meminit. A Phaside, inquit, centum mill. pass. gens Sannigarum, oppidum Cygnus, flumen & oppidum Penius. Tametsi eo in loco alii Panisum, cuius & Plinius & Strabo meminit, pro Penio legendum existimant, alii Pithyum, forsan quia idem locus, qui inter Sebastopolin est, (quæ & Dioscurias dicitur) & gentem Heniochorum in interiore Pōti sinu πιτοῦς: à Strab. libro 11. appellatur. Ego potius cum aliis communem, quæ in omnibus codicibus reperitur, Penii lectionem seruandam esse existimaui, quippe quum eius dem fluuii ab Ouid. fiat mentio.

Summam fluminis aquam dulcem, imam salsam esse dicit ipsa experientia comprobari. In promptu ratio est, quia dulcior ceu leuior sursum, salsior quia concretior ac per consequens ponderosior, deorsum vergit. Sic in Mileto fontem eum Aristobulus Cassandrenus tradit, cuius fluentis aquæ superiores sunt dulcissimæ, inferiores salsæ. is verò Achillæus vocatur, quòd (vt Milesii dicūt) heros ille his aquis se asperserit, quum interfecit Strambelum Lelegum regē. Hæc Agricola, qui pluribus disputat de aquarum saporibus. Problema 30. Arist. sect. 23. est, cur mare superius calidius & salsius sit, quàm inferius, & puteis quoque potu idoneis pars superna salsior sit quàm ima, cùm cōtra esse debuerit, quippe cùm grauius sit quod salsum. Rationem reddit probabilem admodum, quia aër & Solis vis partem humorum supernam quæ dulcissima simul & leuissima est assiduè detrahit, vnde id quod residuum manet, semper est salsius. Sed tamen idem author eadem sect. probl. 6. Maris eius, quod ad lacus similitudinem accedit (cuiusmodi Ponticum hoc esse ibidem asserit) partem summam, quæ innatat, dulcem: quæ verò in imo est salsam esse confitetur, id quod de Phaside quoque hoc in loco Arrianus tradit, ac de Ponto ipso suprà pluribus dictum fuit. Dulcedinis porrò Pontici maris admirandæ, præter ea, quæ superius commemorata sunt testimonia, præstantissimi Theologi S. Ambrosii, ambrosia & nectare, vt est in prouerbio, iure optimo alendi, testimonium elegantissimum sanè, & ad superiorem illam nostram generalem Pontici maris descriptionem confirmandam per quam est accommodatum, minimè silentio videtur esse prætereundum, quod quidem ita se habet. Quid autē rationabilius hoc piscium transitu? Cuius rationem quidem verbis non explicant, sed factis loquuntur. Pergunt enim æstatis tempore ad fretum Ponti: eo quod reliquo maris sinu hic sinus dulcior sit. Non enim tàm diu Sol eo freto, quàm diu cæteris immoratur: eáque fit causa vt non omnem aquam exhauriat, quæ dulcis atque potabilis est. Quis autem ignorat, quod etiam ea quæ marina sunt, aquis plerunque dulcibus delectentur? Denique dum flumina sequuntur, & ad superiora ascendunt, frequenter alieni pisces generis capiuntur in fluuiis. Quum hæc igitur causa Pontum illis faciat gratiorem: vel quod æstus temperet solennis illic flatus Aquilonis: tum opportuniorem cæteris indicant, in quo generare, & partus possint proprios enutrire: quod teneri fœtus laborem alienæ regionis ferre vix possint, quos illic fouet aëris blanda clementia. Itaque peracto munere, omnes simul eo quo venerant agmine reuertuntur. Quænam ista sit ratio consideremus. Obiectus est Ponti sinus Boreæ, cæterorúmque ventorum violentissimis flatibus: vnde grauis illic procella furit, & tempestates mouentur, ita vt de profundo arena verratur: cuius rei fluctus

arenoſus indicio eſt. Qui ventorum motu inſurgens altius, tum pondere grauior: haud dubiè non ſolùm nauigantibus, ſed etiam maritimis ipſis animantibus intolerabilis habeatur. Accedit illud quod complurima & maxima Ponto flumina miſceantur: cùm hyberno tempore ſinus ipſe frigidiore torrentium rigeſcat allapſu. Propterea piſces tanquam arbitri fluentorum æſtate, illic aſpirantis auræ clementiam captare conſueuerunt: cuius amœnitate perfuncti, rurſus hyemis aſpera declinare contendunt: & Septentrionalis plagæ ſæua fugientes, in reliquos ſe ſinus conferunt, in quibus aut ventorum mollior ſit placiditas, aut Solis ſoleat vernare temperies. Nouit igitur piſcis pariendi tempus, quod pro magno myſterio dixit Salomon in ſapientia, Nouit tempus eundi atque redeundi, nouit tempus perfunctionis & iactationis: & nouit vt non queat falli: quo non rationis æſtimatione, & diſputationis argumento vtitur, ſed inſpiratione naturæ, quæ vera eſt magiſtra pietatis, &c. O Theologũ hoc nomine digniſſimum, qui non modo metaphyſicarum, hoc eſt, diuinarum atque cœleſtium, verùm etiam phyſicarum, hoc eſt, naturalium rerum ſingulari quadam ſcientia inſtructus ſuo exemplo ſatis ſupérque docet, quanta phyſices atque metaphyſices affinitas atque cognatio ſit, cenſeríque debeat.

Quàm mare externum.) Τὸ μὲν ἔξω τῆς οἰκουμένης ἀτλαντικὸν καλεῖται, καὶ ὁ Ὠκεανὸς περιρρέων ἡμᾶς. Ariſtot. lib. de Mundo cap. 3. hoc eſt, mare extra orbem terrarum habitabilem, Atlantium ſiue Oceanus nos circumfluens.

Fluuij innumerabiles.) De hoc ſuprá. Pôtus eſt receptaculum infinitorũ fluminum, ita vt quòd in Sacris literis vniuerſo mari tribuitur, quòd nimirum flumina in illud intrent, indéque rurſus exeant, Ponto κατ᾽ ἐξοχὴν conuenire videatur. Atque hinc tanta eius dulcedo. Nam ſi, vt hoc quoque ſuperioribus addam, vel vnicus fluuius in alterum influens eius colorem pariter atque ſaporem mutare ſolet (vt exempli gratia) fontis perexigui riuulus miſtus Hypani, qui eſt ingens flumen Ponti, id amaritudine ſua inficit, quid mirum ſi tot tantáque flumina in mare hoc irrumpentia tantam illi dulcedinis acceſſionem afferant?

Neque multitudine atque magnitudine σταθμητοί.) Vox Arriano familiaris. Sic infrà Coronas marinas atque mergos ait non eſſe σταθμητοὺς τὸ πλῆθος, hoc eſt μετρητοὺς menſurabiles.

Si argumentis eſt opus.) Nam in iis quæ ipſo ſenſu percipiuntur ac deprehenduntur, ſuperuacaneum videtur eſſe argumenta adhibere. Videtur hìc vt Stoicus Peripateticorum atque Academicorum (quibus cum Stoicis perpetua fuit lis atque controuerſia) ἀκαταληψίαν perſtringere. Aquam Ponticam dulciſalſam (cùm merè ſalſa non ſit πότιμος) pecoribus magis prodeſſe teſtatur, quàm omninò dulcem: nam, vt ſupra dictum, hi duo ſapores bona probáque proportione mixti plurimum ad benè nutriendum ponderis atque momenti habent. Sal, vt hoc quoque ſuperioribus addam, cùm & pingue ſit ſuapte natura (de quo Ariſtoteles ſectione 23. problem. Macrob. libro 7. Saturnalium. Plin. lib. 2. & terreſtre, calidum, aduerſus ſtomachi faſtidium, omnem denique corruptionem putrefactionémque optimum remedium, non eſt mirum, Ponticam hanc aquam, cuius ſalſedo dulcedine (cui primæ in nutriendo tribuuntur) optimè temperata eſt, pecoribus alendis nutriendíſque plurimum conducere. Adde quòd conſuetudo, vt vulgò dicitur, quaſi altera eſt natura, & vt inquit Galenus lib. 3. de temperatura, πλεῖστον δύναται τὰ ἔθη, καὶ φύσεις ἐπίκτητοι .i. plurimum pollet conſuetudo & naturæ acquiſititiæ. Sic enim ſuprà dictum ipſa venena quotidie, præſumptis tamen remediis, hauſta, Mithridati conſuetudine innoxia fuiſſe. Huc facit illud Lucretij,

Præterea mihi veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget,
Quippe videre licet pingueſcere ſæpe cicuta,

Barbigeras pecudes,homini quæ eſt acre venenum?

Color Phaſidis.) Optima aqua iudicatur à philoſophis, quæ colore,odore atque ſapore caret. Aquarum autem vt odores atque ſapores,ita colores quoque pro diuerſitate terrarum per quas fluũnt,metallorum,rerúmque metallicarum quibus commiſcentur,varij ſolent eſſe.Suprà dixit colore eſſe mutabilem.

Nefas alienam aquam importare in Phaſim, quod qui negligunt,creduntur aduerſa vti nauigatione.Hoc ſuperſtitione quadam factum eſt,qua Ethnicis flumina legimus fuiſſe culta,quibus etiam iconas atque ſimulachra dicare conſueuerunt,de quo vide Cœlium libro 17.cap.33. Seneca magnorum fluminum capita iuſſit venerari.Cœl.lib.27.cap.5.Hunc itaque maximum atque celeberrimum fluuium Phaſim colentes,illum ceu ſacroſanctum aliena aqua miſceri,quum ita pollui exiſtimarent,nefas duxerunt. Simile mihi ferè huic ſuperſtitioni videtur fuiſſe illud apud Perſas aquæ ſacrificium, quod Strabo lib. 15.hoc modo deſcribit: In lacum,vel flumen, vel fontem venientes,ſcrobem faciebant,ibíque hoſtiam iugulabant ſumma cautione adhibita, ne quid proximæ aquæ ſanguine contingatur,tanquam omnia polluturi,poſtea carnibus ſuper myrto lauróve impoſitis,eas magi ſubtilibus virgis comburebant, & factis imprecationibus quibuſdam,oleum lacte ac melle mixtum inſpergebant, non in ignem,nec in aquam,ſed in terram,imprecationes deinde,faſciculum virgarum myricinarum tenuium tenentes, faciebant. Hæc ille.

Non fœliciter nauigare.) Non minus enim Ethnici illi priſci ſuæ ſuperſtiſtionis,quàm nos veræ religionis neglectæ violatæque nomine homines graues pœnas luere ſibi perſuadebant. Huc faciunt Valerij Maximi exempla de neglecta religione. *Religionis violatæ pœnæ.*

Aqua Phaſidis putredinis expers.) Hoc illius partim leuitati aereæ,partim vero rapidiſſimo curſui videtur eſſe acceptum ferendum.Nam(teſte Cardano libro 2. De elemẽtis) leuiſſimæ aquæ in omni genere tutiores, & ſerius putreſcunt:ſunt enim minus humidæ,magíſque concoctæ à cæleſti calore,quo fit vt quò ſunt ſicciores, & minus etiam frigefaciunt (viciniores enim aeris ſubſtantiæ ſunt) eò leuiores ſint, difficiliúſque putreſcant, vnde longè etiã ſalubriores. Idem libro 13.De ſenſibus & ſenſilibus,lauri folia dicit non ſolùm piſces,ſed etiam aquam iam corruptam emendare, innoxiámque ac beneuolentem reddere. Hippocrates tamen in libro De aere,aquis & locis,& Phaſidis accolas dicit aquas calidas,& ſtagnantes,bibere,quæ & à Sole ſunt putrefactę, & ab imbriũ caſu auctæ: & ipſum fluuium Phaſim omnium fluuiorũ ſtagnantiſſimum eſſe teſtatur, quíque lentiſſimo curſu profluat. Quomodo hæc conueniunt cum eo quod Phaſidis aquam Arrianus vel ad decimum vſq; annum ſaluam incolumémque permanere dicit,quum ſtagnantes aquas putrefactioni maximè obnoxias eſſe conſtet, deinde cum eo quod alij authores omnes quos viderim,celeritatem rapiditatémque illi tribuunt cum Hippocrate,illius curſum lentiſſimum eſſe dicat?Quoad prius leuitatem illius extremã (quæ teſte Arriano vincit ac ſuperat reliquos omnes fluuios) in cauſa eſſe dicimus,vt licet ſit ſtagnantiſſima, tamen incorrupta, putrefactioníſque expers tam diu permaneat. Adde quòd,teſte Athenæo libro 2.cap.2. In Cappadocia quoque fertur aqua optima eſſe & plurima, quæ non corrumpitur,etiamſi nõ fluat,niſi currat ſub terram.Quoad ſecundum:fieri poteſt vt quibuſdam in locis lento,in aliis verò citiſſimo rapidiſſimóque curſu feratur, præſertim vbi in Pontum delabitur:nam ſcriptores circa illius oſtium maximè rapidum violentúmque affirmant.

Phaſidis aqua cur putrefactionis expers.
Leuitas aquæ prohibet putrefactionem.
Obiectio. Hippocrates Phaſidem ſtagnantiſſimũ, leuiſſimique curſus appellat.
Solutio.
Aqua in Cappadocia ςάσιμος putrefactionis expers.

Niſi quòd ad dulcedinem declinat.) Vt colores ſæpe aquarum (ſicuti de Phaſide Arrianus teſtatur)ita ſapores quoque mutantur: nam dulces vertuntur in ſalſas,quod olim contigit in Caria amni, qui erat ad templum Neptu-

Aquarum ſapores mutantur. Dulces in ſalſas, & contrà mutantur.

Exempla. ni,dulces in amaras, quod quum Georgius Despota Mœsis imperaret,accidit in Thracia inter Philippipolim & Adrianopolim fonti, qui Regius vocatur: nec aquas fontium amaras & salsas modò mutatas esse scribit Theophrastus, sed etiam totos fluuios ad Citheronem in Bœotia, quas mutationes naturæ vis effecit.Hæc Agricola lib.1.De natura eorum quæ ex terra,&c. His possumus addere Mœotidem paludem,quam ab initio salsam tandem in dulcedinẽ desiisse testantur historici:item Ponticum hoc mare,quod suam salsedinẽ cum dulcedine commutauit:ipsum denique mare vniuersum,quod ab initio dulce à Deo Opt.Max.creatum,tandem progressu temporis salsum factum esse Scaliger sibi verisimile esse testatur.

Mœotis. *Pontus.* *Mare vniuersum ab initio dulce.*

Sequitur Phasianæ deæ descriptio,quam à sinistra Phasim intrãtibus ait apparere. Vetus hæc fuit & antiqua Ethnicorum consuetudo(cuiuis qui vel summis labris historias eorum degustauit notissima) qua illi maria & fluuios certis quibusdam diis consecrare,simulachra atque altaria in iis erigere atque dedicare,illorum opem auxiliúmque in nauigationibus suis sacris quibusdam faciendis,atque precibus ambire ac implorare consueuerunt. Huius rei illustre exemplum est Phasiana hæc dea,quam Arrianus ex illius habitu atq; forma,Rheam illam magnam deorum matrem fuisse existimat. Dicta autem fuit Phasiana dea,ceu Phasidis fluuij eorúmque qui illum nauigando obirent,custos,patrona, ac tutelaris dea,quam in tempestatibus inuocare atque precari solebant.Mela,Post Phasim fluuium,inquit,& vrbis nomen.Hîc Phryxi templum & lucus,fabula veteris pellis aureę,nobilis.Strabo libro 11.Secus hæc flumina(Phasim,Glaucum,Hippum)in Colchica regione est Leucotheæ fanum, quod Phryxus condidit atque illius oraculum,vbi aries non mactatur, id olim diues erat,ætate autem nostra à Pharnace,paulò pòst à Mithridate Pergameno direptum est. Argonautas certè constat Rheam deam maximè veneratos fuisse.Nam præter hunc locum,cuius hîc ab Arriano fit mentio,duobus potissimum in locis Argonautas Rheæ templa, aras ac statuas consecrasse legimus. Primò apud Bosporum,cuius Dionysius facit mentionem his verbis:Est etiam templum deę Phrygiæ sacrum,illustre & publicè cultum,illo in loco vbi Iason duodecim diis sacrificauit.De quo sic Gyllius oculatus eius templi locíque testis:Templum,inquit,Phrygiæ deæ matris Deorum, Rheæ nuncupatæ, in cliuis debuit potius esse, quàm in maritima planicie, ex eo quòd montibus gaudeat,ideóque ὀρεία appelletur,& turrita dea:quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur,in montibus sitæ essent ob loci robur.Rheam habentem caput turritum mulieres Cilices,& Turcicæ,& Mysiæ imitantur ferentes capitis tegmẽ turris similitudinem gerens.Idque illius templum mihi videtur fuisse in his locis,vbi hodie duæ ædes sacræ sunt:altera diui Nicolai,altera diuæ Mariæ. Iasonem excitasse aras Rheæ verisimile est,cum duodecim diis in contrario litore excitaret,præsertim Argonautis Rheam maximè venerantibus. Deinde eiusdem statuam constituerunt in Dindymo monte eminenti supra Cyzicum, quæ Dindymena Rhea similiter leones habebat. Huius templi atque deæ Apollon.mentionem facit 1.lib.his verbis,

Αἰσονίδη χρείω σε τόδ' ἱερὸν εἰσανιόντα.
Δινδύμου ὀκρυόεντος εὔθρονον ἱλάξασθαι
Μητέρα συμπάντων μακάρων,λήξουσι δ' ἀέλλαι
Ζαχρηεῖς.

O Æsonides hoc te oportet templum ingredi
Dindymi asperi,pulchra sedentem in sella,vt places
Matrem omnium beatorum,túncque cessabunt fluctus
Graues.

Hoc templum suprà ex Cedreno dictum est à Iasone, numinis ob interfectum Cizyum Hellesponti regem placandi gratia ædificatum fuisse, & ex Apollinis

nis oraculo Rheæ,postea à Zenone diuæ Mariæ dedicatū fuisse. Zozimus autem præterea tradit Rheam illam Dindymenam vnà cum leonibus à Cõstantino Magno in forum Byzantinum fuisse translatam.

Hanc autem Phasianam deam fuisse Rheam,ex habitu coniectatur,quē describit.

Sub Throno.) Vnde ἔνθρονος ab Apollonio. Hunc illius habitum, simúlque eius interpretationem allegoricam, vide Giraldum in libro De diis Gentil.

Anchora Arge.) Hanc anchoram(vt inquit Gyllius)verisimile est fuisse reliquias illius anchoræ, quam Deilochus tradit Argonautas accepisse à promontorio Ancyreo Bospori. Sinum illum,quem claudit promontorium Ancyreum,vulgus Græcorum appellat ἁγίου Σιδήρου,ex eo fortasse quòd ibi aliquando fuit ædes diui Sideri,quem nautæ venerantur,vt sacram anchoram, quam idem vulgus appellat σίδηρον.

Lapideis.) Plinius libro 36.cap.16. testatur in oppido Cyzico lapidem eū fugitiuum quo Argonautæ quum pro anchora fuissent vsi, eum ibi reliquerūt. Hunc è Prytaneo(ita vocatur locus)sæpe profugum fixere plumbo. Antiquissimis autem(vt testis est Gyllius)heroicarum ætatum temporibus vsos anchoris lapideis fuisse incredibile videri non debet, quum nostra ætate multæ nationes non modò in vltimis terris nuper cognitis sitæ,sed etiam in recessu intimo Arsinoitico sinus Arabici,non modò anchoris lapideis Arabes Æthiopésque,sed etiam nauibus omnis ferri expertibus nauigent,&c.

Sequitur descriptio castelli,quod iuxta Phasim fuit,validissimi:de huiusmodi autem castellorum riparensium vsu,suprà ex Lazio dictum.

Milites trecenti.) Limitanei,ad imperij limites tuendos ibi collocati.

Murus olim terrestris.) Non mirum est Arrianum de ædificio istius castelli tam diligenter accuratéque scribere: fuit enim Adrianus architecturæ peritissimus,simul atque studiosissimus, cuius multa sacra pariter atque prophana ædificia fuerunt,vt historici testantur.

Fossam aliam duxi.) Ex hoc & aliis locis apparet Arrianum cum potestate quadam Proconsulari, siue præsidali has regiones obiisse.

Chariens Χαρίεις *fl.)* Sic forsan dictus,quia amabilis, amœnus, iucundus, lenis:ea enim Græci huius nominis vis est atque potestas.

Inde post Phasim.) Aliud flumen Charien.Gensalæ antiquis Phthirophagi dicti,& Suani. Ptolomæus Χάριστον Charistum appellat,quem tabula tertia Asiæ in Colchidis situ inter Geapolim & Phasidem collocat. Quid si sit Rhiocharus fluuius,quem Strabo libro 11.in Colchidis finibus,non procul à Dioscuriade labi testatur. Alibi nulla(quod sciam)eius fit mentio.

Chobam.) Χῶβος.Hic(teste Plinio)è Caucaso per Suanos fluit,inter Charica & Rhoam fluuium. Fluuium hunc auriramenta ferre, quod Soanes eius accolæ aureis velleribus(vnde fabula illa nata) excipere soliti fuerūt,vt suprà dictum est.Fluuius hic nobilis est indignissima Gubazis Lazorum imperatoris cæde,quæ Martini & Rustici dolo atque fraudibus apud illum designata fuit, de quo Agathius lib.5.quum Chobum appellat. *Gubazes Lazorū dux occisus iuxta Cobum.*

Quæ ibi egerimus, ex Latinis.) Harum suprà quoque mentio facta est,in quibus proculdubiò suę legationis,siue muneris atque officij,rerum à se gestarum,denique eorum quæ ad Imperatorem Adrianum imperiúmque pertinebant,illum certiorem fecit. *Literæ Latinæ Arriani.*

Siggamen. Græcè Σιγγάμης fluuius. Plinius Sigamiam appellat post Rhoam. Ptol. Σιγάνεον Siganeum oppidum,sic (vt est verisimile,à fluuio dictū) inter Cyaneum fl.& Neapolim collocat. *Siggames fl.*

Tarsuras.) Ταρσούρας à Plin.Tersos dicitur. *Tarsuras fl.*

Hippus.) Ἵππος.Forsan ab equi similitudine sic nuncupatus. Adde quòd *Hippus fl.*

veteres (teste Cœlio) fluuios cùm humana, tum brutorum quoque animalium specie ac forma effingere atque exprimere soliti sunt. Hunc fluuium vnà cum Glauco ex vicinis montibus cadentem in Phasidem influere suprà quoque dictum fuit ex Strab. lib. 11.

Asteleph⁹ fl. *Astelephus.)* Α'ςέλεφος. Hæc vox corium significat quo cythara integitur, ab illius forsan similitudine sic dictus fuit. A Plinio Atelpos dicitur, quē inter Terson (qui Arriano nostro est Tarsuras) & Chrysorrhoam ponit: alibi nulla (quod sciam) illius fit mentio.

Fluuij quorū alibi nulla fit mentio. Hic est catalogus fluuiorum, quos se in hac sua nauigatione obiisse atque præteriisse dicit, de quorum nonnullis nullam prorsus: De aliis verò, admodum perexiguam mentionem fieri dictum est. Sic Ouidius quoque in illa sua enumeratione fluminum quæ Pontum influunt, quædam recenset, de quibus multum se torquent interpretes, propterea quòd eorum nulla alibi fit mentio, illis quidem nominibus, quibus ab Ouidio insigniuntur: cuiusmodi *Crates. Corax. Nomas fl.* est Crates, quem nonnulli Coracem esse existimant. Est autem Corax fluuius in ora Pontica dextra, non longè à Calpa, vt docet Ptolom. Alij legunt Hypanísque Nomásq;. Est autem Nomas fluuius in Scythiam profluens, de quo sic Valer. Flacc. lib. 4.

Ister.

Non septem gemini memorem quas exitus Istri,
Quas Tanais, fluuiúsque Lyces, Hypanísque Nomásque
Addat opes, quantósque sinus Mœotica laxent,
Æquora: flumineo sic agmine fregit amari
Vini, salis.

Coretus lacus Mœotis. Alij, Hypanísq;, Coretus. Est. n. Coretus lacus Mœotis (vt docet Plin. lib. 4.) vel est sinus Mœotis, vt alij volunt. Alij legunt, Hypanísque Gerhúsque, qui fluuius Basilidas, & Nomadas separat. Alij Hypanísque Bugésque (mendum teste Hermolao, Zuces, siue Byzes legendum) qui recipit amnes Bugem, Gerhū, Hypanim, ex diuerso venientes tractu. Plin. lib. 4. cap. 12. Alius fluuius, cuius Ouidius meminit, est Cynapes, vbi in aliis exēplaribus Niphates legitur, qui est mons Armenius, teste Strabone, Stephano, Mela, Plinio, Solino, Virgilio. Alij *Cynapis fl.* (siue Cynaphis, siue potius Cynapis sit legendum) nihil immutandum esse te-*Dyrapses fl.* merè existimant. Alius item ab illo cōmemoratur Dyrapsos, siue (vt alij legunt) Dyrapses. Horum trium fluminū nimitum Cratis, Cynapis, Dryaspis nulla fit *Fluuiorum variæ mutationes.* alibi mentio. Nam vt omnes res humanæ mutantur (vt ille inquit) in horas, ita fluuiorum quoque (quorum etiam imagine rerum humanarum inconstantia atque mutabilitas depingi à Sacris pariter atque prophanis authoribus cōsueuit) non modò secundum ortus suos atque interitus, incrementa & decremēta, loca, qualitates, verùm etiam nomina creberrimæ solent esse mutationes. Vnde magnæ sæpe apud authores perplurésque dubitationes exoriri solent.

Arriani in suo munere diligētia Rursus nunc exponit Arrianus munus suū quod in castelli huius muro, fossis, commeatu, ægrotis, equitibus denique præsidiariis inspiciendis ac exercēdis, stipendiísque persoluendis, obierit. ex quo rursus & munus, potestatémq; *Adriani studiū in obeundis ac perlustrādis Ro. prouincijs.* quandam illi ab Adriano commissam fuisse, & quanto cum studio atque diligentia illam administrarit, apparet. In hac autem re strenuū se domini ac imperatoris sui æmulum & imitatorem præbuit, cuius (vt suprà quoque dictum fuit) quanta præ cæteris omnibus imperatoribus solertia, industria, opera, labórque in omnibus Romani imperij prouinciis, earum vrbibus, castris, præsidiis militaribus perlustrandis extiterit, omnes historici satis supérque testantur. O vtinam non tanta hodie esset contrà Principum atque Magistratuum nostrorum in hac illorum muneris officiíque parte non minima, negligentia, *Exercitatio equestris cuiusmodi fuerit.* securitas atque socordia. De his autem quæ hîc commemorantur, suprà satis dicta sunt, nisi quòd exercitij equestris (cuius hîc fit mentio) quæ fuerit ratio

tio non expositum fuit. Nam vt pedites, ita equites quoque suum peculiare quoddam exercitationis genus (quod hîc attingit) habuerunt: de quo sic Lazius lib.6. Porrò habebant apud Romanos & equites suum exercitium, hoc est, campicursionem vt pedites, quo exercebantur ad sciētiam rei militaris. quemadmodum refert Vegetius lib.1.cap.18. Non tantùm autem à tyronibus, sed etiam à stipendiariis militibus salitio equorum districtè est semper exacta. Quē vsum vsque ad hanc ætatem, licet iam cum dissimulatione, peruenisse manifestum est. Equi lignei hyeme sub tecto, æstate ponebantur in campo. Super hos iuniores primò inermes, dum consuetudine proficerent, deinde armati cogebantur ascendere: tantáque cura erat, vt non solùm à dextris, sed etiam à sinistris partibus, & insilire & desilire condiscerent, euaginatos etiam gladios vel contos tenentes. Hoc enim continua meditatione faciebant, scilicet vt in tumultu prælii sine mora ascenderent, qui tam studiosè exercebantur in pace.

Vrbes multæ Sebastæ & Augustæ dictæ.

Sebastopolis.) Plurima hinc inde oppida atque castra à Romanis Imperatoribus vel ædificata, vel instaurata, aucta, amplificata, exornata, vel Cæsarea, vel Augusta, siue quod idem valet Græcè, Sebasta appellata fuerunt, à Romanis nimirum Imperatoribus, quorum hæc duo Cæsaris & Augusti siue Sebasti Græcè, iam inde à duobus illis primis, solennes atque honorifici tituli fuerunt. Sebastopolis autem à Ptolemæo duplex statuitur. Prima Ponti Cappadociæ iuxta Cissios, cuius hîc fit mentio. Altera Ponti Galatini mediterranea. Quoad verò hanc Sebastopolim illa, vt Plin. inquit, castellum à Phaside centum mill. pass. abest, iuxtà gens Sannigarum. Iustinianus in Nouellis Constit.28. de moderatore Hellenosponti, Pitius enim, inquit, ex Sebastopolis, inter castra potius, quàm vrbes numerandæ sunt, vt intra hosce terminos vterque polus cōn sistat. Procopius autem sermone 3. de ædificiis Iustin. Sebastopolim, cùm prius fuisset φρȣ́ριον. i. castrum siue castellum, muro aliísque munitionibus ἐνάλωτον (εὐάλωτον videtur legendum). i. expugnatu facile, vel potiùs (quod magis placet) ἀνάλωτον. i. inexpugnabile, Iustinianum dicit, cùm plateis, aliísque ædificiis exornasset, vrbem pulchritudine pariter atque magnitudine, inter easquę hodie sunt ἀξιολογωτάτην. i. clarissimam celeberrimámque reddidisse. Hanc itaque Chalcondylas lib.9. Mencaliorum (Mengrotiorum alij legunt) atque Dadianni metropolim fuisse dicit.

Sebastopolis duplex. *Sebastopolis descriptio.*

Sebastopolis olim Dioscurias.

Sebastopolis olim Dioscurias dicta.) Vrbs hæc rerum humanarum fragilitatis atque incōstantiæ, rotæ instar volubilis, illustre exemplum: quæ cùm primò vrbs fuisset amplissima, postea castellum tantùm, tandem rursus, vt ex Procopio didicimus, vrbs celeberrima euasit. Fuit autem Dioscurias vrbs à Castore atque Polluce cum Iasone Pontum ingressis, vel vt alij tradunt ab illorum aurigis (quos nonnulli Thestionem & Amphilonem, vt Plinius, Solinus, alii, vt Strabo Rhecam & Amphistratum, alii, vt Marcellinus testatur, Amphitum & Telchium Spartanos nominant) condita. Emporium olim vt Plinius ex Timosthene tradit adeò clarum & celebre extitit, vt 300. in illud nationes, quæ dissimilibus linguis vterentur, mercaturæ gratia confluere sint soliti, ita vt tot quoque ferè interpretum opera Romanis ad sua ibi negotia gerenda opus fuerit, quod tamen Straboni ceu à vero alienum minimè credendum videtur esse lib.11. Hanc idem author Orientalissimum totius pelagi Pontici sinum obtinere, & eius Isthmi initium esse, qui inter mare Caspium iacet, atque Pōtum, & commune forum earum gentium, quæ proximè sunt vlteriores. Plin. tamen lib.6.cap.5. Dioscuriadem iuxta fluuium Antenunta sitam esse dicit, post quā sit Heracleum à Sebastopoli octoginta mill. pass. In hac vrbe, author est Appianus, Mithridatem in illa sua fuga in Bosporum hybernasse, quam ciuitatē, inquit idem, vestigium peregrinationis Argonautarum & Castoris esse aiunt.

Dioscurias.

Milesiorum colonia.) Strabo lib.15. Maximam à Mileto profectarum coloniarum multitudinem esse dicit. Nam totum Euxinum Pontum ab illis fuisse

Miletus multarum coloniarum matrix.

habitatum, item Propontidem & alia complura loca. Idem Anaximenis Lampsaceni testimonio probat. Hinc Ouid. lib. 3. Trist. Eleg. 9.

Hîc quoque sunt vrbes Graiæ (quis credere posset?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ,
Huc quoque Mileto missi venêre coloni,
Inque Getis Graias constituere domos.

Trapezuntij. Sequitur nunc populorum catalogus, quos Arrianus se præteruectum fuisse testatur, inter quos primi sunt Trapezuntii, de quibus suprà. His finitimos dicit esse Colchos. *Colchi.* Xenoph. lib. 4. Anabas. Trapezuntem in Colchorum regione sitam, ac in his Colchorum finibus Græcos statiua ferè triginta diebus habuisse, indéque ad Colchorum agros depopulandum crebrò excurrisse dicit, donec tandem Trapezuntii, qui sese hospitales erga Græcos præbuerunt, pro Colchis finitimis deprecati fuerunt, atque etiam effecerunt, vt Colchi quoque Græcis hospitalia munera miserint. Vnde constat Trapezuntios atque Colchos tunc temporis amicos sibi inuicem beneuolósque vicinos (cuiusmodi sanè cãdido coruo rariores in mundo reperiuntur) extitisse. Colchos Flacc. à Barbaro quodam, Strabo a Colcho Phasidis filio dictos esse ait. *Colchi vnde dicti.* Hos idem auctor, necnon Heniochos atque Soanes sub Caucasiis & Moschicis montibus habitare dicit. *Colchidis situs.* Plin. lib. 6. cap. 5. Regio Colchica ad Riphæos montes torquetur, altero latere in Euxinum mare & Mœotim deuexa, altero in Caspium & Hircanium mare. Ptolomæus illorum regionem à Septentrione parte Sarmatiæ, ab occasu Ponti Euxini parte ea, quæ extenditur à Corace amne vsque ad interiorem sinum, à Meridie parte Cappadociæ, & parte maioris Armeniæ, ab Oriente Iberia terminari dicit. Alii illorum regionem à Septentrione Corace monte (qui est pars Tauri) ab ortu Iberia, à Meridie Phaside, ab Occidente Euxino Ponto claudi tradunt. *Colchorum origo ab AEgyptijs.* Hos Ægyptiorum, vt Dionysius loquitur, μετήλυδας. i. aduenas, vt Marcellinus, antiquam esse sobolem, inter omnes ferè authores constat. Inter quos ferè antiquissimus Herod. lib. 4. verisimile esse dicit, cùm Sesostres Ægyptiorum dux cum iis ad Phasim subsedisset, aliquos Ægyptiorum ibi omnium suarum fortunarum sedem ac domicilium fixisse. Idem tribus ferè coniecturis probat Colchos ab Ægyptiis oriundos esse, *Coniecturæ tres Colchos ab AEgyptijs oriũdos.* prima est à coloris atri, & capillorum crisporum similitudine: secunda est, à circumcisionis ritu vtrisque communi, tertia à sacrificii linguæque communione. *Colchi Iudæorũ videntur esse soboles.* Quid si ob has ipsas vel plerasque certè coniecturas ab Herodoto commemoratas Iudæorum potius (quos in Ægyptum migrasse ex sacra constat historia) propaginem Colchos esse dicamus. Id certè & ipsum nomen Hebr. (כול *Col* enim, vnde Colchi, capere, continere, posse, ferre, sustentare, nutrire, pascere significat) & circumcisionis cæremonia à Iudæis non Ægyptiis primò profecta, & ater fuscúsque color (quo hodie quoque Iudæos præditos esse videmus) satis arguunt. *Lanificij studiũ apud Iudæos.* Huc accedit lanificii studium, cui Iudæos plurimùm addictos fuisse, vel ex Oseæ cap. 2. satis constat. Nam & versu 5. Vadam, inquit synagoga Israelitica (quam ceu meretricem loquentem inducit) post amatores meos, qui dant mihi panem meum, & aquas meas, & linum meum & lanam meam. Item vers. 9. Deus comminatur se illis lanam, linúmque erepturum esse. Tametsi non ignoro linum Iudæos ab Ægypto potissimum, cuius illa abundantissima fuit, habuisse, cui ipsi oleum cõmunicarunt, vt idem Oseas testatur, Oleũ, inquiens, in Ægyptum exportatur. Qua quidem mercium communicatione mutua contra expressam Dei legem, cum Ægyptiis fœdera amicitiásque colebant. *Colchi immanes.* Colchos olim barbaros atque immanes fuisse, illæ fabulæ de æneis taurorum pedibus, gigantibus prodeuntibus è terra, Ætæ regis illorum antiquissimi tyrannide, significant. *Colchorum descriptio Agathia authore.* Agathius tamen lib. 3. suæ historiæ, Colchorum gente ab Ægyptiis orta, nullam se earum, quæ sub alieno sunt imperio, clariorẽ atque fœliciorem, amplissimis diuitiis subditorúmque multitudine celebriorem, locorum

rum opportunitate, optimarum rerum abundãtia, optimorum morum ornatu atque dexteritate nobiliorem cognouisse testatur. Idem Colchos priscos omnium maritimornm bonorum ignaros atque expertes fuisse dicit, apud quos antequam eò Argonautæ accesserint, ne fanum quidem aliquod celebre fuerit. Sed sui temporis Colchos nauigationibus atque mercaturæ deditos esse, ac Romanorum assidua cõsuetudine cultiores atque ciuiliores esse testatur. Hãc regionem Colchicam, auri, argenti, ferri (quæ Phryxi atque Iasonis Argonautarúmque expeditionis in illam potissima causa extitit) necnon materiæ ad fabricandas naues vtilis (vnde Mithridati, teste Strabone, tantæ nauales copiæ) omnis generis fructuum atque frugum, mellis (quod tamen plerunque amarum) præcipuè verò canabis, lini, ceræ atque picis locupletissimam fuisse Strabo imprimis lib.11.& alii historici testantur. Linum autem Colchicum à Græcis Sardonium, & illud quod ex Ægypto venit Ægyptiacum vocari testis est Herodotus lib.2. Hinc Ouid. Phasidem Colchorum flu. clariss. linosum appellat. De gentis istius statu politico atque religioso vide suprà in generalibus illis capitibus, necnon Trapezũntis descriptione. *Colchis quibus abundet.* *Linum Colchicũ.*

Drillæ quoque vt Xenophon.) Xenophon per simplex λ δείλας vocat.

Trapezuntinis finitimi.) Strabo lib.12. Trapezunti & Pharnaciæ imminẽt Tibareni, & Chaldæi, & Samni, prius Macrones nominati. Plinius lib.6. cap.4. Vltra Trapezunta fluménque Pyxiten gens Sannorum, Heniochorum. Sic Agathius lib.5. suæ historiæ. Zannorum gentem versus Nethum in Euxino mari sub Trapezuntis loca dicit incolere. Procopius lib.3. de ædif. Iust. Armeniis quoque finitimos esse dicit. Idem author regionis illorũ situm his verbis perstringit lib.1. de bello Pers. Ex Armeniæ locis in Persarmeniam eunti dextrorsus quidem Taurus est mons ad Iberiam, & circa ea spectans. Sinistrorsus autem præceps maxima ex parte via panditur, montésque altissimi ac prærupti nebulis niuibúsque perpetuò rigentes. Hinc exiens Phasis flu. in terram fertur Colchorum. Hîc ab initio barbari Zani habitauere. *Sanni aliter Zani, siue Tzani.*

Trapezuntinis inimicissimi.) Xenoph. lib.5. Trapezuntios dicit noluisse Græcorum exercitum in Colchos ducere, ne amicos læderent, sed in Drilas, perpetuos suos hostes, ac vexatores omnium Ponticorum bellicosissimos. De quibus vide plura ibidem. *Drilæ iidem qui Sanni Trapezũtiorum hostes.*

Hi mihi videntur esse Sanni.) Σαννοὶ Græc. olim teste Strabone lib. 11. μάκρωνες. i. Macrones, teste Procopio lib.1. de bello Pers. Suni antiquitus appellati fuerunt. Eosdem Procop. serm.3. de ædif. Iustin. τζανός. i. Tzanos appellat. *Sanni olim Macrones dicti.*

Loca munita incolunt.) Procop. lib.1. de bello Pers. ob locorum iniquitatẽ difficillimè illos capi vincíque potuisse affirmat. Ibidem illos propè montes altissimos, præruptos, perpetuis nebulis niuibúsque rigentes habitare dicit. Idem author serm.3. de ædif. Iustin. Illos terram montibus altissimis atque præruptis, frigoribus atque niuibus horridam, asperam, infrugiferam atque incultã dicit incolere. *Sannorum regio.*

Gens Rege carens.) Idcirco illos paulò pòst latrociniis dicit fuisse deditos. Huic suffragatur Procopius qui & lib.1. de bello Pers. illos nulli vnquam seruientes latrociniis suis Romanos vexasse dicit. Idem author serm.3. de ædific. Iustin. illos antiquitus αὐτονόμους & ἀνάρχους, ab agricultura, cui terra illorum dura atque aspera minimè accommodata erat, alienos, latrociniis atque rapinis victum sibi quæsiuisse testatur. Ibidem superstitionis illorum, de qua suprà, mentionem facit. *Sannorum anarchia.*

Olim tributarij Romanis fuerunt.) Hinc Plin. lib.21. cap.14. Gentem Sannorum cùm ceram in tributa Romanis præstet, vel, quoniam exitiale est, dicit non vendere: nam paulò antè mel μαινόμενον apud illos gigni dixit. de quo suprá. Iustinianus in Nouellis constit.28. Zanorum gentem, quam Lazicæ subiungit, sub suo primùm imperio Romanorum ditioni adiunctam esse gloria- *Sannorum tributum cera.* *Sanni quomodo à Iustiniano imperat imperio Rom. adiuncti.*

tur,quæ & ipſa vrbes partim nuper factas ſuſcepit, partim mox ſit ſuſceptura. Huius rei teſtis eſt Procopius lib.1. de bello Perſico, & ſerm.3. de ædific.Iuſtiniani. Illos enim ob loci iniquitatem aſperitatémque antehac indomitos, tandem à Sitta quodam Iuſtiniani imperatoris duce prælio quodam victos, ac eiuſdem poſtea humanitate benignitatéque delinitos atque mitigatos, ſeruitutem laboribus vacuam periculoſa libertate potiorem duxiſſe, fideliſſimos ſe Romanis belli ſocios aduerſus illorum hoſtes, præbuiſſe, abiectíſque ſuperſtitionibus Chriſtianam religionem amplexatos fuiſſe teſtatur. Hinc eodem teſte lib.2.de bello Perſico, 1000. Zanorum auxilia Lazis atque Gubazi aduerſus Perſas à Iuſtiniano imperatore miſſa fuerunt. Poſtea, vt Agathius teſtis eſt lib. 5.cùm illorum nõnulli ad genium (naturam enim, vt ille inquit, furca licet expellas, tamen vſque recurrit) priſtinámque ſuam latrocinandi conſuetudinẽ redeuntes loca circa Pontum atque Armeniam acerbiſſimis ſuis depopulationibus infeſtarunt, Theodori ducis cuiuſdam, qui inde oriundus omnes locorũ ſitus atque opportunitates cognitas habebat, à Iuſtiniano contra illos miſſi, ſolertia, induſtria, fortitudine victi fractíque fuerunt, tributo denique vectigalíque illis annuo ab imperat.Iuſt.impoſito.

Sanni à Sitta victi.

Sannorum rebellio.

Sanni à Theodoro victi.

Tributum illis annuũ impoſitũ.

Arriani pia ac modeſta oratio.

Sed nunc Deo dante.) Huc facit elegans illud & tritum,

Θεοῦ διδόντος μηδὲν ἰσχύει φθόνος.
Θεοῦ μὴ διδόντος μηδὲν ἰσχύει πόνος.

Sapientior hic Stoicus multis Chriſtianis, qui ſine diuinæ voluntatis poteſtatíſque (ex qua dependent omnia) cogitatione mentionéue vlla, magni ſæpè momenti opera negotiáque ſibi proponunt atque moliuntur, quos, cùm futura nos planè lateant, vitáq; noſtra vaporis inſtar fugax ſit atque euanida, ſtultiſſimè facere, ac proinde huiuſmodi quadam dicendi formula (ſi Dominus voluerit, atque viuemus, hoc vel illud faciemus) vtendum nobis eſſe docet S. Iacob.cap.3.ſuæ epiſtolæ.

Adrianus non acerbus fuit tributorũ exactor.

Illos excindemus.) Adrianus imperator, vt de eo hiſtorici teſtantur, in tributis atque vectigalibus prouinciarum relaxandis alleuandíſque valdè ſe lenem benignúmque præbuit. De tributis autem vectigalibus, reditibus, eorum differentia, ciuitatibus atque regionibus ſtipendiariis, vide plura apud Laziũ.

Machelones. Forſan ſunt Macrones.

Macrones Apſari accolæ.

Macrones Cappadocibus vicini.

Circumciſionis ritum à Colchis didicerunt.

Macrones Euboeenſiũ colonis

Macrones bellicoſi.

His finitimi Machelones.) Nullas hoc quidem nomine gentes apud vllum authorem reperi, ſed forſan ſunt iidem, qui Macrones fuerunt dicti, qui in hoc ipſo tractu ab authoribus collocantur. Hos Plin.lib.6. cap.11. ad flumen Apſarum dicit habitare: Herod.lib.2.Syris (hoc eſt Cappadocibus) qui iuxta Thermodontem & Parthenium accolunt conterminos, à Colchis circunciſionis ritum didiciſſe. Idem author lib.3. Moſchis, Tibarenis, Moſynoecis, & Mardis vicinos fuiſſe. Apollon.lib.2. Macronas Bechiras, & Sapiros coniungit, quos iuxta μυχὸν Pontum atque Phaſidem ponit. Euſtath. Apollonij interpres Euboeenſium colonos eſſe dicit (nam Euboea olim Macris dicta) quos ita dictos eſſe dicit, vel teſte Dionyſio ceu Μακερόνες.i.longinqui Euboeenſium coloni: alii verò quòd multi apud illos gignantur macrocephali, vt apud Perſas χευποί. Bellicoſos eſſe ex Philoſtephani & Herodoti hiſtoriis probat. Horum quoque fit mentio à Xenophonte lib.4. Ipſi triduo 1040. paſſibus confectis, in Macronas peruenerunt. Primo verò die ad fluuiũ venere, qui Macronas à Scythianis diuidit. Macrones regionẽ dextrã tenent, quippe quæ eſt aditu difficilior: ad læuã alium amnẽ habet, in quẽ is qui eos à Scythianis diſiungit, influit: & vtrunq; Græcis traiicere erat neceſſe. Deinde oſtendit Xenophon, quomodo Macrones Græcorũ trãſitum prohibere ſint fortiter conati, deinde quomodo haſtis vltrò citróq; miſſis, & deorũ obteſtatione, cũ Græcis fœdus inierint, iiſq; ad profectionẽ in Colchidẽ adiumẽto fuerint. Item Marcell. Byzares (qui forſan iidem qui Bechires ab Apoll.) Tabiras (forſan iidẽ quos Apoll. Sapires) Tibarenos, Phylicas cũ Macronibus cõiungit, quas omnes gẽtes nulla Romanis

nis assuetudine cognitas esse dicit. Adde quòd inter Macronas atque Machelonas magna est nominis affinitas: quanuis (vt paulò antè ex Strabone dictū) Sanni olim Macrones fuerunt nuncupati. Vel forsan sunt Macropogones, quos Strabo cum Achæis Zygis, Heniochis, Cercetis coniungit, ac vltra quos scribit esse Phthirophagos. Vel Macrocephali, quos Plinius libro 6. cap. 4. cum Tibarenis, Mossynis, & aliis Themiscyrę regionis gentibus coniungit, de quibus vide apud Hippocratem libro De aere, & aquis. Vel Melanchlæni, quos Colchidi affines Plinius facit libro 6. cap. 5. Quid si sint Μαχλυεῖς, quorum Lucianus in Toxari Adyrmachum ducem fuisse dicit, quósque inter Alanos Lazos, Scythas, & Bosporanos recenset, licet haud ignorem Herodotum & Plinium illos inter Affricæ populos recensere. Vel forsan sub Heniochis continē-tur. Nam (vt Plinius inquit libro 6. cap. 4.) multis nominibus sunt Heniochorum gentes: adde quòd (vt hîc Arrianus tradit) vtrique sub eodem Rege fuerunt. Quicunque fuerint verisimile à bellicositate Machelones quasi μαχίμους dictos fuisse.

Quid si Machelones sint iidem qui Macropogones. *Vel sunt forsan Macrocephali.* *Vel Melāchlæni* *Vel Machlyēses.* *Machelones videntur dicti à bellicositate.*

Heniochi.) Gens celebris & clara, quos (teste Strabone libro 11.) nonnulli Laconum colonos esse tradunt, qui Rheca & Amphistrate (qui Castoris atque Pollucis ἡνίοχοι, id est, aurigæ extiterunt) ducibus vsi in illis locis subsiderūt. Hos, vt & Achæos, Zygos, ex maritimis latrociniis atque prædis viuere solitos fuisse idem tradit, quippe quum illorū regio montuosa atque importuosa (tanquam Caucasi pars) arationibus atque sationibus, denique agriculturæ nō admodum fuerit accommodata. Habuerunt autem lēbos, inquit idem, exiles, arctos, leues viginti quinque, aut ad summum (qui rariores) triginta hominum capaces, quibus, cùm nauigandi tempus erat, mare peruagabantur hominum intercipiendorum gratia. Qui quum vltra nauigandi non erat facultas, lembos humeris impositos in syluas referunt, in quibus habitantes tenue solum arant.

Heniochi Laconum coloni. *Heniochorū pyratica.*

Quorum rex Anchialus.) Gentes hæ Caucasiæ, feræ atque barbarę, Regulos suos habuerunt, quibus fuerunt subditæ, vt hîc ex Arriano nostro cognoscere licet, de quarum statu politico, sic paucis scribit Strabo libro 11. Harum gentium, inquit, vita talis est, quæ Sceptuchis subditæ sunt, Sceptuchi autem Regibus, vel tyrannis. Sic Heniochi quatuor Reges habebant, quo tempore Mithridates è regno suo pulsus à Pompeio in Bosporum confugit, eodē Strabone teste.

Anchialus. Gentium istarū barbararum politia.

Anchialus.) Græcè ἀγχίαλος, idem quod accolæ maris. Anchialos vrbis Thraciæ nomen, de quo infrà: item nomen proprium Astronomi, de quo Cicero libro secundo De diuinatione. Hunc verò Anchialum regem suum iuxta Prytanim habuisse suprà dixit Arrianus, de quo nihil præterea compertum habeo.

Machelonibus atque Heniochis vicini Zydreitæ.) Ζυδρεῖται. Nullam hoc nomine gentem apud authores reperire potui. sed vidētur omnino illi esse, qui à Strabone libro 11. κερκέται Cercetæ appellantur, vbi Achæos, Zygos, Heniochos, Cercetas, Macropogones ex ordine ponit. Idem libro 12. Trapezunti & Pharnaciæ imminent Tibareni, Chaldæi, Sanni, prius Macrones nominati, & Appaitæ his locis quodammodo proximi, qui prius Cercetæ dicebantur. Idem alio in loco, Author est, inquit, Artemidorus, à Batis oram esse Cercetarum 850. ferè stad. quæ stationes & vicos habeat. Dehinc Achæorum, pòst Heniochorum, &c. Et paulò pòst, Qui Mithridatica conscripsere (nam iis maximè credendum) prius Achæos ponunt, deinde Zygos, deinde Heniochos, deinde Cercetas, & Moschos, & Colchos, & Phthirophagos, qui vltra hos sunt, & Soanas, & alias circa Caucasum paruas gentes. Mela quoque post Heniochos, Achæos, Cerceticos ponit. Plinius libro 6. capite 3. post Achæos, atque Mardos Cercetas ponit, post illos Serros & Cephalaromos. Idem paulò pòst,

Zydritæ. *Iidē qui Cercetæ* *Cercetæ postea Appaitæ dicti.*

In ora autẽ iuxta Cercetas flumen Icarusa cum oppido Hiero & flumine. Forsan iidem sunt, quorum Ptolomæus in Colchidis descriptione ἐκρητικὴν, id est, Ecreticam regionem nominat. Ammianus Marcellinus libro 22. Circetas appellans annexas esse Achæis dicit, super iis nihil, inquit idem, memoratu dignum traditur, post Circetarum terga, Cimmerici agitant Bospori incolæ. Ex his satis, opinor fit verisimile, Zydreitas hos eosdem esse, qui à Strabone & Plinio Cercetæ, à Mela Cercetici, à Marcellino Circetæ (nisi forsan sit mendum) appellantur. Nisi forsan quis malit eosdem esse qui Zygi appellantur, qui (vt paulò antè dictum) in hoc ipso tractu ab authoribus statuuntur.

Zydritæ forsan ijdem qui Zygi.

Lazi.

Lazi Zydretis vicini.) Horum apud vetustiores authores nulla (quod sciã) fit mentio. Plinius libro 6. cap. 4. post Heniochos & Amprentas Lazorum meminit. Stephanus Lazos Themiscyræ regionis esse dicit ad Pontum Euxinum. Lazi (teste Agathio libro 2.) quondam Colchi dicebantur, id quod, si quis Phasidis atque Caucasi accolas, hísque circunfusas vicinas gentes considerat, manifestum miniméque cõtrouersum esse dicit. Idem de Lazorum origine simul atque moribus, libro 3. differit. Lazorum gentem maximam, & natura elatam atque inflatam (quippe cùm gentibus, quæ potentia illis pares sint imperent) veteri Colchorum nomine, ídque optimo iure mirum in modum gloriari dicit. Hinc Pachymerius Endociam Lazorum siue Colchorum reginam appellat, libro 9. Lazicam regionem Procopius libro 12. De bello Persico, ad ostia Phasidis ab vtraque eius fluminis parte esse dicit, in qua terra deserta ab hominibus atque vasta. Iustinianus tamen Petram ciuitatem ædificauit, sed alia quoque in illa regione à Iustiniano ædificia excitata fuisse, ipsemet in suis Nouellis hoc modo gloriatur. Post quos (scilicet duos Pontos, de quibus paulò antè) iam nostra constituta est Lazica, in qua vrbs Petræon est, quæ nostro beneficio & esse & nominari vrbs cœpit: item quæ nostræ pietatis nomine vtitur, & Iustinianea appellatur. Archęopolis quoque & Rhodopolis maxima & antiqua castra, in quibus planè etiam ea castra sunt, quæ nos à Persis recepimus, Scandias, & Sarapanes, & Murisios ac Lasieros, & si quid aliud præterea à nobis in Lazis elaboratum est. De Lazis porrò quomodo & à Romanis ad Persas defecerint, & deinde rursus Romanorum auxilio ex Persarũ imperio sese exeruerint, de illorum denique religione, si plura vis cognoscere, lege Procopij & Agathij historias: tametsi de illorum religione suprà dictum fuit.

Lazi quondam Colchi dicti.

Lazorum origo, mores.

Lazica regio.

Ædificia Iustiniani in Lazica

Lazorum rex.

Lazorum rex Malassas.) Lucianus in Toxari (in quo de amicitia differit) Tigrapatem quendam Lazorum δυνάστην appellat, nam Reguli illi dynastæ quoque (*Podestà* Italicè) appellabantur. Iustiniani temporibus egregium ducẽ habuerunt Gubazem nomine, cuius suprà in Phasidis descriptione mentio facta fuit. Cœlius libro 18. cap. 30. Regia illis insignia sunt, inquit, aurea corona, lapillis distincta pretiosis, lõgior vestis auro intexta, calcei rubro infecti, mitra item auro & gemmis visenda, chlamydẽ gestasse purpuream illis nefas, alba vtique permittitur, nec vilis tamen, quin auro intertexta vtrinq;, fimbriæ propendentibus lapillis, & apparatu alio planè insignes.

Lazorũ insignia Regia.

Regnum à te habet.) Hinc colligimus & hanc & reliquas has gentes (quæ ab Arriano hîc ex ordine commemorantur) Romanis fuisse subiectas, stipendiarias & vectigales, ita tamen vt Reges illis permiserint: de quo suprá. Morem autem hunc Romanorum, externos Reges (quũ ipsi à Regis regniq; vel nomine tantùm abhorruerint) creandi atque salutandi multis passim in illorum historijs videre licet. Huc facit illud ex plurimis vnũ Cicer. pro Deiotaro, quod mihi nunc occurrit. Omnia tu, inquit, Deiotaro Cæsar tribuisti, quum & ipsi & filio nomen regium concessisti, hoc nomine retento & conseruato, nullum beneficium populi Romani, nullum iudicium de se Senatus imminutum putat.

Gentes hæ tributariæ Romanis, suos tamẽ habuerunt Regulos.

Mos Romanorũ Reges externos appellandi.

A te regnum.) Sic infrà duorum prӕterea qui ab illo regnum habeant, men-

mentionem facit. Fuit enim (teste Spartiano historico) Adrianus erga Reges externos valde beneficus, quibus plurimum detulit, à plerisque verò etiam pacem redemit, multis ingentia munera dedit, à nonnullis tamen contemptus fuit. *Adriani erga Reges externos beneficentia.*

Lazis finitimi Apsilæ.) Plinius libro 6. capite 4. post fluuium Chrysorrhoam, gentis Apsilarum, & Sebastopolis mentionem facit. Horum Iustinianus quoque in Nouellis suis meminit, vnà cum Suanis, Scymnis, Abasgis, quæ gentes, inquit, permittente Deo vel nostræ sunt, vel sociæ. Hos Apsilios appellans, Agathius libro 3. sub Colchorum ditione scribit fuisse. Fuerunt hi (vt idem est testis libro 4.) Misianorum & regionis (præsidio quodam Tibelio nomine vtrosque à se inuicem disterminante) & vitæ atque morum finitimi. Sed tamen in bello quodam Romanorum cum Misianis, quum Apsiliorum nonnulli facundissimi viri, oratores atque legati ad illos fuissent missi, vt cum illis de pace agerent, contra ius gentium ab illis occisi fuerunt. Horum regem Arrianus noster dicit fuisse Iulianum, qui à Traiano regnum habuit. *Apsilæ.*

Apsilis vicini Abasci Ἀβασκοί.) Horum quoque Iustinianus in suis Nouellis meminit, Abasgos appellans. Procopius libro 2. De bello Persico in Phasidis descriptione, inter gentes, quæ Phasidem accolunt, commemorat Alanos, Abasgos, quos Christianos, & iamdudũ Romanis amicos dicit fuisse. His deinceps subiungit Zechos, & qui post eos sunt Hunnos, qui & Saberi nominantur. Forsan hi, quos Σάπειρας Apollonius ὑπερφιάλους, hoc est, violentos appellat libro 2. His ferè conueniunt quæ Nicephorus Gregoras lib. 2. scribit, vbi inter gentes Mœotidi vicinas, quæque Ponti oram accolunt, recẽset Zinchos, & Abasgos, & Gothos (quos tamen tres populos in Latina tantùm versione, nõ in contextu Græco reperire potui) & Hamaxobios, Tauroscythas, Borysthenitas, Mysiæ ad Istri ostia accolas, quos Οὔννους, hoc est, Hunnos, & Comanos dicit appellatos fuisse. Abasgorum dux Georgius nomine, Basilij imperatoris temporibus, vt Cedrenus testatur, violato quod ei cum Romanis erat fœdere, vicina loca incursionibus vexauit. Hunc Basilius duobus pręliis (quorum tamen prius incerta fuit victoria, multis Romanis occisis) vicit Liparite duce primario exercitus Abasgici, cum validissima eiusdem parte occiso, ipsóque Georgio via in interiores Iberiæ partes fuga elapso. Tandem Georgij supplicatione pax facta, quum Georgius filium suum Pancratium obsidem dedisset, quẽ Basilius imperator magistrum creauit. Hoc accidit à mundi origine, teste Cedreno, ↀ CIↃ IↃ XXXI. Hic Georgius postea vnà cum Barasbatze in monte Atho, Iberorum monasterium condidit: quo mortuo vxor eius legatis ad Constantinum imperatorem donísque missis, fœderis renouationem, & filio suo Pancratio coniugem petit. Cui assensus imperator, fœdus firmat, Helenámque fratris sui filiam in Abasgiam nuptum mittit, & Pancratium κουροπαλάτου honore insignit. Fuit (vt idem Cedrenus aliquantò pòst testatur) Pancratius iste Iberiæ regulus, homo profligatæ impudicitiæ, qui vxorem Liparitæ violauit. Fuit autem hic Liparites homo fortitudine & prudentia nobilis, magnęque post Pancratium inter Iberos potentiæ, Horatij illius Liparitæ (sic enim sæpe fortes ex fortibus procreantur) ducis præstantissimi filius, quem suprà in illo Basilij imperatoris contra Georgium regem bello occisum funesto dictum est. Is igitur hac iniuriæ atrocitate concitatus, armis contra Pancratium sumptis, victum prælio ad Caucasum & interiorem Abasgiam compulit. Ipse verò regia occupata, dominam suam Pancratij matrem vi stuprat, totáque Iberio potitur. Inde missis ad Imperatorem literis, in amicitiam societatémque Romanorum recipi postulat, id quod ab Imperatore impetrat. Aliquantò pòst Pancratius per Phasidem fluuium Suanos (hi videntur esse Sanni) & Colchos iter faciens, indéque missis nuntiis Imperatori significat, cupere se Byzantium ire, & cum ipso colloqui. Quo impetrato, cum eo congressus, multis ei verbis ex-

Abasci. *Georgius Abasgorum dux.* *Liparites.* *Pancratij libido.* *Liparites.*

probrat, quòd fœdere, quod illi cum Abasgiæ ditionis haud exiguæ Regulo fuerat, violato, cum priuato ac seruo perduelli societatem coluisset: simúlque petit vt inter se & Liparitam transigat. Cui Imperator satisfecit, rémque ita inter vtrunque composuit, vt Pancratius omnem Iberiam atque Abasgiam obtineat, Liparites parti Meschiæ per omnem vitam præsit, Pancratium dominum Regémque suum agnoscat. Hic Liparites sub Monomacho Imperatore Romanis contra Turcos auxilium ferens, captus, sed tandẽ ipsius Imperatoris deprecatione, muneribúsque missis rursus liberatus, atque à Turcis dimissus fuit. Idem testis est Cedrenus. Hæc de Abasgis istis apud scriptores inuenire potui.

Sanigæ. *Abascis finitimi Sanigæ, Σάνιγαι, vbi Sebastopolis.)* Sic Plinius libro 6. c. 4. Gens Apsilæ, castellum Sebastopolis, à Phaside c. M. pass. gens Sannigarum oppidum Cygnus, flumen & oppidum Pityûs. De his nihil præterea inuenire potui.

Ponti dextra, & sinistra quæ. *Vsque ad Apsarum Orientem versus, in dextra Ponti.)* Dextra Ponti, secundum Strabonem, Bithyniam, Paphlagoniam, Cappadociam, Colchidem ferè complectitur, quæ pars Asiatica dicitur: reliqua sinistra dicitur Scythiæ magnam partem, & Thraciam complectens, quæ Europæa & Thracia dicitur.

Ponti longitudinis extrema quæ Dioscurias. Mœotis. *Terminus mihi longitudinis Ponti.)* Strabo Dioscuriada dictam Sebastopolim ἔσχατα πέρατα Πόντου, vt Apollonius loquitur, id est, extremos Ponti terminos, & μυχὸν, id est, sinum totius Ponti Orientalissimum appellat. At Aristot. libro De mundo cap. 3. Mœotim appellat μυχαίτατον Πόντου.

Caucasus. *Vidimus montem Caucasum)* Sic apud Apollonium libro 2, sub finem Argonautæ, quum ad Ponti intimũ recessum appropinquassent, Καυκασίων ὀρέων ἀνέτελλον ἐρίπναι, ἠλίβατοι, id est, montium Caucasiorum rupes exurgebant, altissimæ. Cui respondet illud Valerij Flacc. lib. 5. Argon.

> *Vltimus inde sinus, sæuúmque cubile Promethei*
> *Cernitur in gelidas consurgens Caucasus Arctos.*

Caucasi situs. Mons hic historicorum pariter atque poetarum literis est celeberrimus, quẽ tamen non omnes eodem in loco statuunt. Aristoteles, Strabo, Plinius, Ptolomæus, Mela, inter Hyrcanum, siue Caspium (vnde Caspius à nonnullis dictus) & Ponticum mare (quod idcirco Caucasium ab Apollonio diximus appellari) eum collocant. At verò idem Plinius necnon Philostratus, Q. Curtius, Macedones, teste Strabone, & Arriano nostro de gestis Alexandri, etiam in Indiæ parte. Æschylus eum vult Oceano allui, Oceanitides enim excitat ad Promethei consolationem. *Cur Caucasum nonnulli in India statuunt.* Quod autem scriptores nonnulli Caucasum ex Colchide atque Euxino mari in Indiam quoque & illi vicinum mare suis scriptis transtulerunt: illa in re adulationi illos magis quàm veritati inseruisse Strabo lib. 11. & 15. existimat, quippe quum Caucasus super triginta millia stadiorum ab India distet. Sed propter montis celebritatem, & quia Iason longissimã profectionem videbatur vsque ad loca Caucaso proxima obiisse, & quia Prometheus in extremis terræ, etiam monte Caucaso vinctus dicebatur, vt Alexãdri Magni gloriam augerent, qui illuc vsque cõtinuata victoria cum exercitu peruenisset, Tauri illam partem quæ circa Bactrianos Paropamiso coniungitur, Caucasum nominauêre. Et tamen, vt inquit Strabo, honorificentius illi fuisset, si ad Indicos vsque montes, quàm vsque in extremum Euxini & Caucasi recessum Asiam subegisse diceretur. In eadem sententia est hic noster Arrianus in libro 8. de Alexandri Anabasi, addit tamen forsan hunc ipsum montem cũ altero Scythico continuari, quem idcirco se quoque Caucasium dicit appellare, vt qui ad Oceanum Orientalem, & Indos perpetuo dorso protendatur. *Caucasum Tauri partem esse.* Hunc sic à Macedonibus appellari, Arrianus pariter atque Strabo libro 15. testant Cur. aucasum quoque Tauri partem esse, plerique authores sentiunt, de quo

quo vide plura apud Q. Curtium lib. 7. Arrianum de Alexandri rebus gestis libro 5. Philostratum de vita Apollonii lib. 2. & 3. Plinium imprimis, qui lib. 5. cap. 27. vbi Taurum immensum & innumerarum gentium arbitrum, numerosis nominibus secundum regiones, gentésque per quas porrigitur, dicit insigniri. Etsi autem omnes montes orbis terrarum, vt Danielis 3, & alibi in sacris literis scriptum legimus, Deum laudant, hoc est, diuinæ maiestatis, virtutis, potentiæ, ac bonitatis clarissima sunt testimonia, siue illorum incolas, siue altitudinem stupendam, siue quæ ex illis promanant, commoda, spectes, tamen hic imprimis Caucasus admirandum Dei opus (vt est) censeri debet. Nam primò quoad illius incolas atque accolas, Philostratus quidem lib. 2. (sed de Indico Caucaso loquens) Apollon. eiúsque conuictores atque socii Caucasum transeuntibus quadricubitos atque etiam quinque cubitorum homines, colore subnigros, necnon Empusas, siue Lamias modo in hanc modo in illam figuram sese conuertentes, ac interdum ab oculis repente euanescentes occurrisse dicit, quas increpationibus quibusdam ceu præstantissimis medicamentis abegerint. Strabo autem Caucasi propriè dicti incolas accolásque gentes quasdam (cuiusmodi plerunque monticolæ esse consueuerunt) gigantibus atque lemuribus ob vastitatem immanitatémque comparandas commemorat. Vnde ab Horat. rectè Inhospitalis dictus fuit. Cuiusmodi fuerũt Achæi de quibus suprà, Zygi (qui forsan iidem qui Zygetæ à Pachimerio appellantur) quos cum Trinaciotis coniungens mõtana Niceæ dicit incolere, de quorum à Palæologo defectione vide apud eũdem cap. 3. Heniochi atque Cercetæ de quibus suprá. Moschi, qui iidem qui Mossinoeci à turribus ligneis, teste Apollonio (quas μόσυνας appellantes incolere soliti fuere) appellati, à Moscho Noachi nepote oriundi. Hic forsan idem fuit, quem Strabo ex Posidonio, Sidoniũ philosophum appellans ante Troiana tempora floruisse, ac primùm antiqui illius de atomis dogmatis authorem fuisse testatur lib. 16. Moschicæ autem regionis, in qua fanum fuit, partem Colchos, partem Iberos, partem Armenios tenuisse, idem testis est lib. 11. Ab his Moscouitas oriũdos inter omnes ferè hodie constat. Caucasi præterea accolæ fuerunt Albani, Iberi, quos Caucasios esse, fœliciorem tamen regionem incolere testatur Strabo lib. 11. vbi multa de illorum moribus poteris videre. Inter Caucasios præterea populos enumerantur à Strabone & aliis Phthirophagi à sordibus & fame sic dicti, & qui his proximi sunt nihilo quidem moribus atque fame, tamen robore atque potentia præstantiores. Soanes veneno sagittas inficere soliti, qui vtrique bellicosi quidem sed inordinati circumcirca vicinis gentibus imperarunt. Apud quos torrentes dicuntur aurum deferre, quod barbari illi perforatis tabulis, ac lanosis pellibus excipiunt, vnde aurei velleris fabula, teste Strabone. His adde Vallos, & Suanos gentes, vt inquit Plinius, indomitas, à portis Caucasiis, per montes Gordiæos, quæ auri tantum metalla fodiunt. Amazones quoque vt paulò pòst dicetur, & Machelones, Macrones, Abasci, Lazi, Apsilæ, de quibus suprà, denique, vt Strabo inquit, aliæ quædam paruæ gentes Caucasum incoluerunt. Denique (omissis aliis quamplurimis) diri atque funesti Caucasi accolæ ad partes eius Septentrionales fuerunt οὖννοι Vnni, populosissimi, liberi, nullius vnquam dominium experti, à quibus Turcæ oriundi, teste Cedreno. Hoc idẽ doctissimus ille Gaza probat partim Strabonis testimonio, partim Scylacis historici, quem generalia Imperatorum gesta à Nicephoro vsque ad Isaacum Comnenum conscripsisse ait. Strabo enim Cyrtios & Amardos vagos & latrociniis deditos cùm ad montana Atropatinæ Mediæ, tum in Armenia dicit habitare. Sunt autem (vt Gaza testatur) processus quidam Caucasi montis, ad Meridiem pertinentes, qui Iberiam comprehendunt mediam, Armeniorúmque montibus coniungunt. Hinc itaque acutè Gaza colligit, Cyrtios, qui tunc erant in Armenia, teste Strabone, hos esse, quos Scythas Curtos & Turcos no-

Montes omnes Deum laudant.

Caucasus admirandũ Dei opus.

Caucasi incolæ.

Caucasi propriè dicti incolæ.

Achæi.

Zygi.

Heniochi.

Cercetæ.

Moschi.

Moschus.

Albani.

Iberi.

Phthirophagi.

Soanes.

Valli.

Suani.

Amazones.

Vnni vnde Turci.

minans gentem esse Vnnicam & incolere dicit Septentrionalia Caucasi. Nã quos Strabo Cyrtios nuncupat, Romani Curtios & contracto vocabulo Curtos dixere, & eosdem Turcos transpositis consonantibus. Nomẽ Vnnorum verisimile sibi ait idem Gaza videri, ab Æneanis qui & ipsi accolæ sunt maris Hyrcanii, corrupto nomine fuisse deductum. Ad has easdem partes Septentrionales sub radicibus montium Caucasiorum, qui Ceraunia appellantur, monstra illa mulierum Amazonas Gargarensibus finitimas habitare, Strabo ex Metrodoro Scepsio & Hypsicrate locorum non ignaris, affirmat lib. 11. Sic Plutarchus quoque in vita Pompeii Amazonas dicit Caucasum habitare, qua parte ad Hyrcanum mare protenditur. Partim ergo ex Vnnis, partim Amazonibus illis (quarum Apollonii interpres eandẽ quæ Thracum linguam fuisse testatur) Turcæ suam videntur originem traxisse. Denique Turcas ex Caucaso primùm prodiisse plerîque scriptorum affirmant, de quo suprá. Hę sunt. s. lamiæ illæ atque lemures siue furiæ Caucasiæ, quarum paulò antè ex Philostrato facta est mentio, quæ vniuersum orbem terrarum iam per multos annos vexarunt, vexántque adhuc quotidie. Philostratus tradit Caucasios populos aquilas hostili quodam odio prosequi, ita vt illarum nidos, igniferis sagittis incendant, laqueos præterea ad eas capiendas vbique tendant, ídque Promethei (cuius fabulæ hîc quoque ab Arriano fit mentio) vlciscendi gratia. Quid si hoc fuerit quasi præludium quoddam hostilis illius odij atque immanitatis, quo Caucasia siue Ceraunia (nam Caucasum Septentrionem versus etiã Ceraunia à Græcis appellari paulò antea ex Strabone dictum fuit) hoc est fulminea Turcarum proles Aquilam, id est, Romanum imperium, per multos iam annos insectata est grauissimè, & adhuc quotidie insectatur atque funestat. De Caucasiorum quoque moribus atque victu, quorum alij montium cacumina tenuere, alii in collibus habitarunt, vt plurimum carne ferina, lacte & agrestibus fructibus vescuntur, vide plura apud Strab. lib. 11. Quòd si porrò ad alia, quæ in monte illo nascuntur atque gignuntur ac inde prodeunt, animum cogitationémque tuam conuertas, non poteris non magna admiratione percelli. Montes ab Hebræis (vt hoc obiter dicam) הרים *Harim*, hoc est, prægnantes dicũtur, propterea quod plurimis admirandis vtilissimísque rebus quasi grauidi sunt atque referti. Id verò etymon huic monti probè cõuenit. Nam primò (vt duo illi nobiles Alexandri rerum gestarum scriptores Arrianus noster lib. 6. & Q. Curtius lib. 7. vno quasi ore confitentur) ex Tauro & (quæ illius pars) est Caucaso, omnia ferè Asiæ flumina memoratu digna profluunt, quorũ alia, vt Q. Curtius testatur, in rubrum, alia in Caspium mare, alia in Hircanum & Ponticum incidunt. vel, vt Arrianus paulò distinctius loquitur, quædam Septentrionem versus, vel in Mœotim paludem, vel in Hyrcanum mare, Oceani sinum: quædam in Meridiem, in queis Euphrates, Tygris, Indus, Hydaspes, Acesines, Hydraotas, Hyphasis & alia quæcunque inter hæc & Gangem sita sunt, in Oceanum exeunt. alia denique in plano refusa, cursúmque sistentia, veluti Euphrates, occulto meatu sub terris labuntur. Sic ex Caucaso Phasis, Acardeus, teste Arist. & Strabone, Cambyses, Alazon, teste Plinio oriuntur. Marcellinus Tanaim quoque inter Caucasias rupes oriri scripsit. Idem Dionys. Alij ex Riphæis montibus, sed falsò, vt postea dicetur. Philostratus Caucasum illam partem, quæ per Armeniam protenditur, Pãtheras aromatibus gaudentes, habere scribit lib. 1. Præterea montem hunc syluosum atque arboribus, quæ fabricandis nauibus sint aptę, plenissimum esse Strabo testis est lib. 11. quò Propertius quoque alludit lib. 2.

Et nemus omne satas intendat vertice syluas,
Vrgetur quantis Caucasus arboribus.

Philostratus Indici illius Caucasi partem, quæ in mare rubrum porrigitur, diuersis aromatum generibus consitam esse, necnon cinnamomum arbores thuriferas,

Amazones. *Turcæ sunt Caucasiæ furiæ.* *Caucasij aquilæ hostes.* *Caucasiorum mores atque victus.* *Montes ab Heb. cur prægnantes dicti.* *Flumina ex Caucaso promanantia.* *Panthera Caucasiæ.* *Caucasus syluosus.* *Caucasi Indici plantæ.*

Herba Caucasi θερμήθειος dicta.

riferas, atque piper ferre testatur lib. 3. Plutarchus libr. de flum. herbam quandam dicit in eo nasci, quæ θερμήθειος appellatur, qua Medea illa contra patrem suum vsa fuit. Præterea in hoc monte propriè dicto testis est Appianus lib. de bell. Mithrid. multos esse fontes ferentes ramenta auri minutissima, & ob id parum conspicua: accolas verò vellera villosa in riuos demergere, atque ita aureas harenulas his inhærentes colligere, cuiusmodi videtur fuisse insigne illud Ætæ tergus aureum. Hinc Plinius à portis inquit Caucasiis per montes Gordiæos Valli, Suani indomitæ gentes auri tantum metalla fodiūt. De gemmis in Caucaso sed post auersa Indiæ (vbi Imaus & Paropamisus montes, etiā Caucasii dicti) nascentibus vide Plin. lib. 37. cap. 8.

Caucasus aureus mons.

Caucasi Indici gemmæ.

Montium altitudo.

Cuius altitudo ad summum qualis Alpium Celticarum.) Montes ob altitudinem potissimùm suam admirandi venerandíque semper habiti fuerunt. quippe cùm ad cœlum propius accedant, quod nō modo sacri, verùm etiam ethninici authores Dei sedem atque domicilium esse affirmant. Vnde Aristot. lib. 2. de Cœlo, Τὸν δ' οὐρανὸν καὶ τὸν ἄνω τόπον οἱ μὲν ἀρχαῖοι τοῖς θεοῖς ἀπένειμαν, ὡς ὄντα μόνον ἀθάνατον. i. Cœlum locúmque superiorem prisci sæculi homines semper diis tribuerunt, vt qui sit immortalis. Hinc magna vocabuli ὄρος, quod montē, & οὐρανοῦ, quod cœlum significat, affinitas. Hinc Olympus apud Ethnicos, & Sion apud sacros authores pro cœlo creberrimè vsurpatur. Hinc denique mōtana loca, vt quæ præsentius haberent numen, cultui diuino atque religioni exercendæ, necnon philosophiæ studio aptiora visa sunt. In monte Sinai lex illa omnium legum matrix atque procreatrix decalogi lata, in mōte Abraham Dei iussu suum filium mactare voluit, in monte Sion palatium, in monte Moriah templum illud Dei omnium templorum augustissimum extructum fuit. Vt taceam alia, Ethnici in mōtibus potissimum suos deos coluerunt, & illorum exemplum secuti Iudæi. Hinc tam crebra excelsorum in Iudæa mentio. Philostratus in montibus quosdam philosophiæ vacasse dicit, stultam tamen simul illorum opinionem esse affirmans, qui montem aliquid ad sapientiam momenti afferre existimant. Sed hæc nimis forsan multa generatim de montium altitudine sint dicta, redeamus ad nostri Caucasi altitudinem. Philostratus lib. 2. Caucasi summitates in tantum perhibentur exurgere, vt Sol circa ipsas scindi videatur: alij tantæ altitudinis esse aiunt, vt ex illo astra maiora visantur, & eorum ortus occasúsque diligenter perspiciatur, quò fit vt Scythæ eius montis accolæ Astronomiæ peritissimi sint habiti. Hinc Prometheū, de quo multa fabulantur Poetæ, astronomum fuisse tradunt. Altissimas Caucasi partes Albaniam & Iberiam & Colchos & Heniochos versus esse, Strabo testatur lib. 11. Quamobrem vix aliis in locis difficilior est transitu, quàm ibi, vbi Hiberos & Albanos à Scythis Sarmaticis disterminat: vbi Pylæ illæ sunt siue portę Sarmaticæ, Albaniæ Ptolemæo, Plinio Caucasiæ, quas idem ingens appellans naturæ opus, magno cum errore Caspias dicit appellari lib. 6. cap. 11. Ob hanc altitudinem perpetuis frigoribus niuibúsque rigent, vt de eo omnes testantur. idcirco à Scythis Graucasus. i. niue candidus fuit appellatus teste Plin. lib. 6. cap. 17. Niualium autem istarum aquarum (si vera sunt quæ Strabo tradit) magna est commoditas. Is enim in Caucasi montis niuibus glebas quasdam cauas ait concrescere, bonam aquam in membranis continentes: & in iisdem niuibus animalia gigni (quæ lumbrici ab Apollonide dicuntur) quarum tunicis ruptis, aquam item bonam, quam complectuntur, bibi. Hinc forsan teste Plutarcho olim Boreæ cubile fuit appellatus, postea Caucasus per antiphrasin: aliud quid fabulatur Plutarchus lib. de fluminibus, quem potes videre.

Caucasi altitudo.

Caucasi niues atque frigora

Quanta Celticarum Alpium.) De Alpium natura atque situ, quantitate, [redacted] quantitate, &c. vide [redacted] recens cum Vallesiæ descriptione in lucem æditum.

Montis partes tres.

Et Caucasi κορυφή.i.vertex quidem ostendebatur) Græci montes diuidunt in tres partes, quarum prima dicitur ἀκρώρεια, καὶ κορυφὴ καὶ τὰ ἄκρα. Latini iuga, & vertices nominant. Secundo loco sunt ὑπώρεια, τὰ πλευρὰ τοῦ ὄρους latera montis. Postremò τέρμα, τὸ τελευταῖον τοῦ ὄρους. quæ etiam vocant πόδας, καὶ προπόδας: quamuis Strabo alicubi duas posteriores partes non distinguat: & τὰ ὑπώρεια, πόδας nominet, Latini vocant radices montis.

Vox στρόβιλος quid.

Quem στρόβιλον appellant.) Vox στρόβιλος à στροβιλῶ. i. contorqueo deriuata: inter alia procellam, tempestatem, verticem, ventum verticosum significat. item turbinem, ludum & genus saltationis. Sic ergo montis ille vertex appellatus, quia procellis, tempestatibus, ventis verticosis atque turbinibus sit expositus.

Locus vbi Prometheus affixus fuit.

Vbi Prometheus affixus.) Hunc locum ipse quoque Pompeius, postquam Mithridatem è regno suo eiecit, visere voluit, teste Appiano. Q. Curtius lib. 7. Rupem quandam in eo esse dicit, cuius circuitus decem est stad. altitudo quatuor, in qua vinctum Promethea antiquitas tradit. Philostratus lib. 2. dicit alios affirmare illum in antro quodam ligatum fuisse, quod in radicibus montis ostenditur, vbi & vincula petris affixa conspiciuntur, quæ difficillimum sit noscere, quanam ex materia sint confecta. Alij in summo cacumine montis, quod cùm sit biceps, propterea singulis tumulis singulas manus alligatas fuisse, perhibent, cúmque stadii vnius spatio à se inuicem distent, tanta illum corporis proceritate fuisse tradunt. Hunc autem Prometheum ob singularem φιλανθρωπίαν. i. amorem, quem erga homines gessit, talia perpessum fuisse Barbarorum atque etiam Græcorum fabulis celebrari idem Philostratus commemorat, simul atque irridet. Sed nos Christiani has atque alias innumeras ethnicorum fabulas magno Dei beneficio multò iustius contemnere, suauitérque irridere possumus atque debemus. Habemus enim nos verum illum nostrum Prometheum. i. Christum, verbum ac sapientiam æternam Patris, cui ab æterno vnà cum Patre & Spiritu sancto optimè omnia prouisa, præmeditata, atque præordinata sunt, qui non ab Iapeto, vt fictitius ille Prometheus, sed à Semo secundum carnem oriundus, non in Caucaso, ac nescio quo Strobilo, sed in montana illa Hierosolymorum regione, loco Golgothæ, hoc est Caluariæ dicto, cruci ambabus suis sacrosanctis manibus affixus pro immensa ac infinita sua φιλανθρωπίᾳ hoc est amore erga genus humanum, partim suorum popularium Iudæorum, partim Aquilæ illius Romanæ, sub Tiber. imperat. immanitate neci traditus, ac mortis vinculis, quibus non poterat contineri, non Herculis nescio cuiusdam, sed sua ipsius diuina vi virtute ac potestate solutus, nobis non vt fabulosus ille Prometheus, suffurando, sed tristissima quæuis perpetiendo, cœlestem illum amoris diuini, scientiæ atque cognitionis ignem, denique salutem, vitámque æternam peperit. Cui laus, gratia, honor, in sæcula sæculorum, Amen.

Prometheus Christianorum verus.

A Bosporo Thracio Trapezuntem.) Sequitur pars secunda epistolæ, tractum maritimum à Bosporo Thracio Trapezuntem vsque qui quidem (secundum Arrianum nostrum) circiter 7145. est stad. complectens. Terminus à quo est Bosporus Thracius, ad quem Trapezus. Bosporum siue vt Grammatici ferè scribunt Bosphorum, à bouis meatu seu transitu dictum esse satis inter omnes ferè constat, sed quænam fuerit illa bos, & quà transierit variæ atque multiplices authorum sunt opiniones. Alii nanq; (quæ maximè est communis opinio) illum à Iouis illis amoribus, Inachi filia in bouem mutata, vnde ταυροπάρθενος à Lycophrone appellatur: quæ fretum hoc inter Chalcedonem & Byzantium, vel (vt alij) ab Europa in locum postea di- [redacted] appellatum fuisse volunt. Alii verò ab alia [redacted] gum vrgentium vim atque impetum viæ itinerísque dux per illud fretum secundum

cundum oraculum illis datum, exciterit: vnde monumentum eius bos æreus, à Chalcedone fuit excitatum. Alij à Phrygum mare hoc naue quadam, cuius in prora bouis caput fuit, traiiciendi consuetudine. alij à boue quadã, quæ œstro stimulata ad promontorium, in quo postea conditum est Byzantium, delata meatum medium traiecerit, vnde hic quidem Bosporus, illud Bosporiũ sit appellatum. Alij quòd omne fretum olim Bosporus sit dictus, alij quòd accolę ratibus bobus adiunctis mare hoc traiicere sint soliti. Recentiores denique nõnulli (inter quos Ioannes Antiochenus) à boue quadam, à Byzante conditore Byzantij immissa, quę fretum hoc ad Chrysopolim traiecerit, illud volunt fuisse appellatum. Sed de his plenius Apollonij scholiastes, necnon Gyllius, qui pleraque ex illo deprompsit. Mihi quidem simplicissima videtur esse Plinij sententia, qui vtrunque Bosporum à breui arctóque vel bubus meabili transitu vult esse dictũ. Phosphorum quoque, hoc est luciferum, cum aspiratione postea nuncupatum fuisse volunt, huiusmodi quodam casu, Quum Philippus Macedonum rex Byzantium oppugnans, cuniculos quosdam subterraneos ad vrbis subuersionem egisset, illi Lunæ per Bosporum irradiantis beneficio deprehensi, atque ita Byzantii extremo periculo liberati fuerunt, vnde Bosporus Phosphorus postea fuit nuncupatus.

Thracius.) Ad differentiam Cimmerij (de quo suo loco) necnon Indici (hi enim tres celebrantur Bospori) sic appellatur à Thracibus eis incolis, olim quoque Mysius à Mysis (teste Arriano nostro in Bithyn) eiusdem accolis. Similiter quum Bithynium, Mygdonium, Bebrycium appellare possis, quum Bithynia, quæ claudit Bospori latus dextrum, & Asiaticum, fuerit etiam appellata Mygdonia & Bebrycia, vt postea dicetur. Plurimis autẽ aliis nominibus, cùm à Græcis, tum à Latinis est insignitus. Arrianus noster os, siue ostium Ponti. Sic Cicero in Verrina quadam nunc introitum Ponti, nunc os atque angustias. Theocritus Idyll. κζ. — νιφόεντος ἀπαρτηρὸν σόμα Πόντου. i. difficile & asperũ niuosi Ponti os appellat. Strabo os Byzantinum, Herodotus os Chalcedonicũ, vulgò sacrum ostium. Sic enim elegantes Græci atque Latini marium, atque fluminum fontes quidam, siue principia, capita, exitus autem ostia appellant, ab animalibus ducta Metaphora. Græci quidam αὐλῶνα, Mela Canalem, alij Euripum Thracium, Herodotus modò Ponti os, modò αὐχένα appellat, quod Valla collum, Gyllius purè & Latinè fauces reddi posse existimat. Græci nostrę ætatis (Gyllio teste) λαιμὸν appellant. Turci eodem sensu Bogazin. Fauces, inquit Liuius, στενὰ vocant Græci. Recentiores quidam Stenon appellant, quod angustum significat. Mela (vt accuratè obseruauit Gyllius) etsi interdum totũ fretum nominat fauces, tamen partem vltimam Bospori inter Chalcedonem & Byzantium propriè appellat fauces, reliquam oris partem vocat os. In Bospori, inquit, faucibus oppidum, in ore templum est. Oppidi nomen Chalcedon, templi numen Iuppiter. Non minus rectè Threicias fauces Bosporum appellabimus, inquit Gyllius, quàm Lucanus Hellespontum appellauit. Aristides, εἰσβολὰς τοῦ Πόντου. rectius Philostratus ἐκβολὰς τοῦ Πόντου. Quum Bosporus sit Ponti exitus potius quàm introitus. Pomponius angustias, introitúmque maris venientis, nos fretum, Græci πόρθμον, siue πορθμέα appellant: sicut angustias terræ duo maria dirimentis Isthmum. Ptolom. os occiduum Ponti. Apollonius Argonauticorum author σκολίου πόρου στεινωπὸν. Ioannes Tzetzos appellat Bosporum Damalitem sua ætate nuncupatum, vulgò Bosporium. Aristides ianuam Ponti, Euripides eleganter clauem Ponti: sic claustrum appellare possis. Est autem fretum hoc multis admirandis rebus valde clarum, atque illustre, summáque admiratione dignum, ita vt licet sit angustissimum, tamen amplissimam dicendi materiam suppeditet. Hoc enim fretum, quod primùm Darius (vt antea illius pater Xerxes Hellespontum) ponte constrauisse fertur, teste Herodoto, licet sit angustissimum, tamen duas amplissimas & orbis partes,

Asiam nimirum atque Europam, & duo vastissima maria, Pontum & Ægeum quasi clauis quædam claudit & aperit. Est autem hæc duorum orbium in dissociatione, vt elegantissimis Plinij verbis vtar, germanitas concors, ceu ingens quoddam Dei Opt. Max. opus admiratione dignissimum. Alitum quippe (vt inquit Plinius) cantus, canúmque latratus inuicem audiuntur. Vocis etiam humanæ commercia inter duos orbes, manente colloquio, nisi quum idipsum auferunt venti. Fretum præterea hoc, licet ab Apollonio δινῆεν, id est, verticosum & rapidum appelletur, necnon fluctuosum, cuius fluctus montium instar assurgunt, forsan in strictissimis illius angustiis (de quibus postea) tamen maxima sui parte, teste Gyllio, est nauigabile, portuosum, cuius plusquam triginta sunt portuosi sinus, inter quos Chrysoceras ille excellit. Apollonius illud ἠερόεν, id est, caliginosum appellat, sed Gyllius hoc nō ipsius cæli fretiq; naturæ, sed longo locorum interuallo, quod est circiter octoginta mill. pass. à Cyzico, vnde Argonautæ illud perspexerant, ascribit. Denique plurimis & historiis & fabulis decantatus, celebratur Bosporus, & sua qua cætera maria superat dulcedine, & quam locis illis affert quæ alluit, fœcunditate, & delphinorum, pelamydum, ostrearum, hamiarum aliorúmque piscium (vnde ἰχθυόεις in cuiusdā fabulę, qua Darii pons atque exercitus ad viuum expressus est, epigrammate apud Herodotum appellatur) summa abundantia, præterea riuis perennibus atque perlucidis hinc atque illinc in ipsum illabentibus, ædificiis sacris atque prophanis, quorum caput est Byzantium, denique collibus atque vallibus circumcirca nemorosis, vitiferis atque frugiferis, hortis amœnissimis, inter quos horti Regii excellunt, item illud à plurimis Nympheum, iuxta Chalcedonum situm, omnium certè laude atque prædicatione est dignissimus, ita vt Φώσφορος potius, quàm Bosporus dici mereatur. Cuius pleniorem perfectiorémque cognitionem qui desiderat, elegantissimos subtilissimósque de eo Gyllii libros tres legat.

Templum Iouis Vrij.) Celeberrimum hoc fuit clarissimúmque templum, de quo paulò pòst. Bosporus plurimis aliis quoque deorum atque dearū templis atque delubris oneratus malo dicere, quàm exornatus fuit. Vnde sacrum ostium à veteribus dictum esse volunt, Sacrum, imò sacerrimum, sed alia quam illi, vocabuli huius significatione, id est, execrandum abominandúmque verissimè rectissiméque dixeris. Fuit enim Bethauen, id est, idololatriæ & dæmonum verius, quàm (vt illud Gyllius appellat) deorum sedes ac domicilium. Iaso duodecim diis apud Bosporum sacrificasse, templúmque condidisse legitur. Apollinis sex iuxta Bosporum templa fuerunt, item Iunonis Acrææ in Bosporio. Neptuni templum in arce Byzantina antiquū fuit. Veneris & ara in Chrysocera, id est, sinu Auricornu nuncupato, & templum in suburbano Chalcedoni proximo, item aliud eiusdem in portu Lyciorum. Iuno circa Bosporum duplex & gemina. Mineruæ (quam vrbium & arcium tutricem credidit antiquitas) & Echasiæ cognominatæ aræ in Byzantina arce, & Dissipatoriæ cognominatæ, altera ara supra Bosporum fuit. Dianæ sex illustria templa celebrantur, Dianæ Dictynæ in medio Bospori: Orthosiæ in fine Bospori: Persophonæ in promontorio Bosporio, in opposito litore Dianæ Luciferæ, in Bospori portu Dianæ Phosphori.

Fanum Iouis Vrij à Byzantio centum viginti stad.) Totidem Polybius, Arrianus & Menippus, à Chalcedone hoc idem phanum volunt distare. Idē phanum Polybius author est ab Europa distare 12. stad.

Angustissimum os Ponti.) Sic Mela in Bospori faucibus vrbem Chalcedonem, in ore, templum Iouis dicit esse. Cicero in Ponti ore & angustiis. Hic locus omnino postulat, vt quædam de Bospori quantitate paulò quàm superius accuratius dicam. Ac primò quoad eius longitudinem, variè eam definiūt scriptores. Herodotus nulla mentione terminorum facta, centum viginti stad.

asserit

asserit.eandẽ & Polybius ex parte Ponti,Phano nuncupato: ex parte Propontidis,Chalcedone,& Menippus atq; Arrianus in suis periplis Bithyniæ,à phano nimirum Iouis Vrii in Asia Chalcedonem vsque longitudinem asseruit.Sosimus historicus trecenta stad. facit.Gyllius oculatus testis, à Cyaneis petris, quas initium ad locum inter Chalcedonem & Byzantium, quem finem Bospori statuit cẽtum sexaginta stad.longitudinem se deprehendisse testatur.Latitudo Bospori varia est.Herodotus & alij eam simpliciter quatuor aut quinq; stad.definiũt,sed angustissima est intelligenda,vt est duobus in locis.Primò est ad phanum Iouis, cuius hîc ab Arriano fit mentio,necnon à Strabone. Philostratus & Dionysius Byzantius idem sentiunt,atque definiũt largum quatuor stad.Alter locus est ad Hermæum promontorium,quem Strabo & Mela,necnon Polybius(strictissimum oris Pontici appellans)quinque stad.esse affirmãt. Gyllius quatuor stad.has vtrasque angustias libenter se fune mensum fuisse testatur,nisi accolæ superstitiosi eum deterruissent, sibi tamen, quantum oculis iudicare potuerit, eadem ferè latitudine, dimidio quidem arctiores, quàm Hellesponti visas fuisse testatur,licet Lucanus Hellespontias aut arctiores,aut non minus arctas his versibus designare videatur.

Non Asiæ breuioris aquæ disterminat vsquam
Fluctus ab Europa,quanuis Byzantion arcto
Ponto,& ostriferas dirimat Chalcedona cursu.

Hæ Bospori solæ duæ angustiæ literarum monumentis sunt consignatæ. Piscatores autem(vt inquit Gyllius)nostræ ætatis duas alias ponunt. Vnas quidem à promontorio Europæo nuncupato Estiis,ad litus Asiaticum vulgò Cecrium nuncupatum,quas nonnulli tam arctas esse testantur,quàm ad Hermęũ promontorium. Alias angustias definiunt inter promontorium Argyronium, & Melton,quas illis ad phanum Iouis æquales esse volunt.Alias præterea Gyllius se animaduertisse ait, inter Coracium promontorium, & portum Lyciorum:alias inter promontorium Clidium,& litus contrariũ vicinum vico Scauro nuncupato. Reliqua Bospori latitudo (eodem teste) varia est, sed via nusquam excedit duodecim stadia,nisi vbi in aliquos sinus dilatatur.Interuallum porrò inter Chalcedonem & Byzantium,vbi finis Bospori Gyllio videtur,Polybius vult esse quatuordecim stad. Antoninus Pin.in suo itinerario quatuor mill.pass.Strabo πεντεκαίδεκα στάδιον.Plinius septẽ stad.secundũ Hermolai correctionem,D.aut DC.Gyllius quantum oculis æstimare potuerit,non duodeuiginti stadia attingere sibi visum esse ait. Dionys.Byzantius inter promontorium nuncupatum Bouem siue Pantalim,& contrarium promontoriũ Bosporium nominatum,7.stad.latum esse scribit.

Per quod in Propontidem exoneratur.) Sic Strabo libro 2. Pontum ait,iuxta Thracium in Propontidem exonerari:pro verbo εἰσβάλλειν, quo Arrianus noster vtitur,verbum ἐκδιδόναι vsurpans. Vt Mœotis Ponti mater, per Bosporũ Cimmerium in Pontum erumpit,ita Pontus per Bosporum(cuius quasi pater dici potest)primò in mare Ægeum sese exonerat. Notandũ hîc quoque nonnullos in ea fuisse opinione,vt existimarint Pontum olim nullum habuisse per Bosporum exitum,de qua re pluribus Strabo libro 1. Hinc apparet Arrianum existimasse Pontum per Bosporum Thracium in Propontidem, ac deinceps per alteras angustias Hellesponti in Ægeum exire,non autem,vt plerique veterum,Ægeum per Propontidem & Bosporum in Ponticum mare influere,de quo suprà pluribus.Hinc rectius Philostratus ex Gyllii sententia, Bosporum τοῦ Πόντου ἐκβολάς, quàm Aristides εἰσβολάς appellauit.

Propontis autem ipsius Ponti quasi aluus,siue πρόθυρον, id est,vestibulum, vnde (teste Solino)à veteribus videtur esse dicta.Est autem vbi mare se rursus aperit,dilatat atque expatiatur.In hoc autem maris Pontici in Ægeum influxu,Ecclesiæ in hoc mundo militantis, atque in cælestem patriam pergentis,

imaginem quandam animo meo mihi intueri videor. Nã queadmodum vastũ illud, atq; (vt illud Dionys. appellat) πολύκλυστον, id est, fluctibus assiduis agitatũ mare, primò per Bospori angustias, deinde per Propontidis laxitatem, postremò rursus per alias Hellesponti angustias in Ægeũ mare tendit, ibíque quiescit. Sic Ecclesia Christi plurimis ærumnarum atque calamitatum fluctibus in hoc mundo vexata atque afflicta per varias angustiarum atque relaxationis recreationísque cuiusdam exiguas vices tandem in cælum migrat, sedes vbi fata (Dei effata, oracula, dicta) quietas & tranquillas monstrant. Sed redeamus ad propositum. Mare hoc patens atque diffusum Propontis dictum, quod (teste Eustathio) nonnulli simpliciter Ostium, alij per appositionem Ponti ostiũ (vt de Bosporo dictum fuit) appellant, plurimis ac prestantissimis insulis, populis, vrbibus, fluminibus in illud influentibus, piscibus denique valde clarum est atque illustre, cuius descriptionem præter Plinium, Strabonem, & alios veteres authores, Gyllius sub finẽ libri de Bosporo Thracio, vt & Hellesponti, pollicitus est, quæ extet nécne ignoro. De piscibus autem Propontidis & illorum capiendorum ratione, Bellonius oculatus testis multa scripsit, lib. 1. Obseruationum cap. 73. 74. 75. Atque hæc de Bosporo Thracio, & Propontide, nunc de phano Iouis dicamus. Phanũ hoc fuit ἐπιφανέστατον ad Cyaneas (nõ insulas) sed petras situm, ex quo (teste Herodoto) Darius cum ingenti animi sui delectatione Pontum longè latéque contemplatus fuit.

Iuppiter Οὔριος Græcè, Latinè Imperator dictus fuit. Græcè Οὖρος ventus dicitur secundus, ἀπὸ τοῦ (vt Grammatici docent) ὀρθοῦν καὶ προπέμπειν τὴν ναῦν, id est, quia nauem propellat atque promoueat: vnde οὐριοδρομεῖν vento secundo nauigare, & nauis οὐριόδρομος, quæ vento secundo vtitur. Iuppiter itaque hic dictus est Οὔριος, quasi venti secundi dator. Idcirco Argonautæ, teste Apollonio lib. 2. quum Ethesiarum flatu (qui nauigantibus in Pontum contrarii existunt) apud Phineum retinerentur, vatis cuiusdam (quem alij Glaucum deum marinum, alii Orpheum, alii ipsum Phineum esse existimant) iussu admonitúque ara duodecim diis constituta, cùm Neptuno, tum maximè Ioui Vrio sacrificarunt, vt placaret Ethesias, ventósque secundos daret, vnde postea phanum Iouis Vrii appellarunt. Quò autem Argonautis ille quisquis fuerit, siue Orpheus, siue Glaucus, siue Phineus, facilius huiusmodi sacrificium persuaderet, vsus est exemplo Aristei, qui & ipse Ioui ἰκμαίῳ, cùm cæterorum ventorum, tum Ethesiarum aram erexit in Coo insula, propterea quòd Ethesiæ à Ioue dantur ad refrigerandos calores, vnde postea Cois lege sancitum fuit, quotãnis cum armis obseruare exortum Caniculæ, ipsíque sacrificare, quo tẽpore Ethesiæ flare incipiunt ad refrigerandam terræ siccitatem. Hæc Apollon. Forsan etiam sic dictus fuit ab οὔρεσι. i. montibus, in quibus Iouem Icmasum Ethesiarum datorem à Cois cultum fuisse Apoll. lib. 2. testatur, quanuis in vniuersum Iouem (vnde Olympius dictus) in mõtibus cultum fuisse legimus. Nos verò Sacris edocti literis persuasum exploratúmque habemus, verum ac solum Vrium. i. ventorum tam secundorum quàm etiam aduersorum authorem esse Deum Opt. Max.

De hoc autem templo sic Dionysius in suo Anaplo. Post Chelas ait esse nũcupatum Hieron, hoc est, phanum, à Phryxo Nephelæ & Athamantis filio ædificatum quum nauigaret ad Colchos, à Byzantiis quidem possessum, sed cõmune receptaculum omnium nauigantium. Supra templum est murus in orbẽ procedens, in hoc est arx munita, quam Galatæ populati sunt, vt alia pleraque Asiæ. Possessio autem phani controuersa fuit, multis ipsam sibi vendicantibus ad tempus mari imperantibus, sed maximè omnium Chalcedonii hunc locum sibi hæreditarium asserere conabantur. Verumtamen possessio semper remansit Byzantiis olim quidem ob principatum & domesticum robur: multis enim nauibus mare possidebant, rursus verò quum emissent à Callimide Seleuci exercitus

ercitus duce. Hæc quidem Dionysius de fano. Polybius verò ait Prusiam locum natura munitissimum, & supra ipsum Ponti ostium situm fanum nominatum cepisse, quod Byzantii non multò ante ingenti pecunia mercati fuerant, opportunitate loci pellecti, ne quam commoditatem alicui relinquerent in Pontum, vel ex Ponto nauigandi, nisi id cum Byzantiorum voluntate faceret. Verum Prusias postea Byzantiis fanum reddidit, itémq; ligna, tegulas, laquearia quæ ex fano exportauerat, restituit. Pomponius Mela non à Phryxo conditum, sed à Iasone tradit. Apollonius scribit Argonautas cum Iasone nauigantes ad Colchos in littore Asiatico, quod etiam nunc appellant ἱερὸν aram constituisse duodecim diis, in eáque sacrificasse. Polybius similiter tradit Iasonem in hoc loco litasse duodecim diis. hi sunt: Iupiter, Iuno, Neptunus, Ceres, Mercurius, Vulcanus, Apollo, Diana, Vesta, Mars, Venus & Minerua. Diodorus Siculus similiter dicit Argonautas redeuntes ex Colchis, cùm ad ostium Ponti peruenissent, ad terram appulisse, cui tum imperaret Byzas, à quo Byzantium est appellatum, ibíque aras excitasse & precibus & votis deos veneratos locum consecrasse, quem etiam nunc præternauigantes venerãtur. Timosthenes quidem dicit nauigantes cum Phryxo aras hîc posuisse duodecim diis: Argonautas verò aram constituisse Neptuno. Herodotus in ara scribit sacrificasse Argonautas, in qua Argos Phryxi rediens ex Colchis prius sacrificauerat. Et Menippus, inquit, ἐν περίπλῳ Bithyniæ, à fano ait Iouis οὐρίου, & ab ore Ponti sinistra habenti continentem, & nauiganti Chalcedonem vrbem, sunt stadia 120.

Sed omnium clarissimam huiusce templi mentionem elegantissimis hísce verbis in sua in Verrem inuectiua Cic. facit. Tria, inquit, ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Vrii pulcherrimè facta. Vnum illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus: alterum in Pōti oris & angustiis: tertium quod Syracusis ante Verrem prætorem fuit. Illud Flaminius ita ex æde sustulit, vt in Capitolio, id est, in terrestri domicilio Iouis poneret. Quod autem est ad introitum Ponti, id cùm tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porrò in Pōtum inuecta sint, vsque ad hanc diem integrum, inuiolatúmque seruatum est. Eiusdem denique, vt nunc est, egregia hæc est atque luculenta Gyllii oculati testis descriptio. Ἱερὸν, inquit ille, etiamnum à Græcis appellatum, à Latinis fanum paruum castellum natura & muro munitum à solis Turcis habitatum, situm est in altum ædito supercilio promōtorii, cuius proiectu Bosporus in maximas totius oris Pontici angustias coarctatur. Proiicitur enim à Solis ortu ad occasum, at Europeum promontorium, in quo antè dixi etiam nunc restare vestigia antiqui fani Europei, procurrens à Septentrionibus ad Meridiem easdem angustias premit stringítque. Illud Asiaticum Ptolemęus appellat Bithyniæ promōtorium, quod triplici cliuo subsidet. Hæc ille. Hinc & Niceph. Gregoras lib. 5. ἄκραν vocat τοῦ ἱεροῦ, quod os Ponti dicitur, vbi Cyaneas & Planetas Græci dixerunt esse, & Niceph. Callistus lib. 13. cap. 16. ἱερὸν. i. sacrum ad Ponti os nauium stationem, quæ ibi est, vocari dixit. In eodem porrò loco, Ponti nimirum introitu, templi quoque Dianæ, atque Neptuni fit à scriptoribus antiquissimis mentio. Sed an idem fanum sit Iouis & Neptuni & Dianæ (nam horum trium fit mentio apud scriptores in Ponti introitu) ac si diuersa, an in eodém promontorio constituta fuerint, assequi possumus ex his, qui scribunt in hoc loco Argonautas aram excitasse & litasse duodecim diis inter quos Iupiter & Neptunus & Diana: tum ex Ptolemæo coniicio, qui Iouis Vrii quum nō meminit, neque Neptuni, sed duntaxat promontorium Bithyniæ esse dicit iuxta Bosporum, in quo fanum Dianæ esse dicit. Arbitror autem in eodem tēplo fuisse Dianam & Iouem, subsecutísque bellis Iouem ex introitu Ponti sublatum nomen reliquisse Dianæ: aut si in eodem loco duæ ædes fuerunt Iouis & Dianæ, tamen nauigantes magis celebrasse Iouem, vt secundorum ventorum datorem. Neptuni templum fuisse in eodem loco, quo Iouis, designat Pli-

nius, quum non meminit fani Iouis, ſed ſolius Neptuni ponit in ora Boſpori. At clarius Ariſtides in orat. Iſthmica. Omnes, inquit, illuſtriſſimæ & celeberrimæ partes terræ Neptuno dedicatæ ſunt: in Ponti enim introitu, vbi maris anguſtiæ ſtrictiſſimæ, ex ſeſe aperiunt mare ingens, & petræ Cyaneæ hinc nominatæ ſunt, & portæ maris, quæ prius clauſæ exiſtimabantur, aræ ſunt Neptuni & templa. Denique in eodem loco fuiſſe templum Neptuni, in quo ſtatutæ fuerunt ædes & aræ duodecim diis, colligitur cùm ex præcedentibus, tum ex iis, quæ ſcribit Nymphis Heracleota in ſexto libro de patria ſua. Cùm, inquit, Pauſanias viciſſet ad Plateas Mardonium, à Sparthæ legibus deſciſcens & ſuperbè ſe efferens, quum circa Byzantium ageret, æreum craterem ſtatuit duodecim diis in ore Ponti ſitis, in quo auſus eſt inſcribere hanc inſcriptionem, ſui oblitus ob delicias & ſuperbiam,

Μνᾶμ' ἀρετῆς ἀνέθηκε ποσειδάονι ἀνάκτι,
Παυσανίας ἄρχων Ἑλλάδος εὐρυχόρυ,
Πόντυ ἐπὶ εὐξείνυ Λακεδαιμόνιος γένος,
Κλεμβρότυ ἀρχαίας ἡρακλέους γενεᾶς.

Herodotus meminit huius crateris. In Exampeo, inquit, loco ſito inter Boryſthenem & Hypanim iacet ahenum ſexies tantum capiens, quantum ſemel crater, qui eſt in ore Pōti, à Pauſania Cleombroti filio dedicatus. Quod ſi quis non inſpexit, hunc ei in modum declarabo. Illud ſitum in Exampeo ſexcentarum eſt amphorarum facilè capax, craſſitudine ſex digitorum. Cur Neptuno potiùs quàm Ioui Pauſanias dedicarit craterem: aut ſecutum, inquit Gyllius, fuiſſe arbitror fani nomen, quod tum fortaſſe frequentius appellabatur Neptuni quàm Iouis: aut quia in oppido fanum proprium eſſe Neptuno dedicatum, in quo ſtatuit hunc craterem Pauſanias. Nam ſi eadem ædes fuit Iouis & Neptuni, haudquaquam video cauſam, cur nō potuerit potius quàm Neptuno dedicare Ioui Eleutherio, quòd terra potius quàm mari viciſſet Mardonium. Ioui Eleutherio enim craterem ſolebant antiqui ſtatuere pro libertate, qui hoſtes repuliſſent. Sed in hac re puto ſecutum Pauſaniam commune iudiciū Græcorum, qui Neptuno, vt σωτῆρι aram erexerunt, quod Neptunum exiſtimarent Græciam liberaſſe à Perſarum ſeruitute. Neptuni ſtatuam ſimiliter æream fuiſſe non aliunde colligere poſſumus, quàm à coniectura illa. Veriſimile enim videtur, ſiue fuerit illa à Chalcedoniis ſtatua, ſiue à Byzantiis, vtriſque colonis Megarenſium & Corinthiorum eos imitatos fuiſſe progenitores ſuos, qui in Iſthmo curarūt, vt Lyſippus efficeret Neptunum æneum. Statuam autem huius fani, cuiuſcunque dii fuerit, ſiue Iouis ſiue Neptuni, ita Dionyſ. deſcribit. In fano, inquit, ſtatua ærea eſt antiquæ artis, ætatem puerilem prę ſe ferens, tendens manus. Cauſæ multæ afferuntur, cur hæc ſtatua ſit in hanc figuram conformata. Quidam, inquit, aiunt Audaciæ ſignum eſſe nauigātium, deterrens temeritatem nauigationis periculis plenam, atque oſtendens redeuntium ſalutis fœlicitatem & pietatem: non enim ſine terrore vtrunque eſt. Alii dicunt puerum in litore errantem aliquantò poſt veniſſe, quàm è portu nauis ſoluta eſſet, ſalutiſque deſperatione affectum, manus ad cœlum tēdere: pueri autem preces Deum exaudientem reduxiſſe nauem in portum. Alii aiunt in magna maris tranquillitate omni vento ſilente, naue diu retardata, nautas inopia potus laboraſſe: nauarcho autem viſionem inſediſſe, iubentem, vt nauarchus filium ſuum ſacrificaret, non enim alio modo poſſe aſſequi commeatum & ventos. Nauarcho neceſſitate coacto & parato puerum ſacrificare, manus quidem puerum tetendiſſe, Deum verò miſericordia motum ob abſurdū pueri ſupplicium óbque pueri ætatem ſuſtuliſſe puerum, & vētum ſecundum immiſiſſe. Hæc quidem & his contraria, vt cuique placuerit, credibilia exiſtimentur. Poſtremò Iupiter hic Vrius, ſeu Imperator à Præneſtinis quoque fuit cultus, cuius ſimulachrum apud ipſos cùm eſſet, Romam tranſlatum fuit: in

VIII.

VIII. verò vrbis regione collocatum, vt P. Victor testis est. Liuius lib. 6. ab v. c. Titus, inquit Quintius, semel acie victor, binis castris hostium nouẽ oppidis vi captis, Præneste in deditionem accepto, Romam reuertitur, triumphánsque signum Præneste deuectum Iouis & Mineruæ, tabuláque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum. M. Tullius in VI. Verrina, Iouem imperatorẽ inquit, quanto honori in suo templo fuisse arbitramini colligere potestis, Iouis imperatoris simulachra præter hoc Prænestinum, &c.

Quæ tibi scienti commemoro.) Adrianus enim cùm cæteras orbis partes, tũ Asiam quoque peragrauit, vt testis est Ælius Spartianus, qui illum per Asiam iter facientem, templa sui nominis consecrasse ait: quamobrem mirum non est illum horum locorum rationem cognitam perspectámque habuisse.

A dextris nauiganti.) Duplex enim à Propontide nauigantibus sese Põti latus offert. Vnum dextrum quod Bithynia claudit, quod Chalcedonium, Asiaticum & Bithyniacum. alterum sinistrum, quod Thracia claudit, quod Byzantium, Europæum & Thracium. Strabo in Pontum Euxinum, inquit, à Propontide nauigantibus à lęua iacent ea quæ Byzantio sunt contigua, & à Thracibus habitata, & Ponti læua appellantur Thracea: à dextris sunt Chalcedoni proxima, è quibus Bithyniorum sunt priora, sequentia Mariandenorum (quidam ea Cauconum dicunt) reliqua Paphlagonum vsque ad Halym. Postrema Cappadocum, qui iuxta Põtum sunt, & reliquorum vsque in Colchidem. Hęc ille. Sic Marcell. lib. 22. Dextrum igitur ad inflexionem Bospori Thracii excepit Bithynia latus, quam veteres dixere Mygdoniam, in qua Thynia & Mariãdena sunt regiones, & Amyti sæuitia Bebryces exempli, virtute Pollucis. Hinc Apollon. lib. 2.

—ἢν δὲ φύγητε,
Σύνδρομα πετράων ἀσκηθέες ἔνδοθι πόντου,
Αὐτίκα βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες.

Eustath. in illum locum dextrum Ponti latus Bithynia, sinistrum Salmydessus, & Thracia occupat. Ab Arriano igitur nostro primò dextrum Asiaticũ, Chalcedonium, seu Bithyniacum: deinde Europæum, Byzantinum, seu Thracicum describitur.

Quoad prius, antequam ad illius explicationem & diuisionẽ accedamus, Asiæ, in qua illud continetur, vnde Asiaticum dicitur, descriptio breuis nobis videtur esse præmittenda. Asia igitur duplex à Geographis statuitur. Maior, illa terrarum pars tertia. Minor, quæ quidem secundum Geographos illius maioris ambitu complexúque coercetur. Secundum historicos autem scriptores est omnis illa terra, quæ intra Meridionale Euxini Ponti latus, & Ægei pelagi Orientalia, & Septentrionalem partem nostri maris atque Occidentalem Euphratis ripam continetur, quam nonnulli magnam Chersonesum vocãt. Hęc complectitur Bithyniam Pontum, & minorem Asiam, Lyciam, Galatiam, Paphlagoniam, Pamphyliam, Cappadociam minorem, & Armeniam minorem, ac Ciliciam, quas omnes Græci hodie trito vocabulo Natoliam, corrupto vocabulo pro Anatoliam, id est, Oriẽtalem plagam appellant. Natoliam vniuersam olim Græca lingua vsam fuisse Bellonius ex epigrammatis sepulchrorum atque ædificiorum Græcis se collegisse dicit lib. 3. cap. 34. Eiusdem quoque breuem descriptionem vide apud eundem lib. 1. cap. 68. Hæc rursus, teste Nigro, bifariam diuiditur. Nam apud barbaros pars illa, in qua Asia, Bithynia, Galatia, Paphlagonia, Cappadocia prima Rom. id est, Romana, siue Romæa appellatur, & illius incolæ Rœni, id est, Romani vel Romæi dicuntur. Pars verò altera, quæ ad Austrum est, in qua Lycia, Pamphilia, Cilicia sunt, Ottomanidia. i. familiæ Ottomani dicitur. Hæc verò regio Asiana fertilissima olim, omnis generis delitiarum ac voluptatum abundantissima, eadémque terrę motibus, quibus, vt est in historiis, Tiberii Cęsaris temporibus duodecim vna no-

cte vrbes prostratæ fuerunt,mirum in modum obnoxia fuit,eadem hodie crebris cùm terræmotibus,tum bellis deuastata, quasi in luctu ac sordibus iacet. Arrianus igitur noster hac secunda epistolæ suæ parte illam ferè Asiæ minoris partem, quam Rom.i. Romanam à barbaris trito & vsitato vocabulo hodie dixi appellari, in qua Bithynia, Paphlagonia siue Galatia, & Cappadocia continetur,describit.cui Colchidem deinceps subiungit,de qua in prima epistolę parte. Omnino igitur pars hæc secunda epistolæ tres regiones, secũdum quas commodissimè diuidi potest,complectitur.Prima est Bithynia, quæ secundum Arrianum est ab ore Ponti vsque ad Parthenium fluuium, quod secũdum Arrianum nostrum 2290.est interuallum. Secunda Paphlagonia maritima, quæ est à Parthenio vsque ad Halym fluuium interuallo 2140.stad. Tertia est Cappadocia ab Haly fluuio vsque ad Trapezuntem 2715. stad. interuallo, vbi Colchis ferè incipit. Easdem partes siue regiones eodem ordine Strabo ponit. Primò Bithyniam, secundò Mariandenam, tertiò Paphlagoniam vsque ad Halym,quartam & postremam Cappadociam vsque ad Colchidem. Mariandenam addit ille quartam,sed,vt postea,illa sub Bithynia comprehenditur. Hæ porrò tres regiones atque gentes rursus cõmodè ad duas quasi principes partes seu regiones redigi possunt, quæ quidem duo primùm regna, deinde duæ popul.Rom.nobilissimæ prouinciæ extiterunt, tandémque in vnam prouinciam fuerunt redactæ. Eæ sunt, Bithynia primùm ab ore Ponti & Chalcedone vsque ad Heracleam, quæ primò regnum, deinde Nicomedis vltimi regis testamento populi Romani, prouincia facta est. Altera est Pontus, quæ & ipsa regnum quondam,quod sub Mithridate Eupatore vltimo rege florentissimum extitit ab Heraclea vsque in Colchidem,tandem Mithridate à Pompeio deuicto in pop.Rom.prouinciam cessit.Atque sic Bithynia & Pontus duas illas posteriores Paphlagoniam nimirum atque Cappadociam sub se continet. De his Arriani nostri epistolæ filum secuti, ex ordine dicemus exorsi à Bithynia,de qua generatim quædam nobis sunt dicenda.Hæc secundũ Ptolemæum terminatur ab occasu ore Pontici maris,& Thracio Bosporo,ex parte Propontidis. A Meridie regione,quæ propriè Asia dicitur iuxta Rhyndacum amnem. Ab ortu Solis Galatia Paphlagoniáque. A Septentrione parte Ponti Euxini aduersa,vt inquit ex Plinio Solinus,Thraciæ & proxima Troadi.Sic dicta est, vel vt nonnulli volunt à Bithyno siue Bithynio rege Iouis & Thracis filio,vel, vt alij, à Bithyno fluuio ad quem fame pulsa consedit & habitauit. Plurimis quoque aliis nominibus Bithyni insigniti fuerunt. Nam & Bebryces olim,& Mariandyni,Thyni,Mygdones,Strymonii,quod (vt inquit Herod. Strymonem fluu.accolerent,qui deinde à sedibus suis eiecti, in Asiámque transgressi vocati sunt Bithyni.Hi (vt inquit Strabo lib.12.) cùm Mysii essent,à Thracibus Bithynis,& Thynis,qui ibi habitauere,ita postea fuerunt nominati. Constans hæc est atque communis omnium ferè scriptorum sententia & opinio, Bithynos hosce Asianos à Thracibus Europæis esse oriundos: fame enim vel vt alii tradunt bellis compulsos ex Europa in Asiam migrasse.

Αὐτίκα βιθυνῶν ἐπὶ δέξια γαῖαν ἔχοντες.) Apollonij Scholiastes duplicem Bithyniam facit. Asiaticam alteram quæ est in Bosporo, & ore Ponti sita. Europæam alterã (Asiaticæ quasi matrẽ & procreatricẽ) quæ est in Thracia,& circa Salmydessum. Vnde Strabo in Thracia suis quoque temporibus quosdam Bithynos fuisse appellatos dicit.Idem Apollonii interpres duplici huic Bithyniæ subiungit insulam quandam in Ponto, in qua sit Apollinis templum, quæ sit Bithynia dicta, quam verisimile est eandem esse,cuius paulò pòst Arrianus mentionem, Apolloniam paruam insulam quæ forsan ab initio Bithynia seu Thynias (est enim in hac regione Bithynica dicta) postea Apollini consecrata,cuius in ea templum fuisse Eustath.inquit, Apollonia fuit nuncupata. Hæc de Bithyniæ nominibus, situ, origine breuiter. Regio hęc Bithynica Asiatica

(vt

(ut paulò antè in genere de Asia dictum est) fuit, vt Solinus inquit, opulenta, fertilis atque fœcunda. vnde Apollonius eam ἐϋθηλέα γαῖαν, id est, viridem, siue virentem terram appellat. Dionysius λιπαρὴν, id est, pinguem, opimam. Hinc Flaccus,

Proxima Bebryaci panduntur littora regni
Pingue solum, & ducis regio non inuida Tauris.

Et Lucanus,

Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus.

Ex Theocriti quoque Idyll. κζ. regionis illius fœcunditatem colligere licet. Horum victus atque deliciæ (vt quidam tradunt) fuerunt vermes albi & obesi, qui nigello sunt capite, & in lignorum carie nascuntur, teste Hierone. Apud illos auripigmentum foditur, quod ἀρσενικὸν Græcè dicitur. Rebus naualibus excelluit, lapidicinis in quibus chrystallus. Eustath. in Dionysium. Sed non minus doctissimorum virorum ferax fuit, cuiusmodi fuerunt, Xenocrates philosophus, Dionysius Dialecticus, Hipparchus, Theodosius, & filij eius Mathematici, Cleophanes, Myrleensis, & Asclepiades medicus Prusiensis. Feram tamen olim fuisse gentem (nam ex opum affluentia plerũque morum feritas, ferocia, superbia) Lucanus his verbis declarat,

Non muri cinxêre domos, non fœdera legum
Vlla colunt, placidas aut iura tenentia mentes,
Quales Æthneis rapidi Cyclopes in antris.

Diues fuit, vt inquit Solinus, vrbium, inter quas versus occasum, siue Propontidem vehementer claræ atque illustres plurimis literarum monumentis celebratissimæ fuerunt, Chalcedon Megarensium colonia, Procerastis antea dicta, hodie Cacelina, siue Galata, æris, metallis (quæ nunc defecerunt) Smaragdis (quorum ibi magna quondam copia) abundans, necnon Nicæa, Nicomedia, Prusia (Bursa inuersis literis à posterioribus appellata) quæ & Zolia. Hæ omnes vrbes (vt nihil dicam de corporeis illarum plurimis & maximis commodis atque ornamentis, quæ plurima fuerunt) veræ religionis cultu, Synodis in iis celebratis, denique Ecclesiæ columnis atque luminibus, doctrina ac pietate præstantissimis viris non modò ad laudem, verùm etiam ad admirationem vsque olim floruerunt. Minimè quoque hîc silentio est prætereundum, gentes hásce nimirum Bithynos, Bebrycas, Thynos, Mygdonas, Mariandynos, Cauconas (quarum nominibus Bithyniam diximus fuisse insignitam) peculiares olim atque distinctas à se inuicem gentes, certis quibusdam finibus separatas fuisse, quæ tandem omnes in vnius Bithyniæ nomine, non secus atque diuersa flumina in vno aliquo pelago, delitescentes euanuerunt. De his igitur separatim quædam (quantum ex scriptoribus hinc inde colligere potui) dicam, eo sanè ordine quo à Strabone libro 7. collocantur. Primi sunt apud illum Mygdones, quos idem & 7. & 12. libro post Doliones in ea Phrygiæ parte statuit, quæ Troiadi superiacet ad Rhindacum amnem, & Dascyliticum vsque ad Myrleanorum agrum. Apollonij interpres Bebrycas dicit Mygdonas postea fuisse appellatos à Mygdone illorum Rege. Alia fuit Mygdonia regio litoralis Macedoniæ (teste Herodoto libro 7.) quam Axius fluuius à Bottiæide distérminat. Mygdonibus subiungit Bebrycas. Hi aliter quoque Bebrycij dicti, Asiæ fuerunt populi, quos Arrianus originem à Bebryce trahere vna filiarum Danai scribit, quæ vnà cum Hypermnestra præter iussa patris viro pepercit, quare fugiens parentem, vnà cum viro in hæc loca peruenit, incolásque ritus docuit Ægyptios, pro quibus meritis regionem ab eius nomine Bebryciam ferunt appellatam. Tenebant olim totum tractum vsque ad Ephesum, & Magnesiam, vt scribit interpres Apollonij, Charontem adducens authorem, qui dicit Lampsacenorum regionem olim Bebryciam appellatam. Stephanus Bebrycas alios iuxta Pontum, alios iuxta Iberos in Europa scribit. Lycophron Be

brycum meminit, quos eius Scholiastes Tzetzes Troas interpretatur. Bebryces enim, inquit, sunt qui nunc Mysi, interiores Bithynis, quorum mons Olympus. Sunt alij quoque Bebryces inter Pyrenem & Ceraunios montes, atque Iberiam, qui Narbonesij appellantur. Lucanus lib. 6.

Bebrycis & Scythi procul inclementia cæli.

Item Silius libro 3.

Pinguis Bebrycio discessit vomere sulcus,
Possessus Baccho sæua Bebrycis in aula.

Hos quoque Strabo à Thracibus oriũdos esse affirmat, & Phrygibus annumerat, Apollonius ὑπερφιάλους appellat, quibus (vt ex eodem Apollonio, & illius Scholiaste colligere licet) perpetuæ inimicitiæ atque bella cum Mariandynis intercesserunt, illos sæpe vicerunt, tandémque erepta illis quadam vrbe, regni sui terminos ad Hypium vsque fluuium, de quo postea propagarunt. Illorum Rex seu potius tyrannus postremus fuit Amyrus à cuius sæuitia Marcellinus Pollucis virtute illos dixit fuisse exemptos. de qua Amyri & Pollucis monomachia extat elegans Theocriti Idyll. κζ. vbi Bebrycas κομόωντας appellat. Postremò Mariandynorum atque Herculis mutua opera, bellíque societate omnino oppressi extinctíque fuerunt. Bebrycibus porrò subiungit Strabo Medobithynos (de quibus nihil alibi potui inuenire, sic (vt verisimile) dicti, quia Mediam attigerũt: vel forsan à Mœdo loco, cuius meminit Antoninus in itinere à Constantinopoli Antiochiam, inter Niciam, & Totxium siue Totæã) illis verò Bithynos. Hi (vt testis est Eustathius in Dionysium) omnẽ illam Pontum versus, quæ est à Bosporo ad Rhebantem fluuium, regionem, quæ secundum Arriani nostri supputationem 210. stad. est, possederunt. Bithynis subiungit Thynos, qui (vt idem Eustath. inquit) à Thyno Bithyni (qui Bithynorum author fuit) fratre appellati: omnem quæ est vltra Rhebantem fluuium vsque ad alium fluuium Caletem nomine omnia tenuerunt: vbi forsan fuit Cales emporium, de quo infrá. Thynos Xenophon libro 7. gentem vnam omniũ ad nocturnas excursiones & pugnas aptissimam fuisse dicit, à quibus Græci multa perpessi fuerunt. illos Thraces appellat, quorum rex Seuches fuit filius Mesadis, cui Melandeptæ, Thyni & Thraniptæ fuerunt subiecti. Post Thynos ponit Mariandynos, quos Μαριανδηνοὺς Mariandenos appellans Ptolom. in situ Ponti & Bithyniæ litora ab Heraclea vsque ad Cithorum incolere dicit. Hi Paphlagonum (teste Eustathio, Strabone, & aliis) vicini (à Mariandyno dicti, quem alij Cimmerij, alij Phinei, alij Phryxi filium esse volunt. vel, vt Stephanus à Mariandyno quodam Æolico) omnium ferè fuere celeberrimi, quorum sinus (vt inquit Plinius) à Sangario, à plerisque dicto Coratio incipit, & vt ex Strabone atque aliis colligitur, ad fluuium Parthenium vsque extenditur. Horum metropolis Heraclea fuisse fertur. Sic enim Strabo: Heracleam, inquit, quam Milesij condidere, inter Mariandynos sitam tradunt, qui verò sint & vnde, id verò nemo dicit. sunt tamen Bithynis persimiles. Videtur itaque hæc natio è Thraciæ partibus profecta. Theopompus author est Mariandynum quendam Paphlagonum parti multis subiectæ imperitasse, atque impetu facto Bebrycam regionem occupasse, quum verò cœpisset, de nomine suo reliquisse. Illud quoque à nonnullis dicitur, Milesios primos Heracleæ conditores, Mariandynos, qui prius eum locum tenebant, in seruitutem redegisse, ita vt etiam per summum contemptũ atque contumeliã eosdẽ vendiderint. Hæc Strabo. Apollonius quoque circa Acherontem, specum Acherusiã (vbi est Heraclea) necnon circa fluuios Sangarium atque Lycum (de quibus infrà) ἐριθηλέα .i. virentem incoluisse ait. In illorum regione (vt est in fabulis) Hercules Cerberum canem tricipitem deuicit, quem ferunt virus euomuisse, eámque regionem infecisse. Horum meminit Empolis antiquæ comediæ χρυσοχόει ὁ ἐκ Θεῶν τὴν Μαριανδύναν. Apud eos tibicines primùm threnos canere soliti: vnde prouerbium

uerbium, Μαριανδυνῶν μέμνησαι θρηνητῆρος. Ferunt authores Mariandynum filium Tityi threneticam ornasse melodiam, eúmque patrem Marsiæ tibicines docuisse. Hinc Mariandyni authorem sui generis imitati sunt, quem etiam venando extinctum quotannis in æstate lugent. Hæc Eustathius. Arrianus verò sic de illis tradidit. Mariandyni Paphlagonum gens Sangario fluuio vicini, vbi Heraclea est, apud quam Cimmerij, qui more patrio vescuntur herba, in aconitum incidentes affecti sunt, quod genus herbæ spuma Cerberi ab Hercule extracti, in terram collapsa dicitur peperisse, ex quo scomma illud, Cerberum non minus incommoda superis attulisse, quàm inferis. Horum denique Rex tempore Argonautarum fuit Lycus, cuius pater Dascylus Tantali filius, mater Anthemoisia Lyci fluuij filia, vt Nymphis libro 1. de Heraclea, & Herodotus prodiderunt. Hic Argonautas summa hospitalitate benignitatéque prosequutus fuit, partim quia Pelopa patruum suum diuinis à Græcis honoribus coli intellexerat, partim verò atque imprimis, quia perpetui sui hostes Bebryces vnà cum illorum tyranno Amyro à Grecis oppressi fuerant: qui plurimùm antea illis negotii molestiæque facesserant. Buccellarios, Mariandynos, & Paphlagonas ad tributorum exactiones paulatim ad Turcos defecisse, testis est Pachymerius libro 3. Hinc colligere licet Mariandynos non ita vt cæteri omnino extinctos. Mariandynis subiungit Strabo Καύκωνας Cauconas, quos (vt idem inquit) eam oram dicunt habitasse, quæ post Mariandynos est, vsque ad Parthenium flumen, tenentes vrbem Teium, quos alij Scythas, alii Macedodonas, alii Pelasgos putant. Callisthenes illos circa Parthenium fluuium habitasse testatur. Progrediuntur enim, inquit Strabo à Mariandynis & Heraclea vsque ad Leucosyros, quos & nos Cappadocas appellamus. Cauconum verò gentes circa Toium vsque ad Perthenium amnem. Post Parthenium Eneti sequuntur, Cytorum habitantes, atque etiam nunc Cauconas quidam circa Parthenium sunt, de quibus postea. Nunc ad Arrianum nostrum redeamus.

Rhebas.) Plinius à faucibus Bospori, inquit est Rhebas, quem alii Rhesum vocant. Apollonius similiter, vt paulò antè dixi fluuium hunc in dextra Ponti ponit. Idem in illa nauigatione à Bosporo ad Rhebantem, mentionem facit Scopuli, quem Κολώνην, id est, Colonem appellat. Verba eius hæc sunt,

Ἐς δ' ἐπὶ ῥηβαίου προχοὰς σκοπελόν τε κολώνης.

Et alio in loco libro 2.

Ῥήβαν ὠκυρόην ποταμὸν, σκοπελόν τε κολώνης.

Vbi Apollonii Scholiastes dicit, promontorium etiam quoddam circa Lycum fluuium Colonem appellari, cuius Nymphis Heracleota in libro de Heraclea mentionem facit. Hunc scopulum in aperto mari post Cyaneas, in angusto ostio situm, hodie corruptè (vt testatur Gyllius) vulgò appellãt *Crommijon*, quasi Colonem scopulum verè κολωνοειδῆ. In huius scopuli inuestigatione idẽ Gyllius summum se vitæ periculum adiisse dicit. Idem quoque inter scopulum Coloneum & phanum scopulos mari circundatos circiter quinque se deprehendisse ait. Forsan hi sunt illi, quos idem Apoll. circa Bosporum δροσεράς κολώνας. i. roscidos scopulos ob illorum nimirum altitudinem appellat.

A phano Iouis distat Rhebas nonaginta stadijs.) Quum tantùm sit inter phanum Iouis & Rhebantem interuallum, quomodo Dionysius eum ait Πόντοιο παρὰ στομάτεσσι ὁδεύειν? Respondeo illud παρὰ non apud, sed prope esse interpretandum.

Rhebas.) Græcè Ῥῆβας. Orpheus Ῥήβανον quoque, id est, Rhebanum. Apollonius modò Rhebam, modò Ῥηβαῖον, id est Rhebeum appellat. Plinius à quibus Rhesum ait esse dictum. Straboni Ῥῆσος, id est, Rhesus fluuius est, apud Troiam fluens. Homerus fluuii Ῥήσου, id est, Rhesi nomine mentionem facit

in Iliad. quem ἑπτάπορον, id est, septiuadum appellat. Hunc Strabo libro 13. apud Troiam ait fluere, item libro 13. eundem ait à Nicomedia Niceam ferri viginti quatuor vadis. Eiusdem quoque eodem libro mentionem faciens vel eum esse ait qui nunc Ῥοείτης, id est, Rhoites appelletur, vel forsan qui in Granicum influat, quem septiuadum quasi πολύπορον, id est, multiuadum ait appellari. qui ortum habens à locis pulchræ pinni finitimis, ad vicum Melænas septem vadis pertransitur. Ῥήβας autem dicitur proculdubio ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, id est, fluendo à celeri nimirum illius rapidóque cursu, vnde eum Apollon. lib. 2. bis ὠκυρόην, id est, celeriter fluentem appellat. Eadem Rheni atque Rhoes fl. (de quo infrà) est notatio. Rhesus autem videtur dictus à Rheso rege Thraciæ. Idem fluuius hodie (teste Gyllio) à Græcis etiam agrestibus vocatur Ῥήβας. Dionysius quidem scribit eius aquam amabilem & pulcherrimam. Eiusdem nomen tribus versibus continuis hoc repetit, velut esset fluuius magno sermone dignus, quum sit paruus, cuius ostium parua duntaxat nauigia in stationem admittit. Oritur in Bithynia, inter Pontum Euxinum & Propontidē, cuius non procul à fonte Rea Turcarum cultissimos amœnissimósque hortos habet, teste Gyllio. Eustath. illum ab Olympo Mysio ait oriri, quod falsum esse Gyllius demonstrat. Nam duos, inquit ille, inter fontem Rhebantem, & Olympum Propontidis sinus intercedere, nimirum Astarenum & Cioticum, neque eos sinus circuire vidi. Nam ab intimo sinu Astareno per planitiem vtrinque mōtibus clausam, profectus ad Sangarium, nullum inueni amnem ab Olympo ad Pontum penetrās, neque inter Cioticum sinum, & lacum Ascanium, quem hodie Nicænum appellant, altissimis intercedentibus montibus, nullis vallibus à Ponto ad Olympum penetrantibus, præter eam per quam delabitur Sangaris. Sed quid longinqua repeto? quum Rhebantis fons non multa milliaria distet à suo ostio. Hæc Gyllius, cuius testimonia ceu oculati testis plurimi facienda existimo. Terra Rhebantia, cuius etiam Steph. meminit, Psyllio adiacens, de qua Arrianus, ab hoc fluuio dictam esse videtur.

Promontorium nigrum, Græcè ἄκρα μέλαινα.) Apollon. ἀκτὴν μέλαιναν vocat, cum Rhebante fluuio coniungens. Vox enim ἀκτὴ. i. acta, à Latinis quoque vsurpata, secundum illud Æneid. 5.

At procul in sola secreta Troades acta,

Litus propriè maritimum, petrosum, scopulosum, atque promontorium significat. Sic Homerus alicubi ἀκτὴ προβλὴς, id est, acta prominens, promontoriū, siue scopulus: ita vt ἀκτὴ sit idem quod ἄκρα. Dicitur autem secundum Grammaticos ἀπὸ τοῦ ἄγνυσθαι περὶ αὐτοῦ, id est, ῥήγνυσθαι τὰ κύματα, id est, quod fluctus circa illud ferantur, id est, frangantur. vnde etiam ἀγὴ crebro apud poetas pro ἀκτή. Idem tamen Apollon. lib. 2. alio in loco post Rhebantem fluuium, & scopulum Colones, ἄκρην δ' οὐ μετὰ δηθὰ παρεξενέοντο μέλαιναν. i. Peruenerunt ad promontorium Nigrum, quod non procul à Rhebante fluuio, & scopulo Colones distat, vbi ἄκρην appellat. Idem videre licet apud Orpheum, qui similiter ἄκρην μέλαιναν appellat. Huius Theocritus quoque mentionem facit Idyll. κζ. vbi dicit Argonautas quum petras Cyaneas pertransiissent, in terram Bebrycū peruenisse, atque in litus altum, & ὑπήνεμον ἀκτὴν. i. actam ventis obnoxiam expositos fuisse. Ptolomæus ἄκραν hoc promontorium appellat, quod nomen (teste Gyllio) ad hanc vsque ætatem retinet, quod Menippus dicit distare ab vrbe Chalcedone sexaginta stad. Strabo quoque lib. 13. Promōtorii nigri circa Propontidem meminit. Videtur autem Nigrum dictum (vt vniuersum mare Ponticum) vel à fluctibus nigris quibus alluitur, vel à cælo circa illud nigro plerunque. i. nebuloso, obscuro atque caliginoso. Videtur denique esse recessus siue sinus ille Thracij maris, quem Oppianus lib. 4. Halieut. profundissimum dicit esse, vnde & Melas, hoc est, Niger fuerit cognominatus, eúmque ventis minimè esse expositum. In eo loco multa dicunt esse caua & cœnosa loca, in-

quem,

quem, quoniam multa piscibus paruis alendis idonea nascuntur, pelamides immigrant. Eiusdem meminit etiam Eustath. in Dionys. & Plin. lib. 4. cap. 11. Circa quem, inquit, locum, fluuius Melas, à quo sinus appellatur. Strabo & alii μέλανα κόλπον vocant. Plurima autem alia circa Bosporum sunt promontoria, vt Coracium à coruis ibi nidificare solitis dictum, Psomium, Panium, Ancyreum & alia. de quibus vide Gyllium.

Artanes ἀρτάνης fluu.) Ptol. ἀρτάνην χώρειον. Plin. Artace portus, vbi & oppidum. Portus autem, cuius Arrianus quoque iuxta fluuium hunc meminit, sic forsan à fluuio appellatur, vt supra Hyssum portum à fluuio eiusdem nominis dictum esse Arrianus scribit. Ἀρτάνη autem, quo Arrian. & ἀρτάκη, quo Ptolem. Plin. vnius tantum literulę diuersitate à se inuicem distãt. Fluuii huiusce nulla alibi, quod sciam, fit mentio.

Templum Veneris prope hunc fluuium fuit.) Vnde colligimus illum haudquaquam obscurum atque ignobilem fuisse. Venerem autem dulcem è spuma maris secundum poëtarum fabulas natam in mari hoc Pontico prę sertim dulci cultam fuisse non est mirum. Sic Veneris Placidę & aram in sinu illo Byzantii Amycorum cognominato, & templum eiusdẽ in suburbano proximo Chalcedoniæ, & in portu Lyciorum, necnõ (vt ex Xantho probat Eustathius) prope Sangarium fl. Veneris ὀρείας. i. montanæ templum fuit, qui ab hoc secundum Arrianum nostrum distat 438. stad.

* *Psilis.)* Niger in sua geograph. inter hunc fluuium & Calpẽ, quæ sequitur, meminit fluuii cuiusdam Archadamon appellati. Psilis sic forsan à tenuitate vel velocitate (nam ψιλὸν vtrunque significat) appellatur Græc. ψίλις fluuius. à Strabone & Plinio ψίλλις duplici λ, à Ptolemæo ψύλλις per υ, à Marcellino Psylis. Hunc Strabo lib. 12, necnon Calpam atque Sangarium inter Chalcedonem & Heracleam fluere testatur Marcell. Per quæ litora (Bithyniæ) in sinus oblongos curuata Sangarius & Psylis, Bizes & Rhebas fluuii fundũtur in maria. Luculentam quoque huius fl. Apoll. lib. 2. (Phylleida appellans) mentionẽ facit post Acram melænam (de qua paulò antè) τῇ δ᾽ ἄρ᾽ ἐπὶ προχοαῖς φυλληΐδος, hoc est, ibi ad ostia Phylleidos. Hinc Scholiastes, Phyllis Bithynię fluuius. Iuxta hunc fluuium eodem teste Apoll. Dipsacus Phyllidis & Nymphæ filius, Phryxum Athamantis filium hospitio excepit. Huius fluuii litora lata, atque campum Argonautas dicit præteruectos fuisse. Stephanus duos ferè eiusdem nominis diuersos scribit: nimirum Ψύλιον. i. Psylium, quem inter Thyniam atque Bithyniam dicit fluere: cui, vt ex Arriano de rebus Bithyninis probat Eustath. adiacet terra dicta Rhebantia, de qua suprá. Deinde ψίλιν Psilin fluuium Bithyniæ in Pontum Euxinum influentem: cuius accolæ Psilitæ dicuntur: Vtriusq; verò fluuii accolas trita dicendi consuetudine Psilianos appellari. Hæc ille. Mihi quidem vnus idémque videtur fuisse fluuius, Psylium & Psilis, cùm & nomina & loca per quæ vterque fluit, sint ferè eadem.

Vbi portus.) Plin. post Rhebam Psillis portus. Niger Psylis oppidũ quoddam. Vtrunque tam portum, quam oppidum (si quod ibi fuit) à fluuio nomen adeptum verisimile est. Ab illo forsan fluu. Psylla emporium, de quo infrà fuit appellatum.

Calpe portus.) Κάλπης λιμὴν. Strabo Calpas fluuius inter Chalcedonem & Heracleam fluens. Ptolemæus quoque κάλπαν fluuium inter Psyllim & Sangarium ponit. Plinius Calpas portus. Niger Calpas portus cum oppido Carpi, nunc Acaparum. Apoll. Phyllidi fluuio subiungit βαθυῤῥείοντα κάλπιν profundam Calpim. Xenophon autem quem hîc Arrianus citat, portum hunc sic describit. Ea regio, inquit, quæ Calpes portus dicitur in Thraciæ est ea parte, quæ Asiæ attribuitur, cuius initium est intra Pontum nauigantibus ab ipsius Ponti ostio Heracleam vsque: ab Heraclea verò Byzantium diei vnius, illius quidem quàm longissimi cursu, triremis, remis duntaxat acta traiicere possit.

In medio nulla eſt, neque ſocia, neque Græci nominis ciuitas. Thraces & Bithyni oram eam totam incolunt, qui Græcos vel tempeſtate aberrantes, vel quouis alio caſu in ea loca delatos, iniurioſiſſimè tractare dicuntur. Portus ipſe medium ſe ab Heraclea Byzantium nauigantibus præbet. Inſula in mare eminet, cuius quæ pars mare ſpectat abrupta eſt petra: altitudo eius, qua minima eſt, nihilo eſt viginti paſſuum minor. Quæ verò terra, quaſi ceruix quædam ad littus pertinet lata eſt paſſuū ferme octoginta. Ager qui in ea ceruice eſt, decem hominum millia facilè capere poſſet. Sub ea, de qua iam diximus petra, portus ſe aperit, cuius littus ad occaſum vergit. Petræ huius Theocritus, quoq; meminit λισσάδα. i. aſperam & præruptam appellans.

Fons frigidæ & claræ aquæ.) Xenophon. Fons dulcis & perennis aquæ ex ipſa ferè maris alluuie erumpens, agrum irrigat. Theocritus Idyll. κζ. Fontem perennem aquæ ἀκηράτω appellat. ſupra quem alios quoque fontes eſſe dicit, quorum aqua cryſtalli inſtar atque argenti ſit candidiſſima.

Syluæ lignis & feris abundantes.) Xenophon. Lignorum magna copia cùm aliorum generum, tum eorum è quibus claſſes ædificantur, quæ plurima eius in maritima loci parte & pulcherrima ſunt. Mons ſuprà portum ſe attollit continentem verſus viginti propè ſtadia excurrens, terrenus totus, ac minimè ſaxoſus. Pars eius quæ in mare eſt expoſita, condenſa eſt multis ac magnis cuiuſuis generis arboribus. Campeſtris pars eſt & aſpectu, & amœnitate pulcherrima: & latè ſanè patet, multique ſunt in ea & frequentes vici. Nam fert ager ordeum, triticum, leguminum quoduis genus, panicum, ficos quamplurimas, vites item multas & ſuauiſſimi vini feraces, atque alias huiuſmodi copias, præter oleas tantum. Hic loci ſitus & natura. Idem Theocritus Idyll. κζ. montem enim omnigena ſylueſtri materia refertum eſſe dicit, catalogum quarundam arborum ſubnectens: necnon regionem frugum atque fructuum fœcundiſſimam eſſe tradit.

Roe Ῥόη.) Forſan eſt ille, quem Rhoam Plinius appellat, quē ait inter Cobum (de quo ſuprà) & Sigamiam per regionem Ecreticon fluere. ſic dictus proculdubio ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, vt Rhebas, & Rhenus, à ſingulari quodam eius placido, atque leui, vel rapido atque veloci curſu.

Apollonia parua inſula.) Apollonius quoque poſt Rhebam fl. & Promontorium Nigrum (de quibus paulò antea) bis inſulæ huius necnō portus illius mentionem facit, Θυνίδα *Thynida*, inſulámque & ἐρημαίην. i. deſertam, & αἰπήεσσαν. i. altam appellās, quam paulò pòſt Apollini (cuius in ea templum fuerit) dicit ſacram fuiſſe, vnde Apolloniam conſtat appellatam. Nymphis quoque Heracleota, teſte Apollonii Scholiaſte, eiuſdem mentionem facit, eius ambitum ſeptem ſtad. patere tradit. Calliſthenes verò in ſuo periplo eodem Apollonii Scholiaſte teſte, & regionem & inſulam dicit à Græcis Thyniada, à barbaris Thyniam nuncupari. Strabo lib. 12. eandem Thyniada appellans in fronte maritimæ oræ Bithynicæ ſitam eſſe tradit. Plin. inſulas Ponti enumerans, Inſulæ, inquit, ſunt in Pōto Planetæ, ſiue Cyaneæ, ſiue Symplegades. Deinde Apollonia Thynias dicta, vt diſtingueretur ab ea quæ eſt in Europa. Diſtat à continenti paſſ. 1000. cingitur tribus mill. paſſ. Mela hanc ſimiliter Thyniada appellans, Mariandynorum finibus proximam eſſe dicit, vrbémque habere, quam quia Bithyni incolunt, Bithynida appellant. Ptolemæus in ſitu Ponti & Bithynię Thyniada inſulam, necnon Erythynos ſcopulos dicit adiacere regioni Cyanæorum. Fuit in illa (teſte Euſtathio) Apollinis templum, quod Apollinum Apollonius ἑῷον. i. matutinum dicit fuiſſe appellatum, propterea quòd ibi Apollo Argonautis ſummo mane apparuerit. Licet Apollonii Scholiaſtes potius ſic velit fuiſſe appellatum, eò quòd Argonautæ ſummo mane illuc appulerunt. Hodie vulgò Furnaſia appellatur. Apolloniæ vrbis infrà ſit mentio.

Chelæ χηλαί.) Vox hæc, quæ propriè vel vngulam biſulcam, vel forcipes ſigni-

significat: metaphoricῶς sæpè significat portuum moles, siue saxa, quæ ad arcendas vndas obiecta sunt, ne muros lædant, quæ alio nomine à Græcis προκυμαῖαι appellantur: à Latinis crepidines & saxea pila. de quibus Vitruuius lib. 5. Eiusmodi autem Chelæ celebres fuerunt post Estias promontorium, de quibus sic Dionys. Post Estias, inquit, sunt χηλαὶ nuncupatæ à similitudine figuræ: harum quidem alteræ breuiores, alteræ maiores, ambæ verò portus existunt: apud ipsas templum est Dianæ dictymæ. Hoc loco Dionysius scalas, siue molis brachia appellat Chelas à similitudine forcipum siue brachiorum, quibus portuum moles scalæque similes esse solent, siue sint rates in mare proiectæ, siue saxa in vadum abiecta, ponticulorum vicem præstantia, quæ Hellines à figuræ similitudine Chelas propriè appellarunt, posteri Græci Bathra, Latini scalas seu gradus nominarunt ab vsu potius quàm à similitudine scalarum nauticarum. Hæ à scandendo dictæ nihil aliud sunt, quàm trabes latæ inclinatæ, in gradúsque exasperatæ, illæ verò planæ collocantur, & plano pede adeuntur. Sed tamen ex illis ad naues, quia velut gradus iacitur, ideò iam dudum inueterata consuetudine etiam scalæ nominantur, deprauatè quidem. Nam primùm χηλαὶ, deinde χαλαὶ à Græcis iam ignorantibus quid significent χαλαὶ, deinde vulgi consuetudine, quæ literas deprauare solet, scalæ: vt iam Græcorũ vulgus ignoret, quid sibi velint χηλαὶ, quid βάθρα sed duntaxat nouit scalas. Quàm autem celebres olim essent hæ Chelæ, declarant piscatores, qui ex tot oræ Bosporicæ nominibus vix paucula quædam retinentes, medium sinus fluxum Estiaco & Hermæo promontoriis clausum etiamnum appellant Chalas, quasi χηλάς, quum tamen in hoc sinu nulla portus brachia, &c. de his sic Gyllius. Eiusmodi ergò, vt testatur Arrianus, Chelæ inter Apolloniam insulam & Sangarium fuerunt sitæ, quarum alibi nulla (quod sciam) fit mentio.

Sangarius.) Σαγγάριος. Sic fluuius hic celeberrimus ab Orpheo Ptolem. Xenophonte, Myrleano, vt testis est Eustath. Σάγγαρος Sangarus: à Capella, Solino, Ouidio, Plutarcho Sagaris & Sangaris: à plerisque olim, teste Plinio, Coralius, denique vt Hesiodus in Theogonia testis est, Sarcerius, hodie vulgò Zagari nuncupatur. Hic olim ξηροβάτης *Xerobates*, ob illius nimirum crebram messis tempore siccitatem, quod sicco pede trãsiri possit, appellatus, postea Sagaris dictus est à Sagari quodam Myndonij & Alexiroes filio, qui, vt est in fabulis, ob contemptum mysteriorum matris deûm, ac contumelias quibus eiusdem sacerdotes (Gallos dictos) affecit, furore correptus in hunc fluuium semetipsum præcipitauit. testis est Plutarchus lib. de fluminibus necnon Hermogenes in lib. de Phrygia, qui tamen eum non Sagarim sed σάγγαν *Sangam* appellat, hunc testem citat Apollonii Scholiastes. Hic igitur siue Phrygiæ, vt nonnulli, siue vt alii, Bithyniæ fluuiús (nam vtriusque optimo iure vel ortus vel progressus sui ratione dici debet) fontes suos habet, teste Strabone, apud Sangium vicum (vnde verisimile est Sangarium & ab Hermogene illo historico Sangam fuisse nuncupatum) 150. stad. à Pessinunte. Magnam autem Phrygiæ, Epicteti, ac Bithyniæ partem percurrens, vt ab vrbe Nicomedia paulò pluribus, quam 300. stad. absit. vbi (à quo teste Plinio nomen traxere matris magnæ deæ sacerdotes) Gallus amnis in eum influit initium habens ex Medris Phrygiæ, quæ in Hellesponto eadem est, quæ Epictetus, quam Bithyni prius habuere. Auctus autem & nauigabilis factus, quum prius non esset nauigabilis, ad ostia Bithyniam terminat. Hæc Strabo de illius ortu atque progressu. Vt autem Strabo in vico Sangia, ita Niceph. lib. 11. cap. 14. in vico Pazo dicto (forsan idem fuit vicus nominibus tantum mutatis) fluuii huius fontes esse dicit, in quo vico pauci quidam & obscuri Nouatianorum Episcopi concilio coacto Iudæorum azyma obseruanda, & cum eis Pascha celebrandum esse statuerũt. Eiusdem concilij Valente imperatore celebrati, idem author meminit lib. quoque 12. cap. 31. Ibidem quoque meminit Sangari, quem dicit locum esse Bithy-

norum prouinciæ ad mare, non longè ab Helenopoli situm, vbi altera Nouatianorum Synodus de Paschate habita fuit, in qua cõtrouersiæ, quæ inter ipsos coortæ fuerunt, dirimendæ gratia Pascha ἀδιάφορος. i. indifferenter quo quique vellent pane atque tempore celebrandum esse decreuerunt. Videtur autem & locus iste Sangarus à fluuio Sangario fuisse appellatus, & vicus ille Pazus idem esse qui Pachius ab Appiano lib. de bellis Mithrid. appellatur, ad quẽ Neoptolemus & Nemanes Armenius Manium legatum Rom. assecuti, pugnare coëgerunt, qui victus amissis quoque castris, fugiens ad Sangarium fluuium, eum noctu traiecit, & in Pergamum euasit. Liuius autem Decad. 4. lib. 8. Sangarium scribit ex Adoreo monte per Phrygiam fluere, & ad Bithyniam Tymbreti (quem Plinius Tembrogium appellat) misceri, inde maiorem iam geminatis aquis per Bithyniam ferri & in Propontidem se effundere. Eustath. hunc pariter atque Rhebantem à Mysio monte dicit fluere, quam opinionem, vt suprà dictum est, Gyllius refutat. Boccatius illum aureis arenulis per Hyrcanos Phrygásque dicit decurrere, Gallum & Tymbrum seu Tymbrogium in se recipere, haud longè à Troia in Propontidem labi. Ouid. illum inter fluuios in Pontum influentes enumerat. Q. Curtius lib. 3. Gordium nobilem Midæ ciuitatem regiam pari interuallo Pontico & Cilicio mari distantem Sangarium interfluere dicit. Plinius quoque testis est ab illo Mariandynorum sinum incipere, necnon Apoll. lib. 2.

> Ἔνθεν δ' ἀντιπέρη ποταμοῦ στόμα σαγγαρίοιο,
> Καὶ μαριανδυνῶν ἀνδρῶν ἐριθηλέα γαῖαν.
>
> *Hinc è regione fluuij ostium Sangarij*
> *Et Mariandynorum virorum virentem terram, &c.*

Hunc olim Turcarũ fuisse terminum testatur Nicephorus Gregoras lib. 5. Est præterea, vt Liuius inquit, non tam magnitudine memorabilis, quàm quod accolis piscium vim ingentem præbet. In eodem fluuio Plutarchus siue quisquis fuit author illius lib. de fluminibus, testatur lapidem quẽdam nasci admirabilem, quem si quis (id quod tamen raro fit) inuenerit, castrationem, naturæ inimicam atque contrariam, sacerdotibus illis Gallis vsitatam, æquo patientíque animo tollerare possit. Suprà hunc, teste Liuio, Cn. Manlius in bello contra Gallogræcos, quia vado nusquam transitus erat, pontem fecit ad exercitũ traducendum. Iustinianus, teste Cedreno, anno imperij sui 33. pontem in Sangario fluuio condidit quinque fornicibus, cùm prius ponte ligneo constratus esset. Bellonius lib. 3. cap. 34. Obseruat. põtem lapideum & pulcherrimum fluuii Sangari se vidisse dicit. Forsan est ille ipse, quem Iustinianus fecit. Propter hũc fluuium Veneris ὀρείνης. i. montanæ templum fuisse ex Xantho probat Apoll. Scholiastes: in cuius fontibus, teste Cedreno, templum Deiparæ Iustinianus construxit. Forsan ibi fuit matris deûm (quæ à Phrygibus imprimis culta fuit) templum. Hinc Liuius illius deæ sacerdotes Gallos nominatos à Pessimonte Cn. Manlio eiúsque exercitui flumen transgresso præter ripam occurrisse scribit cum insignibus suis vaticinantes fanatico carmine, deam Romanis viã belli, & victoriam dare, imperiúmque eius regionis. Plutarchus lib. de fluminibus montem quendam ei dicit esse vicinum Ballenæum. i. regium dictum. Illius ostio imminet quoque mons Scoroba Bithynorum & Ponticorum terminus teste App. de bellis Mithrid.

Hyppius. ὕππιος.) Apollon. ὕπιον. sic forsan à leuitate sua dictus, cuius meminit lib. 2. Arg. post fluuium Billæum, de quo pòst, quem βαθυῤῥείοντα profundè fluentem appellat, & ad quem vsque Bebrycas ait Mariandynos, quadam vrbe capta imperij sui terminos propagasse. Hunc prope fluuium, vt testis est Apollonii interpres in hunc versum, in regione Thynia vrbs fuit Hypia dicta. Hypium autem dici, quia à montibus Hypiis (quorum incolæ Mysi) defluat. Videtur esse alius ab eo, cuius suprà facta est mentio, qui vnà cum Glauco in

Phasim

Phasim influit. Ptolomæus in Tab.1. Asiæ, post Sangarium meminit Α'πίου Aptii fluuii inter Sangarium & Elatam. Vide num sit mendum, & sit ὕπιος legendum. Idem enim in situ Ponti & Bithyniæ Carchedonios ait tenere litora ab ore Ponti vsque ad Υ'πιον fluuium. Idem, in descriptione ciuitatum Bithyniæ mediterranearum, vrbem Prusam sitam esse vult iuxta Hypium fluuium. Nam alia est (eodem teste) Prusa ad Olympum montem. Hyppus (inquit Vadianus in sua Epitome) Ptolomæo est fluuius, Plinio mons. Sed (vt paulò antea ex Eustathio dixi) & mons est Hypius, & fluuius, qui ex illo quia oritur, sic dictus fuit.

Lillium λίλλιον.) Plin. Lilæi meminit, quem dicit Bithyniæ esse fluuium: à quo verisimile est sic promontorium fuisse appellatū. Ptol. Α'γείλιον ponit inter ciuitates mediterraneas Bithyniæ.

Elæum Ε'λαιον.) Ptol. Ε'λάταν fluuium inter Aptium & Heracleam ponit. Stephanus Ε'λαίαν vrbem dicit esse prope Mysiam, quę sit nauale Bithynię. Sic forsan dicta ab Elæa illa Asiæ Æolica, cuius idem Stephanus meminit, quam Pergamenorum nauale esse ait. Nam multa loca Pontica, Græcorum locorum nomina sortita sunt. Elęus est quæ finit Hellespontum, inde Ægeum pelagus. Mela. Elæus insula Propontidis Plinio.

Cales Κάλης *emporium.*) Caletis fluuij Eustathius in hoc tractu meminit, quum ait Thynos vltra Rhebantem fluuium oram montanam vsque ad Calē occupasse. Forsan est Celex fluuius, quē Thucydides testatur per Heracliensem agrum ferri, cuius Niger quoque in sua Geographia meminit.

Ad Lycum fluuium.) Orpheus & Apollonius eodem quo Arrianus noster ordine post Thyniada, id est, insulam Apolloniam, subiungunt Sangarii ostia, Mariandynorum terram, Lyci fluenta, & paludem ἀνθεμοεισίδα: sic dictam (Scholiaste teste) ab Anthemoisia Lyci sorore, vxore Dascyli, qui Tantali filius fuit. Fluuius hic Lycus Λύκος, vt & Orpheus & Apollonii Scholiastes testantur, Regi (de quo paulò antea) est cognominis, fluens per Mariandynorum regionem. Hinc Plinius libro 6. cap. 7. Lyco flumini dicit appositum esse Heracleam oppidum, quod (vt paulò pòst dicitur) Mariandyni quondā tenuerunt. Quid si potius ita à rapido violentóque cursu ad animalis voracissimi similitudinem fuerit dictus: hodie vulgò Lartachus appellatur. Hunc & Phasidē Strabo libro 11. clarissimos Armeniæ fluuios appellans, in Pontū dicit exire: necnon libro 12. Lycum ex Armenia originem suam trahentem circa Phanaeream cum Iride concurrere, ac nomine amisso, in Themiscyram Ponticúmque mare influere testatur. Hinc Plinius quoque libro 6. cap. 3. Lycum ab Iride deferri, & Neocæsaream præterfluere, illámque à minore Armenia disterminare, & libro 5. cap. 24. eundem cum Euphrate commisceri, & libro 6. cap. 26. per Silcos & Classitas ex Armenia ferri scribit. Apollonius libro 3. illum ab Araxe fluuio sonoro diffusum Phasidi commisceri, simúlque cum illo in Caucasium (.i. Ponticum mare) effundi tradit. Hunc Ouid. quoque inter fluuios in Pontum influentes commemorat.

Huc Lycus, huc Sagaris, inquit, &c.

Latitudo eius est, teste Xenophonte libro 5. pass. 40. Hic videtur esse ille ipse fluuius quem Apollonius Thyanensis, qui Claudio imperatore floruit (teste Cedreno) magicis suis artibus compescuit, ne Byzantio exundationibus suis noceret. Sunt alii quoque fluuii huic cognomines, de quorum nonnullis dubitari potest sintne iidem cum hoc cuius Arrianus mentionem facit, quémque modò descripsimus. Est enim fluuius quidam in Asia ὀμμεγέθης, id est, maximus, (vt Strabo inquit) cui Lycus nomen, ex Cadmo monte fluens, qui mons Laodiceæ imminet (vnde etiam alius monti cognominis) iuxta Colossas vrbem Phrygiæ, terræ hiatum subit, deinde ferè quinque post stad. rursus emergens, vnà cum Capto in Mæandrum delabitur: ex quo simul regionem valde ca-

uernosam reddit. Nam Laodicea & proxima ei regio crebris terręmotibus concuti solet. Hæc Strabo libro 12. & Herodotus libro 7. Itaque Plinius libro 2. capite 103. Subeunt, inquit, terras, rursúsque redduntur Lycus in Asia: Erasius in Argolica: Tigris in Mesopotamia. Hinc quoque Ouid. lib. 15. Metam. inter alia, quibus rerum humanarum mutabilem fragilémque conditionem depingit, similia pulcherrima, Lyci quoque meminit hoc modo,

Sic vbi terreno Lycus est epotus hiatu.
Existit procul hinc, alióque renascitur ore.

Quid si hunc ipsum fluuium resurrectionis quãdam imaginem esse dicamus? non erit opinor absurdum, aut à ratione alienum. Plinius Laodiceam Lyco huic esse impositam, Strabo Laodiceam Lyco proximam ab illo denominari testatur. Est item alius eiusdem nominis fluuius, postea (teste Plinio) Rhyndacus appellatus, quem Strabo ex Azanitide, Plin. in stagno Artynia (videtur vnus idémque locus esse) iuxta Miletopolim oriri, & assumptis cùm aliis ex Abrottana Mysia, tum Mecesto (Plinius Maceston appellat) per Miletopolitanũ & Apolloniaticum agrum fluere, super quẽ Apollonia sita, denique ab anchora Abascitica in Propontidem iuxta Besbycum Propontidis insulam sese exonerare testantur. vnde Plinius Besbycum contra Rhyndaci fauces sitam esse dixit. Hæc Strabo libro 12. Plin. libro 5. cap. 32. Circa hunc amnem in Ponto Plin. libro 8. c. 14. ex Methrodoro quodam serpentes esse tradit, qui super volantes quanuis altè perniciterque alites haustu raptas absorbeant. Idem tradit Mela. Ipse quoque Marsyas (teste Q. Curtio libro 3.) amnis fabulosis Græcorum nominibus inclytus, media Celænarum vrbis Phrygiæ mœnia interfluens quum extra munimenta se euoluit, maiore vi ac mole vndas agens, Lycus appellatur, cuius descriptionem vide illo in loco, necnon apud Plutarchũ, & Boccatium De fluminibus. Cedrenus certè illum ex Colchide ferri, & sic dictum vult esse à Marsya quodam summo philosopho & musico, qui fistularum ex calamis confectionem inuenit, atque ad insaniam delapsus, Dei sibi nomen arrogauit, dicens se alimenta hominibus carmine fistularum reperisse, fertúrque mente captus se in fluuium abiecisse, cui Marsya nomen inde factum est. Plutarchus libro De fluminibus, primò Midæ fluuium, deinde Marsyam ex Marsyæ ab Apolline victi & excoriati sanguine ibi profuso, ex quo Satyri, testem citat Cornelium in libro 3. Phrygiæ. Hi itaque duo posteriores fluuii plerunque cum priore illo confunduntur, ita vt quemadmodum ex Boccatio colligere licet, dubitari possit, síntne iidem, an diuersi fluuii. Sunt quoque alii eiusdem nominis fluuii, vt ille in ora subiecta Libano apud Phœnices, haud procul à Leonto oppido, cuius Plinius libro 5. cap. 20. & lib. 31. cap. 2. mentionẽ facit, vbi aquam illius si quis biberit, illum tertio die mori testatur: necnon Strabo libro 16. vbi illum necnon Iordanum, à mercatoribus præsertim Aradiis dicit nauigari. Item alius Cypri insulæ se fundens in mare Syriacum, teste Boccatio. Est item Lycus in Indiæ terris fons, cuius aqua lucernæ ardent Plinio teste libro 31. cap. 2. Item in Germania, Rhoetos dirimens à Vindelicis, & præter Augustam Vindelicorum, in Danubium illabens, teste Ptolomæo libro 2. cap. 12.

Heraclea.) cognomento Pontica (nam teste Stephano, aliæ sunt viginti duæ eiusdem nominis hinc inde ciuitates) ab Argiuo Hercule (vt inquit Mela) dicta, seu potius ab Hercule, cuius plurima ibi rerum gestarum monumenta quæ etiam (vt Iustinus libro 15. refert) à Bœotiis iterũ oraculo monitis, in Herculis honorem fuit condita, Apollonio teste. Cedrenus testis est, victo Amyco, Argonautas cum Hercule mare Ponticum aduectos esse, vrbémque Herculis cognominem condidisse. Hodie ab incolis Pendarachia appellata, Megarensium, vt vult Arrianus, Xenophon, Strabo, vel (vt alii) Milesiorum colonia, in Mariandynorum, teste Xenophonte, Strabone, finibus sita, à Ponti ore ducentis

tis milliariis,teste Plinio,à phano Chalcedonio mille quingentis, à Sangario fluuio quingentis stad.secundum Strabonem libro 12. At verò secundum Arrianum nostrum à Byzantio 1630.à phano Chalcedonio Iouis 1510.stad.distat. Strabo ergo & Arrianus,quantum ad interuallum inter templum Chalcedonium , & Heracleam decem stadiis à se inuicem discrepant. Vrbis huius variæ fuerunt seruitutis & libertatis vices.Nam quum(vt Strabo inquit)prius libera fuisset , postea diu sub tyrannis fuit, deinde rursus se in libertatem vindicauit. Postea quum sub Romanis esset, Regem habuit, ita tamen vt Romanam coloniam in partem vrbis & agri admiserit. Quam vrbis partem quum Adiatorix Meclij tetrachæ Galatarum filius ab Antonio accepisset, quam Heraclienses tenebant,paulò antè Actiaca bella,Romanos noctu adortus,ad vnum omnes iugulauit, id quod se ipsius Antonij iussu fecisse dixerat.Cuius facinoris mox debitas meritásque pœnas luit.Nam post Actiacam victoriam in triumphum ductus, vnà cum filio iugulatus fuit. Vrbs hæc, quum prius ad Bithyniam pertinuisset,à qua Colchidem vsque Mithridatis Eupatoris regnum se extenderat,postea Ponto fuit à Romanis adiuncta(teste Strabone) ac tandem (vt ex Nicephoro libro 11.didicimus)ipsius Ponti metropolis facta fuit. Vrbs præterea hæc multis nominibus valde ἀξιόλογος(vt Strabo inquit) id est, clara ac illustris fuit.primò multis Herculis monumentis.Plinius libro 16.capite 44. In Ponto,inquit, circa Heracleam aræ sunt Iouis Stratij cognomine, ibíque quercus duæ ab Hercule satæ. In eodem tractu portus est Amyco Bebrycum rege interfecto clarus.Eius tumulus à supremo die lauro tegitur, quam insanā vocant, quoniam si quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiunt,donec abiiciatur.Ælianus quoque libro 6.capite 40. mures Ponticos (de quibus suprà)quicquid Herculi ibi est sacrum,dicit non attingere. Itaque quum vitis (quæ ibi deo frondescit, & soli eidem ad religionem consecrata est , ac cuius racemos dei ministri ad sacra seruant) vuæ maturitatem assequutæ fuerint,tum de insula mures decedunt, vt ne si remanerent, per imprudentiam eas contingant,quas tangi fas non sit:pòst verò vbi id anni tempus præterierit,ad domesticam sedem reuertuntur.Luculentam Heraclienses nauium copiam habuisse, Xenophon testatur. Coloniarum quoque plurimarum, cuiusmodi fuit Cherronesus,Calatis,Romana(teste Strabone)procreatrix fuit.Flumina plurima & maxima hanc vrbem vel pertranseunt, vel alluunt, vt Tembrius(ἰχθυόεις ab Orpheo dictus)Sangarius,Lycus,Acheron denique,quem Apollonij interpres ἀπὸ τῶν ἀχέων,id est,doloribus vult esse dictum,aliter dictus (teste Marcellino)Arcadius. Apollonius libro 2.Σοωναύτην dicit appellatum fuisse,propterea quòd Megarenses quum fluctibus iactati,in illa sua profectione ad Heracleam,in hunc fluuium confugissent, salui incolumésque euaserūt. Apollonij Scholiastes sic dicit appellatum fuisse , propterea quòd omnes in naufragij periculo constitutos , incolumes præstat , quippe quum quietos & tranquillos portus habeat. Magnam præterea illi claritatem attulit & Acherusias peninsula,vbi Herculem ad Cerberum canem extrahendum descendisse ferunt (teste Xenophonte) & quæ illius descensus monumentum dicitur specus illa Acherusia,haud minus quàm duo ostia(vt inquit Xenophon) subsidens (ex qua Cerberus extractus)ad naues(vt aiunt) peruia , μυχοπόντιον,teste Marcellino,ab accolis dicta:de qua Ouidius libro 7.Metamorphos.Flaccus libro 5. Apollonius libro 2. ἄχρις Ἀχερουσίδος ὅρμον,id est,ad portum promontorij Acherusij dicit Argonautas appulisse, quod promontorium dicit ex mari excelsum atque præruptum esse,supra id platanos esse satas, inde descensum patere ad tartara,cuius Acherusij promontorij versus continentem atque Meridiem pars sit specus Acherusia. Deinde portus Acone, ab aconito,quod magna copia prouexit , ex Cerberi extracti spuma ibi natum, sic dictus, optimus (vt inquit Strabo)& pulcherrimus. Postremò ex hac vrbe,ceu ex equo Troia-

no, multi præclari ac præstantes doctrina eruditionéque viri prodierunt: cuiusmodi fuit Platonicus ille philosophus Heraclides, Platonis & Aristotelis auditor, nec insigni tantùm ingenio, sed habitu adeò molli, vt pro Pontico Pompicus diceretur, author Laertius. Eius Cicero libro 5. Tusculanarum meminit. Ex eadem oriundus fuit Dionysius philosophus Heracleota, de quo Cicero libro 2. Tusculanarum quæstionum. Fuit etiam Heraclides Ponticus historiographus, sed ex Odesso Ponti oriundus, de qua Stephanus. Ex eadem natus fuit (teste Philostrato libro 1.) Euxenus Apollonii Thyanensis præceptor, vsque ad annum sextumdecimum, quem Philostratus lib. 1. ventri venerīq; deditum, ab omni rectè philosophandi ratione operibus & vita alienum, Epicureum, Pythagoræ sententias non aliter nouisse dicit, quàm aues quandóque ab hominibus doctæ humana loquuntur verba. Quamobrem Apollonius quum sextū decimū annū attigisset, ad Pythagoricam sectam aspirans, illū dimisit, quum patre concedente ei suburbanum donasset, vbi horti erant amœnissimi, & iugiter manantis aquæ fontes permulti.

Megarensium colonia.) Ita Xenophon, Strabo, Apollonius, licet alij Milesiorum esse velint. Apollonij Scholiastes ex Ephori lib. 5. & aliis probat Bœotios atque Megarenses Heracleas conditores fuisse.

Portus nauium) dictus Acone: hinc Strabo εὐλιμένα appellat.

Ad Metroum) matris deorum templum Athenis celeberrimum, ad cuius similitudinem forsan in hoc loco fuit extructum: nam Argonautæ eam summopere venerati sunt, id quod constat ex multis monumentis, quæ passim in Ponto in illius honorem excitarunt, de quibus suprá. Sic (vt superioribus hoc quoque adiiciam) Nicomediæ quoque, vt ex quadam Plin. ad Traianum epistola colligere licet, eiusdem dæmonis templum fuit.

Posidæum.) Ποσίδαιον, quia Neptuno maris deo dedicatum. Posideum Ioniæ promontorium (teste Mela) in descriptione Ioniæ. Ποσίδειον Stephano vrbs inter Ciliciam & Syriam. Multa hinc inde hoc nomine & oppida & promontoria fuerunt, vt Posidium circa Chalcedonem promontorium & oppidum, iuxta quod templum oraculorū Apollini sacrum à Milesiis constructum fuit, quod ob magnitudinem suam tecto caruit. Ergo à Milesiis, à quibus (vt inquit Strabo) totus Euxinus, Propontis & alia complura loca ædificiis fuerunt exculta, hoc quoque seu promontorium fuit appellatum, seu oppidum, seu templū verisimile est fuisse conditum.

Tyndarides.) Hoc siue portus, siue oppidum, siue promontorium (nam eius nullam alibi ab authoribus vidi mentionem fieri) probabile est à Castore & Polluce, Argonautarum comitibus, qui Tyndaridę (quia Tyndariæ OEbaliæ regis filij) fuerunt appellati, sic fuisse nuncupatum.

Nymphæum.) A Nymphis (vt est verisimile) dictum. Infrà fit mentio Nymphi vrbis Tauricæ intra Ponticapæum metropolim & Theodosiam sitę. Nymphæum quoque Proconnesi insulæ promontorium.

Oxinas Ὀξείνας *fluuius.)* Huius quoque nullam legi mentionem fieri. Apollonius Argonautas Acherontem fluuium Heracliensem celerrimum ad Callichori fluuii ostia peruenisse dicit. sic appellatus (teste Marcellino) quòd superatis post triennium Indicis nationibus, ad eos tractus liber reuersus, circa huius ripas virides & opacas orgia pristina reparauit, & choros, hieterica, huiusmodi sacra quidam existimant appellari. Idem Apollonius tradit libro 2. Hinc Apollonij Scholiastes Callichorum fluuium Paphlagoniæ dicit esse Baccho sacrum, cuius Callimachus quoque mentionem faciat, ac duobus ostiis in mare influere, quē (denique addit) rursus Ὀξύνοντα, id est, Oxynontē appellarunt. Ergo Oxinas est ille Callichorus, Oxynon quoque appellatus. Ab hoc non procul distat & antrum, quod Apollon. αὐλίον, Marcellinus Alion appellat, & Stheneli (Marcellinus, nisi sit mendum, Sthelenum transpositis literis

teris appellat)monumentum.

Sandaraca.) Huius quoque non fit mentio,quod legerim. Strabo Sandaracurgii meminit & castelli in Pompeiopoli,vrbs Paphlagoniæ,& montis concaui propter metallorum effossionem,ob odoris grauitatem periculosissimã.

Crenides.) De his nihil inuenire potui, nisi quod Menippus in periplo Pōti à Crenidibus ad Psyllam testatur viginti esse stad.teste Stephano. Noster Arrianus ponit triginta.

Psylla. Ψύλλα emporium.) Ptol. Ψύλλιον oppidum quod Heracleæ statim subiungit,deinde Tium.Niger Psyllium oppidum Bebryci regis ab Amyco occisi tumulo imminens,vulgò Picello dicitur.

Tium oppidum.) Tios Τίος,teste Stephano,vrbs Paphlagoniæ Ponti,à Tio sacerdote Milesio appellata, vt Philon testatur. Demosthenes in Bithyniacis Datarum capta Paphlagonia eius conditorem esse affirmat, & ἐκ τοῦ τιμᾶν Δία à cultu Iouis Tium appellasse.Eiusdem quoque meminit Menippus in periplo Paphlagoniæ.A Psylla vrbs ἕσιον *Hestion* (mendum videtur esse pro ἐστὶ Τίον .i.est Tium) & fluuius βίλαιον.ab Heraclea stadia 300.absunt. Hestium vrbs,& Bilæum stadia 370. Et rursum omnes à Tio Amastrim vsque 200.Inde Τιανὸς Tianus, vt à Cio Cianus.Corruptus videtur esse apud Stephanum contextus Græcus,Strabo lib.12.Τηϊουίτη πολίχνιον nihil, inquit, habet memoratu dignum, nisi quod Phileterus hinc fuit, author generis regum Italicorum. subiungit Heracleæ idem Cauconas, de quibus suprà,quos eam oram dicunt habitasse, quæ post Mariãdynos est vsque ad Parthenium flu. vrbem hanc Τήϊον Teium feruntur incoluisse.Hanc vrbem,eodem teste Strabone Amastris regina cum Sesamo Cyloro & Cromna coniunxit in instruendis Paphlagonibus, sed citò defecit ab hac communione,cœteris in ea permanentibus.Mela,eam Tion appellans,Milesiorum coloniam, & iam soli gentísque Paphlagonum esse ait. Quid si sit eadem vrbs,quæ Eneta dicitur,vrbs Paphlagoniæ antiquissima, ex qua oriundus Pelops Paphlagonum author, quem Apollon. idcirco ἐνετήϊον. appellat.Abest Tios ab Heraclea secundum Plin.38.mill.pass.Patria fuit Anacreontis poëtæ, in qua fuit templum Apollinis,vnde Apollo Teius dictus.

Vrbs Ionica.) Milesiorum colonia. Miletus plurimis coloniis nobilis fuit. A Tio (vt suprà dictum)sacerdote Milesio condita,vt testis est Stephanus.Hîc quoque non est silentio prætereundum,quod Plinius inquit,In omni hoc tractu prædicto,tres tantùm gentes Græcas inueniri,Doricam,Ionicam,Æolicã, cœteras Barbarorum esse.

Billæus.) βιλλαῖος.βίλαιον à Menippe in periplo Paphlagoniæ. Plinio Billis,vltra quem Paphlagonia,quam Pilomeniam aliqui dixere inclusam à tergo Galatiæ.De hoc sic Apollon.lib.2.

Παφλαγόνες τ' ἐπὶ τοῖς πελοπήϊοι εἵατο ἄντως.
Ὅσσους βιλλαίοιο μέλαν περιάγνυται ὕδωρ.

Eustath. in illum locum. Fluuius hic per imminentem Phrygiam labitur, & exit propter Titanorum vrbem. fluuius est Paphlagoniæ, quem alii Phrygiæ volunt esse.

Parthenius.) Strabo. Deinde Parthenius amnis per florida defertur, vnde & nomen habet,ortum habens in Paphlagonia. Hunc Mela in litoribus penè mediis Paphlagonum esse dicit. Sic dictus teste Stephano, vel vt alii volunt à Diana,quæ se huius vndis ibi venando oblectauit. secũdum illud Valer.Flacc.

—Et fatis tibi Typhi negatum,
Parthenium ante alios triuiæ qui creditur amnis,
Fidus & Inopi materna gratior vnda.

Alii contrà à placidissimo leuissimóque quasi virgineo cursu sic dictum esse volunt.Sic Orpheus,qui idcirco illum ab incolis καλλίεϱον dicit appellari. Apollonius ἁλμυρόεντα πρηΰτατον. i. salsuginosum atque placidissimum appellat,

in quo Diana corpus abluere sit solita, vnde Callisthenes eum vult fuisse appellatum. Alii verò à placido illius cursu, teste Apollonii interprete, qui similiter eum Paphlagoniæ fluuium appellat, cuius ostia sint circa Sesamum vrbē. Huius quoque fluuii meminit Xenophon lib.6. quē, vt & Thermodontē primò, deinde Halym Græcos ait præteruectos esse. Ibidē quoque ob latitudinē ἄβατον vocat. Plin. Paphlagonum fluuium Carambi promontorio proximum appellat. Circa hunc fluuium Cauconas quosdam habitasse author est Strab. 12. Fluit, authore Stephano, per Amastrianorum vrbem. Ouidius,

Partheniúsq; rapax, & voluens saxa Cynopes.

Rapax propter eius cursum, qui omnia rapit & aufert. Quomodo igitur alii leuem placidúmque esse dicunt, vnde sic fuerit dictus? Respondeo pro diuersitate locorum potest modò leuis, modò rapidus esse & dici, vt suprà de Phaside quoque dictum fuit. Adde quòd permulti sæpè fluuii licet aspectu leuissimè videantur fluere, tamen impetu sunt rapidissimo, ita vt si quid illis iniicias, illud dicto citius abripiant. Hîc quoque non est silentio prætereundum, & Samum insulam, Melanthemonem aliàs & Anthemusam dictam, Parthenium fuisse appellatā, & illius insulæ fluuium Imbrasum nomine Parthenium quoq; fuisse appellatū. quare cùm Anchæus Neptuni & Astipaleæ filius (qui post Tiphys obitum nauem Argo ab vrbe Heraclea gubernādam suscepit) in insula illa Samo iuxta fluuium Imbrasum Parthenium quoque dictum natus fuerit (teste Apollonio & eius scholiaste) verisimile est & ciuitatem Paphlagoniæ Sesamū à Samo insula, & fluuium hunc ad Imbrasi illius similitudinem fuisse nuncupatum. Nonnulli etiam à Palætini regis filia in eo submersa. Est etiam Parthenius mons Arcadiæ sic dictus, vel quòd virgines in eo frequenter venari, vel quòd Veneri sacra in eo facere consueuerunt. Est quoque, teste Stephano, eiusdem nominis promontorium prope Heracleam, cuius Artemidorus quoque meminit lib.6, Geograph. Est quoque Parthenia vicus Pōto vicinus. Hic verò, secundum Arrianum nostrum, fluuius Bithyniæ finis, & Paphlagoniæ initium.

Samus insula Parthenius dicta. Imbrasus fluuius Parthenius dictus. Sesamum vrbs vnde dicta. Parthenius mōs Arcadiæ. Parthenius promontorium prope Heracleam. Parthenia vicus.

Bithyni Thraces.) Claudius,

Thyni Thraces erant, quæ nunc Bithynia fertur.

Thraciæ populum appellat, quia à Thracibus oriundi.

Thyni olim dicti Bithyni postea dicti sunt.

Xenophon.) Quàm Thraces & bellicosi & truces infestíque Græcis extiterint pluribus describit Xenophon lib.6.

Paphlagonia.) Sic Strabo. Post Parthenium, inquit, est Paphlagonia & Eneti clarissima Paphlagonum natio, ex qua & Pilæmon fuit oriundus. Sic dicta à Paphlagone filio Phinei, ad Orientem Haly fluuio, ad austrum Phrygia & Galatia, Occidentem versus Bithynis & Mariandynis, Septentrionem versus Euxino Ponto terminatur. Hac regione in mediterraneam & maritimam oram diuisa, oram maritimam ab Hali vsque in Bithyniam Heracleam vsque Eupater Mithridates. ex mediterranea verò partem propinquiorem. Hæc Strabo. Marcellinus, Post Bithyniam, inquit Pontus & Paphlagonia prouinciæ protenduntur. Dicta est quoque Pilæmenia, teste Plinio, inclusa à tergo Galatia. eius initium versus Bithyniam Billim fl. facit. Apollon. lib.2. post Heracleā & regionem Mariandynorum ponit Paphlagoniam, quam montosam esse testatur: cui Eneteius olim Pelops imperarit, à cuius sanguine secretos esse Paphlagones gloriati fuerunt. Iustinus in Nouellis gentem hanc antiquam, neq; ignobilem olim fuisse dicit, vnde magnæ coloniæ deductæ, vnde Veneti in Italia, Aquileia omnium sub Occidente vrbium maxima. Vide plura ibidem. Xenophon lib.5. Paphlagonum regionem & campis pulcherrimis, & altissimis montibus præditam esse, difficillimósque aditus habere testatur.

Paphlagonia. Eneti. Paphlagoniæ termini. Paphlagonia Pilæmenia dicta. Paphlagonum gens antiqua. Veneti à Paphlagonibus orti.

Amastris.) Post Parthenium, inquit Strabo, est Amastri, ab vxore Dionysii Siciliæ tyranni, muliere Persica, filia Oxyathri fratris Darii, dicta, quæ posita,

Amastris vnde dicta.

posita in peninsula portus habet ex vtraque Isthmii parte. Amastris illa, ex Sesamo, Cytoro, Cromna Teio vnam effecit. Demosthenes ab Amastri Amazone, sic vult esse dictam. De hac Flacc. lib. 6. Peditem pedes haurit Amastrim. Hanc Stephanus vult prius Cromnam dictam. Plinius, Sesamum oppidũ, nunc Amastrim dicit esse. Amastris inquit Lucianus in Toxari, Pontica vrbs haud procul à Carambe dissita in promontorio, obuia iis qui à Scythia nauigant. Huius idem meminit in Pseudomante, quam Alexandro illi Pseudomanti dicit inuisam fuisse. Plinius in quadam sua ad Traianum epistola, Amastrim ciuitatem elegantem, & ornatam, inter præcipua opera dicit habere pulcherrimam, eandémque longissimam plateam, cuius à latere per spatium omne porrigatur, nomine quidem flumen, reuera cloaca fœdissima, quæ sicut turpis, & immundissima aspectu, ita pestilens sit odore teterrimo. itaque petit eam vt liceat decoris & salubritatis gratia contegere. *Amastris prius Cromna dicta. Amastris Plinio, quæ.*

Erithyni.) Strab. duo scopuli, qui nunc Erithri à colore sic appellati. Sic Apollon. quoque post Sesamum (quæ Plinio & aliis eadem quę Amastris) subiungit αἰπεινούς ἐρυθίνους, quos Homerus ὑψηλούς. i. altos seu excelsos appellat. Ptolemæus in situ Ponti & Bithyniæ Thyniada & Erythinos scopulos, dicit adiacere regioni Cyaneorum. Stephanus dicit esse vrbem Paphlagoniæ sic à rubedine dictam. *Erithyni scopuli.*

Cromna.) Hanc, Strabone teste, Amastris cum Sesamo, Cytoro, Tio coniunxit, & vnam ex his quatuor ciuitatem effecit. Eius Homerus quoque meminit, cum Ægialo & Erythinis coniungens eodem carmine. Iuxta hanc Enetos (à quibus Veneti in intimo Adriatici maris sinu positi) Strabo & Plinius testantur habitasse. De hac sic Flaccus libro 5. *Cromna. Eneti à quibus Veneti.*

Mox etiam Cromnámque iuge pallente Cytoron.

Plinius. Post Mastyam Milesiorum Cromna. Hanc Κρωμίαν. i. Cromiam appellatã. Ptolemæus post Amastrim ponit. Apollonius post Erithynos scopulos ponit Crobialum & Cromnam. Eandem Niger & Thessalim & Maliandam, & Strimonim ait appellari.

Cytorum.) Κύτωρον. Cytorum olim Sinopensium emporium fuit, dictum à Cytoro Phryxi filio, vt Ephorus tradit. In Amastriano agro plurima atque optima buxus nascitur, præsertim circa Cytorum. teste Strabone, Mela. Vergil. Georg. 2. *Cytorum emporium.*

Et iuuat vndantem buxo spectare Cytorum.

Hinc Cytoriaca ea quæ buxea sunt,

Sæpè Cytoriaco deducit pectine crines.

Idcirco etiam Apollon. ὑλήεντα. i. syluosam appellat. Strabo. Post promontoriũ Iasonium, & Genetas Cytorus oppidum, ex quo Pharnacia habitata. lib. 12. Cytorus quoque est mons, vbi buxus nascitur.

AEgiali.) Post Cytorum Ptolemæo κλίμαξ. i. scala oppidum. Ægialum autem Homerus coniungit cum Cromna. Nonnulli, inquit Strabo pro Ægialo scribunt Gobialũ. κωβίαλον. Vnde quoque Apoll. lib. 2. post Erithynos ponit κρωβίαλον. Ægialos, teste Apollonii interprete, 1000. stad. est, Carãbin & Sinopen vsque. Littoris verò tractus supra 100. stad. longus, vicum habet eiusdẽ nominis, cuius Homerus meminit. Item Strabo. Hunc Apoll. his verbis describit, *Ægialum. Ægialum vicus.*

Τὴν δὲ περιγνάμψαντι πολὺς παρακέκλιται ἠδὴ
Αἰγιαλὸς. πολέος δ' ἐπὶ πείρασιν αἰγιαλοῖο.

Vrbis huius Lucianus in Pseud. quoque meminit, quam Homeri monumentis celebratam esse dicit.

Thymena.) quid, vel vbi sit, nihil potui inuenire. Ptol. post Cytorum κλίμαξ oppidum & τεύθρανίαν Teuthraniam ponit. Teuthrania forsan quæ Ptolemæo, Arriano est Thymena. *Thymena. Teuthrania.*

Carabis.) Κάραβις. Strabo, Post Ægialum est Carambis promontorium *Carabis promontorium.*

magnum ad Septentrionem porrectum & Scythicam peninsulam,seu Cherronesum, cui Frôs & arietis alterum promontorium apposita Pontum bimarem efficit. lib.12. Eodem teste lib.7. à Chersonitarum vrbe abest 2500.stad. ab Arietis autem fronte multo minore stadiorum numero. Huius Apoll.lib.2.his verbis meminit:

Ἔστι δέ τις ἄκρη ἑλίκης κατ᾽ ἐναντίον ἄρκτου,
Πάντοθεν ἠλίβατος, καί μιν καλέουσι Κάραμβιν,
Τῆς καὶ ὕπερ βορέαο περισχίζονται ἄελλαι, &c.

Eiusdem meminit quoque Plinius lib.4.cap.12.& lib.6.cap.2.Flaccus lib.4.

Quid tibi nubifera surgentem nube Carambim?

Dionysius.

Cespite Paphlagonum surgit saxosa Carambis. &c.

Vltra Carambim & Mosinoeci,inquit Mela.

Zephyrium promontoria & oppida. *Zephyrium.*) Sic Ptolemæus quoque post Carambim Zephyrium ponit. A Zephyro,cui expositum,forsan sic dictum.Huius nominis & oppida & promontoria sunt.Vt Loorolum promontorium in Italia,cuius & Plin.lib.3.cap. 5.& Strabo lib.6.meminerunt:est etiam vrbs Cariæ & Ciliciæ. Item promontorium Ægypti,à quo Venus & Arsinoe Zephyritis.

Aboni tichos. *Aboni tichos.*) Ptolemæus inter Zephyrium & Aboni tichos ponit καλλιστρατίαν.Callistratiam.

Vrbs parua.) Hinc Strabo πολίχνιον. i. oppidulum appellat. Vrbem hanc Aboni mœnia (quæ hodie Boli vulgò appellatur) cuius Ptolemæus quoque meminit, Strabo & alii claram olim fuisse vel ex illa Luciani historia,in Pseudomante,quam inserere hîc volui,patet. Alexander Pseudomantes societatẽ iniit cum Byzantio quodam Chronographo scelerato, qui appellabatur Coconas.Hi cùm inter se cogitarent Delphos,Claron,Delum,Branchidas diuites *Historia lepida de vaticinationis oraculo excitando.* factos ex arte diuinandi, constituerunt vaticinationis oraculum excitare, ac primùm considerarunt de loco. Coconas Chalcedonem probabat locum cõmodum, esse mercatoribus frequentem. Alexander præferebat vrbem hanc Paphlagoniæ nominatam Aboni mœnia,cuius sententia vicit. Itaque profectis ipsis Chalcedonem, vtile quippiam vrbs visa est habere in Apollinis templo,quod illic antiquissimum est. tabulas æreas defodiunt, in quibus inscriptũ incisúmque erat, vt quàm mox Asclepius cum ipso Apolline patre accederet in Pontum,vt occuparet Aboni mœnia.Harum tabularum de industria inuentarum fama,statim Bithyniam & Pontum peruagata peruenit Abonimœnia, eiúsque incolas ita mouit,vt tẽplum ædificare cœperint,quò Alexander profectus est.Cocona Chalcedone remanente.

Æginetis oppidulũ & fluuius. *AEginetis.*) Αἰγινήτης.) Stephanus αἰγινήτης inquit, oppidulum est & fluuius Paphlagoniæ. Videtur autem nomen hoc significare Æginam in Ponto: nam Paphlagonia Ponto est contigua.Hæc ille. Strabo,Post promontorium Iasoniũ γενέτην fl. ponit.Plin.in Themiscyræ descriptione Genetarum gẽtis meminit. Apollon.lib.2. Genetæi promontorii mentionem facit, in quo Iouis Xenii fanum fuit,de quo infrá.

Cinolis. *Cinolis.* Κίνολις.) Strabo.Post Carambim,inquit,sequitur Cinolis & Anticinolis,& Aboni mœnia.Mela in Paphlag.Cimolim post Cytoron ponit.Ptolem. Post Aboni mœnia *Cimmolis.* Κίμμωλις *Cimmolis* per duplex μ,vrbs Galatiæ.Plin. Cimolis oppidum Paphlag.Quidam Cimmolum & Anticimolum vocant, vt Niger in Galatiæ descriptione.

Stephane vrbs. *Stephane.*) στεφάνη.Plinio Stephane in Paphlag. Ptolem.Cimmoli subiungit Harmanam,ac deinceps στεφάνην Stephanam.Stephan. στεφανὶς.*i. Stephanis*, vrbs Mariandynorũ,Hecatæo Asiæ cuius patronym.Stephanites.στεφάνη.*i. Stephane* vrbs Phocidis. vnde patronym.Stephanæus. Sic forsan dicta, quia Glycerio coronarum inuentrici,quæ coronas vendendo sustinuerat paupertatem

fuit

fuit consecrata. Vide Plin.lib.35.cap.11.

Potami.) Ptolemæus Stephanæ subiungit Sinopen, de qua infrá. Potami autem huius nullam vidi mentionem fieri. Stephanus ποταμὸν dicit esse insulā Æolidis. Plinius libro 4.cap.7.vrbem Atticæ Potamum dictam testatur. Hinc forsan Potamia dicta regio Bithyniæ finitima, teste Strabone lib.12. Verisimile est hoc siue promontorium, siue oppidum, siue quicquid sit, ab illa vel insula Æolica, vel oppido Attico fuisse appellatum. *Potamon insula.* *Potamū promōtoriū vel oppidū.*

Lepte acra: promontoriū tenue.) De hoc quoque promontorio magnum scriptorum silentium. *Lepte acra.*

Harmena.) Siue est Α῾ρμήνη. Ptolomæus Harmenam ponit inter Cimolim & Stephanam. Plinio oppidum Armene, nunc est colonia. Melæ est Paphlagoniæ finis. Strabo libro 12. Post Carambim, inquit, sequitur Cinolis, & Anticinolis, & Abonitichos, & Harmena, de qua prouerbium: Cui nullum erat negotium, Harmenam condidit. Ea Sinopensium vicus est, & portum habet à Sinope (de qua postea) distans quinquaginta stad. Xenophon libro 6. Armenem (quò Græci appulerunt) vicum in Sinopensium ditione esse ait. Sinopenses autem in Paphlagonicis finibus sitos, Milesiorum colonos esse ait. Eiusdem, teste Stephano, Menippus, in suo periplo meminit. *Harmena.* *Prouerbium.*

Sinope.) Σινώπη aliàs (teste Stephano) dicta à Sinope Asopi filia, quam errabundam, à Ioue amatam, Thermodontonis iussu atque mandato in illo collocauit, vbi inuita habitauit: vnde Sinope dicta, alio nomine Sinopica Chersonesus dicta, teste Eustathio. Σινώπης, ιδ☉, penultima correpta, vrbs est (vt inquit Strabo) omnium quæ in hac regione sunt clarissima, ab Harmena (vt vult Strabo) stad. quinquaginta. secundum Arrianum quadraginta, à phano Iouis 3500. ab Heraclea duobus mill. à Carambi septingenta stad. distans secundum Strabonem. Ea (vt inquit Chalcondylas) præiacet Ponto Euxino, extendit se, quum sit Cherronesus, in mare stad. viginti septem. Herodotus libro 2. Constat, inquit, Cimmerios in Asiam fugisse, Scythas & Chersonesum condidisse, vbi nunc Sinope vrbs Græca sita est. Vrbs hæc, secundum Xenophontem, Arrianum, Strabonem, Diodorum Siculum, Milesiorum est colonia. Nam (vt inquit Strabo libro 12.) Milesij loci opportunitate & incolarū imbecillitate perspecta, illos ex his sedibus pepulerunt, & colonos induxerunt. Eam Stephanus ex Phlegonte quodam probat, à Macritio quodam Coo fuisse conditam. Sinopenses Antolytum vrbis conditorem crediderunt, cuius & idolum (Sthenidis opus à Lucullo sublatum) & oraculum fuit. Ita Strabo, qui hunc Antolytum vnum ex Iasonis comitibus fuisse existimat. Eius situm munitum pariter atque speciosum sic describit Strabo atque Chalcondylas. Naturali (inquit Strabo) prouidentia optimè munita est, nam super collo peninsulæ cuiusdam sita, ex vtraque Isthmi parte portus, & stationes habet, & mira pelamidia, nam secundam piscationem Sinopenses, tertiam Byzantini habent. Peninsula circumcirca ripas iugosas obtendit, & fossas quasdam in petris excauatas, quas χοινικίδας vocant. Hæ mari tempestate elato complentur, vt non facilè adiri possint, prǽterea petræ summa echinis plena, nudo pedi inaccessibilia sunt. In superiore vrbis parte, optimum solum est, & agrestibus hortis ornatum: præsertim suburbana hæc vrbs optimè extructa est, & gymnasio, & foro, & porticibus splendidè ornata. Huic Strabonis descriptioni quoad situm vrbis amœnissimum pariter atque munitissimum, optimè conuenit altera hæc Chalcondylæ descriptio. Vrbs hæc, inquit ille, præiacet Ponto Euxino, extendit se, quum sit Cherronesus, in mare stad. viginti septem. & in Isthmo sita est, hortis & arboribus abundat. Plantas & arbores producit, & omnigenas tam mansuetas, quàm syluestres. Nomen eius est Pordapas. Sunt ibi damularum & leporum viuaria, nec desunt aliæ feræ, quas vexare solemus. Vrbs admodum munita est: nam vtrinque mari cingitur, quum sit speciosa & pulchra. A continente vergit in locū *Sinope.* *Sinopis vrbs.* *Antolytus vrbis Sinope conditor.* *Sinope situs.* *Sinope vrbis fecunditas.* *Sinope vrbis animalia.*

arenosum. Ea verò regio, quæ in Cherronesum pāditur, campestris est, & hinc facilè vrbis mœnia aggredi licet. Plinius in quadam sua ad Traianum epistola significat Sinopensem coloniam aqua bona destitui, petit itaque vt per aquæductus à sextodecimo milliario aquam bonam & copiosam perducere liceat, id quod salubritati & amœnitati valde sitientis coloniæ sit conducturum. Tota Synopica regio (vt inquit Strabo) ac montana, quæ dictæ oræ imminet vsq; in Bithyniam, optimam ad ædificandas naues materiam, & productu facilem habet. Sinopica quoque acerem gignit & nucem montanam, è quibus mensę fiunt. Ibidem nascitur rubrica, Sinope seu Sinopica cognominata, quæ Iberiā melior iudicatur, teste Strabone libro 7. & Vitruuio. Tota oleis consita est, quę verò paulò supra mare, culta est. Hanc vrbis regionísque fertilitatem respiciens Flaccus libro 5. inquit,

Aquæ penuria.

Materiem ad ædificandas naues habet. & Rubricam.

Assyrios complexa sinus stat opima Sinope.

Vrbis huius ornamēta (teste Strab.) plurima fuerūt, inter quę insignis fuit Billari pila, & Antolyti idolū, Sthenidis opus, quē illi vrbis cōditorē putātes, vt Deū coluerūt, eiusdémq; ibi oraculū cōsuluerūt. Hic vnus ex iis videtur fuisse, qui cū Iasone nauigauit, & hunc locū occupasse. Hæc ornamēta Lucullus capta vrbe, cęteris relictis sustulit. Sed alia quoq; longè maiora fuerūt huius vrbis ornamēta, doctissimi philosophi inde oriundi, vt Diogenes Cynicus, Timotheus Patrio, ex poetis Diphilus Comicus, Bato historicus, qui de rebus Persicis scripsit. Marcion hæreticus inde oriundus, vnde Ponticus dictus fuit. Nicephoro Callisto teste libro 4. cap. 10. Coloniarum quoque nobilissimarum, vt Trapezuntis, Cotyororū, Pharnaciæ, olim Cerasuntis dictæ (teste Arriano) genitrix fuit. Hinc Xenophon libro 6. dum Sinopenses refert habitare in Paphlagonia, Milesiorúmque colonos esse ait. Cotioritas, Cerasuntios, & Trapezuntios vectigalia pendisse ciuitatibus. Huius autem vrbis, vt omnium rerum humanarum, variæ fuerunt fortunæ secundæ & aduersæ vices ac mutationes. Ea primò omnium potentissima extitit. Nam (vt inquit Strabo) classe cōparata mari, quod intra Cyaneas est, imperarit, extrà verò multorum certaminum cum Græcis particeps fuit. Quum itaque primò & potens & libera fuisset, tandem à Pharnace subitò præter omnem expectationem oppressa & capta est, cuius deinceps successoribus vsque ad Mithridatem Eupatorem paruit. Eupater ibi natus & educatus, eximiè illam coluit, & regni metropolim fecit. Idem testatur Diodorus Siculus. Vnde Cicero quoque pro L. Manilia Sinope atque Amysum, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata atque referta. Tandē à Lucullo capta, & in populi Rom. potestatem redacta est. Strabonis ætate Romanorum coloniam accepit, vnde & vrbis & regionis pars illi data est. Vrbis huius rex vltimus fuit (teste Chalcondyla) Ismael, cuius regnum (eodem teste) ab vrbe Ponti Heraclea sese extendit per Pontum vsque Paphlagoniam, & Turgutis regionem: cuius florentissimæ regionis annuus reditus, fructus qui ad Ismaelem redibat, fuit circiter viginti myriades staterū argenteorum, siue, vt alii legunt aureorum. Sola hæc regio æs secundum Iberiæ æs optimum profert. ex quo singulis annis rex tributi nomine quinque myriades staterum auri percipiebat. Hæc tandem à Mahumete rege Turcarum obsessa, bombardis quadringentis, iaculatoribus bombardariis circiter duo millia præter decem millibus virorum aliàs probè instructa, certis quibusdam conditionibus atque pactis Turcarum imperatori ab Ismaele tradita, nunc eiusdem imperio adhuc est subiecta, teste Chalcondyla lib. 9.

Vrbis ornamēta.

Vrbis conditor à Stenide sculptus.

Philosophos doctissimos habuit.

Coloniarum genitrix.

Sinopensis vrbis variæ vices.

Sinope vrbs potens.

A Pharnace capta.

Sinope patria Eupatoris, regníque metropolis.

A Lucullo capta.

Sinopensis vrbis Rex vltimus.

Ismaelis annuus reditus ex Sinopensi regione.

Sinope vrbs à Mahumete capta.

Carusa Κάρουσα.) Plinius in Cappadociæ descriptione meminit vrbis & Gaziuræ (cuius Strabo quoque meminit lib. 12. & Gazeti & Carissæ, & Gangę. Verisimile est fuisse Carissam, quæ proximè ad illius similitudinē accedit. Ptolom. subiungit Sinopi Κυπτασίαν Cyptasiam, Zalysci fluuii ostia, γάλωρον Galorum. deinceps Halym.

Carusa.

Carusa fortè est Carissa.

Zagora

Zagora Ζάγωρα.) Ptol. Ζάγειρα Zagira, cui præterea Plegram & Pteriam adiungit, quas villas mediterraneas Paphlagoniæ esse dicit. *Zagora.*

Halym.) Fluuium (vt noster vult Arrianus) Paphlagoniæ atque Cappadociæ terminum esse, Strabo quoque libro 12. testatur, vbi Cappadociæ, quæ iuxta Pontum, Orientem versus est, finem esse dicit. Hinc Herodotus quoque illum inter Syros (hi sunt Cappadoces, vt postea dicetur) & Paphlagones dicit interfluere. Idem fluuius olim (teste Herodoto) Medorum ac Lydorum regnum disterminauit. Fluuius hic Halys etiam à Halybus Ximenæ, quos præterfluit (teste Herodoto) hodie corrupto vocabulo Lali appellatus: fōtes suos habet, secundum Strabonem, prope Ponticam in maiore Cappadocia, iuxta Cabysenum (vt Plinius inquit) à radicibus Tauri per Cataoniam Cappadociā decurrens (vt Herodotus & Dionysius testantur) à monte Armenio labitur. Hunc Strabo multū dicit post suum ortū ad Occidentē ferri, postea (vnde rectè eum Ouidius crebro vortice tortum appellat) ad Septentrionem conuersum, per Galatas & Paphlagonas hos & Leucosyros, id est, Cappadoces terminare. Herodotus autem illum ex Armeno monte fluentem per terram Ciliců, & Matienos qui sunt ad dextram, & Phrygas qui sunt ad læuam, boream versus tēdere, & Cappadocas Syros à dextra, Paphlagonas à sinistra perstringere testatur. Idem alio in loco à Meridie, inquit, Syros & Paphlagonas interfluēs contra ventum Aquilonem in Pontum Euxinum (iuxta Synopen, teste Apollonij Scholiaste) euoluitur. Idem author ait Thalem Milesium cùm Crœsi copias per Halym traduxisset, effecisse vt fluuius, qui ad læuam exercitus ibat, ad dextram iret. Apollonius lib. 2. hūc in extremitate vrbis Ægiali, iuxta promontorium magno cum sonitu ferri. Fluuius hic (cuius, teste Xenophonte libro 6. latitudo non minor duobus stadiis quàm sit Thermodontis, qui latus est, eodē teste, sexaginta mill. pass.) olim vel vnico illo flexiloquo Apollinis oraculo, quod Crœso fatale extitit, celeberrimus fuit. *Crœsus Halym penetrans, magnam peruertet opum vim.* Quo deceptus, inquit Cicero libro 2. De diuinatione, quum regnorum opes expectaret, suas profligauit. *Halys fluuius. Paphlagoniæ & Cappadociæ terminus. Halys vnde dictus. Halys hodie Lali. Vnde oriatur, & quæ loca præterfluat. Plinij sententia. Strab. sententia. Herod. sentētia. Crœsi copiæ per Halym iterfecerunt. Halys fluuij latitudo.*

Cappadocia.) A Cappadoce flumine, quod per eam fluit, Leucosyria antea à Syro Sinopis & Apollinis filio dicta, item (teste Iosepho) Moschin, vnde ciuitas in ea Moza dicta. Terminatur ab occasu Paphlagonia, Galatia, & parte Pamphiliç: à Meridie parte Ciliciç propter Taurū montē. Ab Oriēte Antitanio iuxta Armeniā minorē, & Moschio mōte, & Euphratis parte. A Septētrione, Ponto Euxino supra 450. mill. pass. excursa. Ita Ptol. Strabo, Austrum versus Tauro Cilicio, Orientem versus Armenia Colchide, ac diuersarum linguarum gentibus intermediis: Septentrionem versus Euxyno, vsque ad Halys ostia, occasum versus Paphlagonum gente, & Galatis, qui Phrygiam trasmigrarunt, vsque ad Lycaonas & Cilicas, Ciliciam, Thrachea incolētes. Hanc Persæ quum prouinciam obtinuissent, in duas diuiserunt satrapias. Deinde Macedones expulsis Persis, ex satrapiis regna cōstituerunt, & partem quæ Taurum versus est ad Meridiem, propriè Cappadociam nominauerunt, alterum autem ad Septentrionem Pontum cognomento Polemoniacum, ab vrbe in ea tum celebre vocauerunt. A qua & Euxinum appellari Pontum quidam volunt, eo enim mari abluitur. Temporibus verò nostris Turchia noua appellatur. Romelia à Barbaris terra argenti, æris, ferri, aluminis, cæterorum metallorum, frugum, vini, salis, crocei translucidi & odoratissimi, rubricæ Sinopicæ, equorum, crystalli, onychitis lapidis, necnon lapidis candidi ebori persimilis feracissima. De Cappadocia vide plura apud Strabonem sub initium libri 12. *Cappadocia olim Leucosyria dicta. Moza ciuitas. Cappadociæ termini. A Persis deuicta. Macedonum imperio subdita. Pontum Polemoniacum. Turchia noua hodie. Cappadociæ fertilitas.*

Naustathmus.) Strabo libro 12. Post Halyos ostia est Gadylonetica vsque ad Armeniam regio fœlix, campestris, omnium ferax. Oues habet mollis pellis, & lanæ, quod in tota Cappadocia atque Ponto rarum est. Insunt etiam damæ, quarum alibi paucitas est. Huius regionis partem habēt Amiseni, partē Pom- *Naustathmus. Regionis fertilitas. Incolæ.*

peius Deiotaro dedit, vt ea quæ Pharnaciæ & Trapezuntiæ proxima sunt, & Armeniam minorem: atque horum Regem fecit, quũ & paternam tetrarchiã haberet.

Conopæum forsan Conica. Conope vrbs. Conopium vrbs.

Conopæum Κονοπεῖον.) Forsan est Κονίκα Conica Ptol. quam ponit paulò ante Eusenam. nullam alibi huius mentionem legi. Κονώπη Conope vrbis nomẽ Suidas. Stephano Acarnaniæ vrbs est. Κωνώπιον in palude Mœotide est, vbi aiunt lupos pisces cibo à piscatoribus accepto, capturam eis custodire, si quam verò iniuriam sibi fieri suspicentur, retia ac pisces populari.

Eusena vrbs.

Eusena.) Hanc Ptolemæus inter ciuitates & villas mediterraneas Paphlagoniæ ponit.

Amisus vrbs. Hodie Simiso dicta. A quibus possessa. Amisenorum ciuitas fœdere Romanis coniuncta. Amisenorũ regio feracissima. Doctos virosquos habuerit. Amisum quantũ à Sinope distet. Sinope & Amisũ Regiæ sedes.

Amisus.) Strabo, Post Gadilonem, inquit, est Saramena, & Amisus ciuitas ἀξιόλογος prædicatione digna, à Sinope distans ad stad. nongenta secundum Arrianum nostrum 1020. Refert Theopompus (eodem Strabone teste) prius Milesios, postea Cappadocum principem eam condidisse: & deinde ab Athenocle & Atheniensibus habitatam, & Piræa nominatam. Ea hodie Simiso vulgò dicta est. Hanc Reges occupauerunt, Eupator templis exornauit, partémq; eius muris instruxit. Hanc Lucullus obsedit, deinde Pharnaces Bosporo traiecto, Antonius autem Regibus dedit, à diuo Cæsare liberatam. Postea à Stratone tyranno vexata est, deinde rursus post res Actiacas ab Augusto Cęsare liberata, & nunc optimè constituta est. Hinc Plinius in quadam sua ad Traianũ epistola, Amisenorum ciuitatem beneficio illius indulgentię liberatam & fœderatam legibus suis vti, scripsit. In eadem epistola quærit, an liceat illis habere erânos, id est, collationes. Respondet Traianus, Se non posse id prohibere, si quidem tali collatione non ad turbas, illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiã, vtantur. Quid si fuerint collectæ & eleemosynæ Ecclesiæ pro pauperibus? Illius regionis feracissimæ descriptio sequitur: nam Themiscyram & Sidenam campos fertilissimos complectitur. Ex illa Demetrius Rhateni & Dionysiodorus Mathematici, Tyrannion Grammaticus oriundi, eodem teste Strabone. Plin. Amisum, inquit, liberam à Sinope centum triginta mill. pass. Eiusdémque nominis sinus tanti recessus, vt Asiam penè insulã faciãt 200. mill. pass. haud amplius per continentem ad Issicum Ciliciæ finem. Cicero pro L. Manilia, In Sinope & Amiso Regis domicilia esse ait omnibus rebus ornata atque referta.

Ancon portus. Leucosyrorum cubitus dictus.

Ancon portus.) Ptol. huic subiungens Iridam Leucosyrorum cubitũ appellat. Huius meminit Appollon.

Κεῖθεν δὲ προτέρωσε μέγας καὶ ὑπείροχος ἀγκὼν
Ἐξανέχει γαίης.

Ancona vrbs.

Strabo nulla huiusce facta mentione, post Amisum dicit esse promontoriũ Herculeum, Iasonium, Genetim, Cytorum & Ancon, siue Ancona vrbs fuit Piceni in litore Adriatici maris, à Siculis condita: dictam volunt, quòd in morem cubiti sit extructa. Portum habet, quem Traianus insigni opere extruxit. Plinius lib. 4.

Iris hodie Liriũ. Quę loca præterfluat. Iridis fluuij ostia & progressus. Strabonis sententia.

Iris.) Hodie vulgò Lirium appellant. Hunc Apollon. bis lib. 2. Haly fluuio ἀγχίῤῥοον, id est, vicinũ, sed minorem esse dicit, qui (vt idem inquit) λευκῇσιν ἑλίσσεται εἰς ἅλα δίναις. i. candido vortice in mare labitur. Flacc. lib. 5.

Transit Halys, longísque fluens anfractibus Iris.

Hunc fluuium Plin. vt & Strabo in Cappadocia Amasiam (Strabonis patriam) præterfluere dicit, vt Halys Andrelaidẽ Claudii Cæsaris coloniam, Parus, Comana, Lycus Neocæsaream. Illius ostia primam & secũdam conuersionẽ, necnon fontes Ptol. ponit iuxta Euxinum, à Septentrione. Verùm fluuij huius ortum pariter atque progressum tortuosum admodum, teste Flacco, plenè elegãtérque Strabo describit lib. 12. Flumen hoc, inquit, alterum Thermodonti æquale (vnde Xenophon quoque eandem vtriusque latitudinem sexaginta nimirum

mirum stad. dicit esse) eandem planitiem Themiscyrenam irrigat, qui in Ponto exoritur. Fluens autem per media Ponti Comana, & per Daximoniticam fœlicem campum, Occidentem versus, postea apud Gaziura antiquam regiã, nunc verò desertam, conuertitur ad Septentrionem, postea rursus reuertitur ad auroram, Scylace & fluminibus aliis assumptis, & ad ipsa Amasiæ mœnia, patriæ nostræ, vrbis munitissimæ, illatus ingreditur in Phanaroeam, vbi Lycus cum eo circumcurrens, nomen amittit. Deinde Themiscyra & Ponticum pelagus, aquam hanc excipit. Quàm autem hic idem fluuius ad patriæ suæ commoditatem munitionémque faciat, idem pluribus paulò pòst testatur.

Heracleum promontorium.) ab Hercule sic dictum. Hoc promontorium θεμισκύρειον Themiscyrium appellat Apoll. & κυρτλῶ. i. incuruum, iuxta quod Thermodon in Pontum influit. Strabo eiusdem post Amisum meminit. Ptol. quoque idem in Ponto Galatico circa Phanageriam campum ponit, cui subiungit Pontum Polemoniacum.

Heracleum promontorium Themiscyrium dictũ.

Thermodon) Fluuius, à Plinio, Marcellino Thermodoon, Græcè θερμώδων à Thermodonte quodam qui errabundam Asopi filiam excepit Sinopem, Dionys. teste. olim teste Plutarcho in lib. de fluminibus (propterea quòd æstate quoque congelatur) crystallus appellatus fuit. Vnde Dionysius quoque illius fluuii in frigidis ripis secari Crystalli lucidum lapidem, veluti glaciem hybernam dicit: posterioribus sæculis, eodem Plutarcho teste, Hermonius, forsan ab Hermonia nympha, ex qua & Marte Amazones feruntur fuisse prognatæ, teste Apoll. lib. 2. hodie vulgò ab accolis Pormon dicitur. Dictus etiam est ab Amazonibus bellicosis Amazonius, & Martius teste Dionysio, & teste Mithrodoro quodam historico, qui Tigranica conscripsit (quem Apollonii Scholiastes citat) Araxes cognominis fluuio illi Armeniæ celebri, qui (vt Plutarchus in vita Pompei testis est) ex iisdem, quibus Euphrates, locis ortum ducẽs, ad ortum Solis conuersus in mare Caspium effunditur. Est autem Thermodõ Straboni, Plinio, Iustino, Cappadociæ, Ptolemæo Ponti Polemoniaci, Apollonii interpreti Leucosyriæ (quæ eadem est, quæ Cappadocia) Pomponio (qui Paphlagoniæ Chalybas subiungit) Chalybum, Plutarcho lib. de fluminibus Scythiæ fluuius. Alij, teste Boccatio, Thraciæ fluuium fuisse, putant. Quidam in Smirneo, quod se mirari dicit, nisi forsan alii sint eodem nomine nuncupati. Ortus illius est, vt Dionys. inquit, ex monte Armeniæ, vt Plin. & Strabo ad castellum, quod Phanaroeam vocant, prætérque radices Amazonii montis, vt Marcellinus ab Armenio defluens monte, Themiscyreos interlabens lucos. Huius Apollon. lib. 2. nullum similem esse dicit, propterea quod ex vno eodémque fonte promanans in 140. ferè loca diffluit atque delabitur, tandémq; πόντον εἰς ἄξεινον κυρτλω ἀπερεύγεται ἄκρλω. i. in Pontum Euxinum iuxta promontorium incuruum atque flexuosum (Heracleam nimirum) irrumpit. Vnde Valer. Flacc.

Thermodon fluu.
Thermodon Hermonius dictus.
Hodie Pormon dictus.
Amazonius.
Martius.
Araxes.
Ex iisdem locis quibus Euphrates oritur.
Thermodontis fluuij ortus & progressus.
Thermodon fluu. in 140. loca diffluit.

Sæuaq; Thermodon medio sale murmura voluens.
Grandiuo sacer, & spolijs altissimus amnis.

Latitudo eius est teste Xenophonte lib. 6. sexaginta mill. pass. aqua, vt Dionysius inquit candida. Nobilis hic est fluuius & Amazonibus, quæ iuxta illum habitant, & duplici apum genere, teste Plinio, & Crystallo atque Iaspide & alabastro, Plin. & Dionys. teste, quæ omnia circa hunc fluuium nascuntur, denique auriramentis, quæ defert, vnde Chrysorrhoas dicitur. Circa eundem Syrii Thermodontis & Parthenii accolæ, quorum contermini Macrones, teste Herod. lib. 2. Fluuius Thermodon Tanagram ac Glisantem interfluit. Herod. lib. 9. Est etiam eiusdem nominis urbs in radice montis Amazonii, seu Armenii. (nam vtroque nomine appellatur) ad fontes fluuii Thermodontis, quod Pharmachia deinde appellatum fuit. teste Nigro in Geograph.

Iuxta Thermodontem Amazones habitant.
Crystallus & Iaspis circa Thermodontem nascuntur.
Thermodõ vrbs.

Vbi Amazones.) De hoc omnes scriptores consentiunt. Diodorus Sicu-

Amazonũ gens bellicosa.

lus scribit penes Thermodonta fluuium primò gentem Amazonum fuisse, quę viris similes, bellicis artibus, viribúsque corporis præstabant, earum reginã exercitu mulierum coacto militiam exercuisse dicit, quæ vicinas nonnullas gentes expugnarunt. Plutarchus in Pompei vita, Amazones dicit in montibus habitasse, qui fluuio Thermodonti imminent. Scribit etiam Strabo Themiscyram, campósque Thermodonti proximos & imminentes montes Amazonum sedes fuisse. Vnde Ouid.

Qua in regione habitarint.

Et tu fœmineæ Thermodon cognite turbæ.

De Amazonibus pleraque fabulosa.

Idem Iustin. lib. 2. & Mela. De istis Amazonibus licet variæ fuerint veterum opiniones atque fabulæ (Straboni enim pleraque fabulosa videntur lib. 11.) de quibus vide Eustath. in Dionys. & secundum librum Apoll. necnõ illius Scholiastem, denique Vadianum in Melam: tamen inter omnes cõuenit circa Thermodontem fluuium, campum Themiscyram, & montem Amazonium, antiquam illarum sedem ac domiciliũ fuisse. Vnde quoque Vergilius inquit lib. 11.

Quales Threiciæ cùm flumina Thermodontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circùm Hippolyten, seu cùm se Martia curru
Penthesilea refert, magnóq; vlulante tumultu,
Fœminea exultant lunatis agmina peltis.

Themiscyra oppidum vnde dictum.
Themiscyræ agri fertilitas.

Themiscyra autem & oppidi nomen fuit (ab eius nominis Amazonum regina, teste Strabone & Plinio) & regio plana, atque campestris, Thermodonte atque Iride irrigata (vnde regionem hanc ποταμόχωσον. i. fluuiis irriguam appellatam fuisse Apollonij Scholiastes testatur) semper roscida & herbida, tam boum quàm equarum alma nutrix ob aquarum copiam, cuius descriptionem pleniorem, vide apud Strabonem lib. 11. & Plin. lib. 6. cap. 4.

Beris fluu.

Beris βῆρις *fluu.*) Huius fluuij nullam alibi mentionem fieri vidi. Æschylus in Prometheo soluto: Amazonas circa Thermodontem Themiscyram inhabitare dicit, ac deinde subiungit, —ἵνα

Τραχεῖα Πόντου σαλμυδησσία γνάθος,
Ἐχθρόξενος ναύτῃσι, μητρυιὰ νεῶν. hoc est,
Et aspera Ponti Salmydestia maxilla *Vbi*
Nautis infesta, & nouerca nauium.

Maxillam siue fauces appellat, propterea quòd locus ille nautis & nauibus infestus, formam habebat faucium absorbens quæ ad ipsum deferrentur. Fuit ad Salmydissæ fluuii influxum. Salmydissi Licophr. quoq; meminit iuxta Cyaneas: de quo infrá.

Thoaris.) θόαρις. Sic forsan vel à Thoante, quem (vt suprà dixit Arrianus) Orestem & Pyladem vsque in Cappadociam persecutus fuit, vel à celeritate appellatus quasi θοός.

OEnoe vrbs.

OEnoe οἰνόη.) OEnoe vrbs mediterranea Attica, secũdum Ptol. sententiã, cui ad Orientem adiacet Rhamnus ciuitas, non longè ab Asopo fluu. Plinius quoque eiusdem meminit, de qua vide Gerbelium in descriptione Græciæ. ad illius forsan similitudinem hæc fuit appellata.

Phigamus flu.

Phigamus φίγαμος *fl.*) Quid si sit vel flumen Sidenum, quo Plinius Polemonium testatur allui, vnde quoque regionem Sidenam, de qua Strabo lib. 12. verissimile est appellatam fuisse: vel flumen Iasonium dictum, cuius idem meminit, vt paulò pòst dicetur.

Phadisana forte est Phanaroea vel Phamizoniũ.

Phadisana.) Plin. lib. 6. cap. 3. de Cappadocia. in ora Thermodontis castellum Phanaroeam ponit, & oppidũ Phamizonium, quid si Phadisana alterutrum horum fuerit.

Polemonium oppidum.

Polemonium.) Πολεμώνιον. Plinius in Themiscyræ regionis descriptione cap. 4. lib. 6. Gens, inquit, Macrones, Sideni, fluménque Sidenum, quo alluitur oppidum Polemonium, ab Amyso 120. mill. passuum. Inde flumen Iasonium. Ab hac vrbe Polemoniacus pontus ab Herculis promontorio ad Isthopolim

Polemoniacus pontus.

vsque

vſque fuit appellatus, de quo ſuprà. Niger olim in dextra Thermodontis, hodie in eiuſdem fluuii ſiniſtra ſitam Vatizam ab incolis nuncupâri teſtatur.

Acra Iaſonia.) Plin. flumen Iaſonium inter Macronas & Sidenos. Strabo promontorium Iaſonium poſt Heracleam ponit. Quod quidem flumen ſicut & promontorium veriſimile eſt Iaſonium fuiſſe appellatum, quia, vt teſtis eſt Xenophon, naues Argo ibi in anchoris conſtitiſſe fama fuit. *Iaſonium flumẽ & promontoriũ.*

Cilicum inſula.) Strabo inter promõtorium Iaſonium & Cytorum ſtatuit χηνῆτιν. Cilicia autem fuit ex decem Cappadociæ præturis, Cilicia Grachea dicta, quæ quidem Cappadocia à Meridie terminatur. vt teſtatur Strabo lib. 12. Hinc itaque inſula hæc dicta fuit. *Cilicum inſula. Cilicia Grachea dicta.*

Boon.) βοῶν. Nihil de hoc potui inuenire. *Boon.*

Cotyora Κοτύωρα.) Strabo κούτωρος πολίχνη. i. oppidulum, inquit, ex quo Pharnacia habitata poſt promontorium Iaſonium & χηνῆτιν Genetem fluuiũ, vnde veriſimile eſt Genetas populos fuiſſe dictos. Plinius oppidum hoc Cotyorum appellans ponit inter Genetas, Chalybes, & Tibarenos atque Moſſynos in Themiſcyra regione. Xenophon lib. 5. Cotyora ciuitatem ſcribit eſſe Græcam, Sinopenſium coloniam, in Tibarenorum finibus ſitam. In hac vrbe, eodẽ teſte, quadragintaquinq; diebus. Græci cõmorati ſacra primũ diis perſoluerũt, deinde ludos Gymnicos celebrauerunt. Commeatus partim è Paphlagonia, partim Cotyoritanorum pagis ſibi compararunt. Cúmque Cotyoritani ab initio inhoſpitales neque commeatum illis in foro præbere, neque ægros in ædes recipere vellent, & ita in vrbem irruperunt, ægróſque ſuos in illorum ædibus collocarunt, commeatum ſibi vndique quibuſcunque potuerũt rationibus acquiſiuerunt. Tandem Sinopenſes legatos ac deprecatores pro Cotyoritanis colonis ac vectigalibus ſuis (nam pro agro Barbaris adempto, illíſque tradito Sinopenſibus eodem iure quo Ceraſuntii atque Trapezuntii vectigal penſitabat) miſerunt, ac effecerunt mutuis colloquiis, vt pace inter Græcos & Cotyoritanos compoſita, Cotyoritani dona hoſpitalia Græcis dederint. Ptolemæus in ſitu Cappadociæ Κυτέωρον Cyteorum appellans, ponit in Ponto Polemoniaco inter Iaſonium promontorium & Hermonaſſam. Hodie aiunt Cecino vulgo appellari. *Cotyora oppidũ. In Cotyora oppido Græci per 45. dies commorati. Cotyoritani ab initio erga Græcos inhoſpitales. Sinopenſes pro Cotyoritanis apud Græcos fiunt deprecatores. Cotyora hodie Cecino.*

Melanthius Μελάνθιος.) Plinius inde fluu. Iaſonium Melanthium, inter Macronas & Sidenos põnit Themiſcyræ regionis gentes: Huius Ouid. quoque meminit, *Melanthius flu.*

Et tacitè peragens lene Melanthus iter.

Eſt etiam Melas in Pontum influens, cuius meminit Plinius & Flaccus cùm ait, Cytorus, Phrontis & Argos, Æolidæ, fratérque Melas. Sed hic à Melantho differt. *Melas fluuius in Pontum influens.*

Pharnacia. Φαρνάκεια.) Strabo & Ptol. Φαρνακίαν per Iota, proculdubio à Pharnace quodam rege (quod nomen, vt & Mithridatis, Polemonis, Caſſandri, regibus Ponticis familiare fuit) appellata. Strabo lib. 12. Poſt Sidenam ponit Φαρνακίαν Pharnaciam oppidum munitiſſimum, ex quo Cytorum dicit fuiſſe habitatam: cui, vt & Trapezunti (cum qua hanc vrbem coniungit) Tibarenos, Chaldæos, Sannos, prius Macronas dictos, necnon Appaitas prius Circetas dictos, imminere, quam apud Chaldæos olim Chalybas dictos ſitam magnam pelamidum copiam habere dicit. qui piſces, vt idem lib. 7. teſtatur, in Mœotidis paludibus generati inde paulatim per os grege facto erumpunt, ac propter littus Aſiaticum vſque Trapezuntem & Pharnaciam excurrunt. Hinc primùm eorum vexatio exiſtit non copioſa admodum: at vbi Sinopem propius acceſſerint ſpecioſior eorum eſt piſcatio ſimul & ſalſamentaria. Ptolemæus in ſitu Cappadociæ in Pontum Cappadocum iuxta Sidonem inter Ceraſuntem & Hyſſi portum ſtatuit. Plinius Pharnacem appellans, in Themiſcyra regione ab Amiſo octoginta mill. paſſ. diſtare dicit. *Pharnacia. Oppidum munitiſſimum. Sanni prius Macrones dicti. Appaitæ olim Circetæ dicti. Chaldæi olim Chalybes. Pelamidum piſcatio.*

Hæc Pharnacia olim Cerasus dicta.) Strabo post Cytorum ponit Cerasuntem & Hermonassam ac paulò pôst Trapezuntis & Pharnaciæ mentionem facit. Ptol. in Ponto Cappadorum iuxta Sidonem. Cerasunti statim Pharnaciã subiunxit. Plin. quoque in Themiscyra regione oppidi Cerasuntis primò inter Macrocephalos & Cordulæ portum, deinde paulò pôst inter Melanthium fl. & Tripolim castellum Pharnaciæ oppidi meminit. Ex quibus locis videtur colligi posse duas fuisse Pharnacias, alteram antiquam Trapezunti viciniorem, alteram verò, cuius hîc Arrianus meminit, nouam, quæ olim Cerasus fuit eodem teste appellata. postea forsan à Pharnace Mithridatis filio Bosporano illo regulo (de quo suprà) vel ab alio quodam denominata. Fuit autem Cerasus vrbs olim antiquissima & clarissima, à cerasis, quibus abundauit, quæque à L. Lucullo inde primò in Italiam deportata fuerunt, sic appellata, hodie excisa, teste Nigro, Ormidis à barbaris appellatur. Vnde Hieron. ad Marcell. Accepimus & canistrum cerasis refertum talibus, & tam virginali verecundia rubentibus, vt ea nunc à Lucullo delata existimarem. Siquidem hoc genus pomi Ponto & Armenia subiugatis, de Cerasunte primus Romam pertulit. vnde de patria arbor nomen accepit. Idem Plin. lib. 16. & Marcell. Xenophon quoque lib. 5. vrbem ad mare Græcam, Sinopensium coloniam, in Colchorum finibus sitam esse dicit. In hac Græci per decem dies commorati exercitus cẽsum habuerunt, & pecuniam de captiuis collectam partiti, eam quæ decimæ nomine aut Apollini aut Ephesiæ Dianæ vota fecerat, consecrandam prætores acceperunt. Inde pars exercitus nauibus conscensis mari, reliqui verò pedibus iter facientes in Mossinoecorum regionem peruenerunt. Vt autem Cerasuntii Sinopensium coloni, ita vectigales quoque cum Trapezuntiis & Cotyoritanis extiterunt, de quo suprá. Mela lib. 1. inter Macrocephalos, Dischetos, Buxæros raras dicit esse vrbes Cerasuntem & Trapezuntem maximè illustres. De Cerasuntina Ecclesia suprà dictum, cuius Episcopi fit mentio in magno illo & celeberrimo Concilio Ephesino.

Pharnaciæ duæ fuerunt. — *A quo Pharnacia nomen traxerit.* — *Cerasus vrbs vnde dicta.* — *Cerasus Ormidis hodie dicitur.* — *Vel potius cerasa ab vrbe Cerasunte nomen traxerunt.* — *Apud Cerasuntem vrbem Græci per decem dies commorati sunt.* — *Cerasuntij Sinopensium coloni & vectigales.* — *Cerasuntina Ecclesia.*

Arrhentias Ἀῤῥεντίας.) Fuit hæc vna ex insulis Ponti. Hæc priscis literarum monumentis admodum nobilitata ἀρητίας ab Apollon. & aliis. i. ἄρεως νῆσος Martis insula, cui consecrata fuerat, à Mela verò & Plinio Aria dicitur. Eandem Calcitidem quoque dictam fuisse Plin. lib. 10. cap. 29. testatur, quam nulla, inquit, auis præteruolat. Idem lib. 6. cap. 12. Contra Pharnaceam, inquit, Chalceritis, quam Græci Ariam dixerunt, sacrámque Marti, & in ea volucres cum aduenis pugnasse pinnarum iactu. Idem testatur Mela: & omnium antiquissimus Apollonius aues illas Στυμφαλίδας *Stymphalidas* appellans, de quibus multa verba facit lib. 2. Iuxta hunc & ex eodem & illius interprete colligitur, Phryxi filij ex Colchis in Onhomenum paternæ hæreditatis cernendæ gratia nauigantes naufragium fecerunt, vnde Argonautæ illis assumptis ac ducibus viarum vsi tandem rursus Onhomenum deduxerunt.

Arrhentias insula. — *Quasi Martis insula.* — *Dicta etiam Calcitis.* — *Volucres pinnarum iactu cum aduenis pugnantes.* — *Iuxta Ariam insulam Phryxi filij naufragium fecere.*

Zephyrium Ζεφύριον.) Ptolem. inter Ponti Cappadocum mediterraneas commemorat Zephyrium, cui mox Cordylam & Trapezusam subiũgit, quod videtur aliud fuisse ab hoc Arriani. Verisimile autem hoc ita fuisse appellatum, quia Zephyro maximè fuit expositum. Sic enim eandem ob causam Locrorum quoque promontorium inter Heracleam & Cortonem situm, teste Plin. lib. 3. cap. 5. & Strabo lib. 6. portum habens venientibus ab occasu ventis commodum Zephyrium fuit appellatum, & Locri Epizephyrii.

Zephyrium promontorium. — *Locrorum promontorium, Zephyrium appellatum.* — *Locri Epizephyrij.*

Tripolis.) Plin. Post Pharnaceam Tripolis, inquit, castellum & fluuius. Duæ sunt præterea Tripoles illustres, &c. Vide Gesnerum.

Tripolis castellũ & fluuius.

Argyria.) Vide num sit Aza, quam Ptol. Zephyro subiungit in Põto Cappadocum. Argyria sic forsan dicta ab argento, cuius sanè vniuersam hanc regionem olim affluentissimam fuisse, Strabo testatur lib. 12.

Argyria. — *Vnde dicta.*

Philocalia Φιλοκάλεια.) Plin. post Tripolim inquit est Philocalia, & sine fluuio

Philocalia.

fluuio Liuiopolis. Sic forsan dicta quasi Philocalyba, id est, ferri amans: nam & totum hunc tractum argenti olim atque ferri locupletem, & Chalybes olim Alybes dictos fuisse, & ferro victum sibi quæsiuisse, Strabo testatur libro duodecimo. *Vnde dicta. Chalybes olim Alybes.*

Coralla Κόραλλα.) Forsan est Κολαχία Colacia, quam Ptolomæus in Ponto Cappadocum proximè ante Cordylam & Trapezuntem ponit. Quid si dicta sit à Corallis populis, Æmi montis accolis, teste Strab. lib. 7. de quibus Ouid. lib. 4. de Ponto, *Coralla forsan Coralia. Vnde dicatur Coralla.*

Heu mea cui reticem flauis nisi scripta corallis.

Eosdem pellitos vocat.

Mons sacer.) Montis huius illustris à Xenophonte fit mentio lib. 4 cui Teches nomen esse dicit, in quem quum Græci conscendissent conspecto mari Euxino, præ nimio gaudio atque lætitia, sublatis vocibus milites exultarunt, illorúmque duces collachrymãtes, mutuò sese complexi fuerunt. Eiusdem Apollonius libro 2. meminit, cuius incolas Mossinoecos fuisse testatur. De eodẽ sic Apollonij Scholiastes. Mons sacer est, inquit, qui pertingit vsque ad mare Euxinum: cuius & Ctesias lib. 2. periodôn, & Suidas libro 2. de Macronibus meminerunt. Sed accurata imprimis eius fit mentio ab Agathone in Ponti periplo, qui illũ circiter ρ. stad. à Trapezunte abesse scribit. Irenæus affirmat Mnesimachum libro 1. de Scythis de illo prodidisse, sed in eo fallitur. Nam Mnesimachus meminit Emopæti & Scythici, at verò illi scriptores, qui paulò antè commemorati fuerunt, de Asia loquuntur. Est autem alius quoque mons sacer Thraciæ. Hæc ille. *Mons sacer. Huius incolæ Mossinœci.*

Cordyla Κόρδυλα.) Ptolom. in Ponto Cappadocum meminit Κορδύλης Cordylæ, cui subiungit Trapezusam. Plinius in Themiscyræ regionis descriptione, Gens, inquit, macrocephali, Cerasus, portus, portus Cordulæ. ibi templũ S. Phocæ primi Pontici Episcopi fuisse, Chalcondylas libro 9. testatur. Quid si portus hic ita à cordylis piscibus, quorum ibi magna copia, fuerit nuncupatus. *Cordyla. S. Phocas primus Ponti Episcopus. Cordyla portus vnde sic dictus.*

Hermonassa.) Strabo libro 12. Post Cytorum oppidum & Ischopolim humi prostratam, sinus est, in quo sunt Cerasus & Hermonassa mediocres habitationes, postea non procul ab Hermonassa Zygopolis. Ptolomæus in Ponto Polemoniaco, illam Cyteoro subiungit. Menippus in suo periplo duorum Pontorum Trapezuntis vicum, Hecatæus verò & Theopompus vrbẽ esse dicunt. Hæc Stephanus lib. 11. Est quoque altera Hermonassa, quam Strabo ad Corocondamnam, vel Corocondamam Ponti ciuitatem, Ptolomæus in Bosporo Cimmerio. Plinius libro 6. cap. 3. in aditu Bospori sitam esse tradunt. Hanc Dionysius Εὔκτιτον, id est, bene structam appellans in insula quadam immensa, quę rectà per Bosporum Cimmerium eunti occurrit, vnà cum Phænagora sitã esse dicit, Ionum coloniam. Sic fuit appellata ab Hermonassa vxore Semandri Mitylenæi cuiusdam, qui quum quosdam Æoles in colonias traduceret, & in ciuitatis habitandæ institutione vita excessisset, vxor eius vrbe occupata, suũ ei nomen imposuit. Eandem (teste Stephano) Scymnus Ἑρμώνειαν quoque Hermoniam appellauit. *Hermonassa vrbs. Quo in loco sita. Hermonassa altera. Vnde dicta.*

Atque hæc quidem de secundo hoc tractu sint dicta. Sed quemadmodum Arrianus noster populorum primi tractus catalogũ subiunxit, idem hîc quoque, sed generatim tantùm fecit. Videtur itaque omnino necessarium propterea quæ præcesserunt, vt magis speciatim de istius regionis, ad quam iã peruenimus, populis, nonnulla summatim breuitérque dicãtur. Ac generales quidem, quos Arrianus quoque nominat, istius tractus populi sunt Bithyni primò, deinde Paphlagones, postremò Cappadoces, de quibus satis dictum. Sub his verò alii nonnulli magis speciales, & minores populi comprehenduntur, de quibus partim dictum est, partim nunc dicetur. Hi autem sunt Mygdones, Bebry- *Bithyni. Paphlagones Cappadoces. Sub his alij nonnulli minores populi comprehenduntur.*

ces, Thyni, Bithyni ſpeciatim dicti, qui ſub Bithynis, necnon Mariandyni, Caucones, qui ſub Paphlagonibus cõtinentur, de quibus ſuprà explicatum eſt. Sequuntur iam (qui ſub Cappadocia comprehenduntur) ferè agreſtes atque immanes gẽtes Amazones, Chalybes, Tybareni, Moſſinœci, Phylires, Macrones, Bechyres, Sapyres, Byzeres, quo ferè ordine ab Orpheo, Apollonio, Dionyſio, Plinio collocantur, quorũ in locorum Cappadociæ deſcriptione crebra admodum facta eſt mentio.

Amazones.

Primi igitur ſunt Amazones, ſiue Amazonides Martia proles, Δάμνιπποι ab Orpheo, Στυγάνορες ab Æſchylo appellatæ, de quibus ſuprà. Illarum hiſtoria plurimis fabulis ita inuoluta eſt atque implicata, vt nihil ferè certi de illis credi poſſit. Olim quoque (teſte Euſtathio in Dionyſium) Samomatides dictæ, quòd olim in Samomatica Scythia habitaſſent, vel quaſi Samopatides quòd lacertis veſcerentur: vnde etiam nonnulli Amazones volunt fuiſſe dictas, non ſolùm quòd à iuuentute exurebant dextram mammam, ne impedimẽto eſſet in iaculando, ſed etiam quòd carnibus ferinis educarẽtur. De iiſdem vide plura apud Herodotum lib. 4.

Amazonum hiſtoria fabuloſa. Amazones vnde Samomatides dictæ.

Chalybes. Dabæ populi.

His proximi ab Orpheo, Apollonio, Dionyſio ac aliis ponuntur Chalybes. Marcellinus tamen inter Amazones & Chalybes interponit Dabas, quos omnium acerrimos bellatores appellat: Mela poſt Armeniam, quam Paphlagoniæ terminum facit, proximos eſſe dicit. Chalybes autem à Chalybe Martis filio dictos fuiſſe nonnulli volunt, qui (teſte Strabone) poſtea Chaldæi fuerunt appellati. Hinc Dionyſij Scholiaſtes Chaldiam Armeniæ regionem eſſe dicit, ad quam vſque Ponticum mare pertingat, cuius incolas Chaldos non autem Chaldæos fuiſſe vult appellatos. Xenophon quoque libro 4. Chalybes dicit Armeniæ vicinos fuiſſe. Strabo Pharnaciam apud illas ſitam eſſe teſtatur. Horum alios quidem qui mari ſunt vicini, quos idcirco Halizonas à poeta nuncupatos fuiſſe, Strabo libro 14. teſtatur, ex piſcatu pelamidum & delphinorum, quorum circa Pharnaciam maxima copia, alios verò qui continentem incolunt, ex metallorum effoſſione ac operatione cum maximis laboribus atque ſudoribus victũ ſibi quærere, Strabo pluréſque alij teſtantur. Vnde ab Æſchylo σιδηροτέκτονες, necnõ ἀνήμεροι, & οὐ πρόσπλαστοι τοῖς ξένοις, id eſt, fabriferrarij immites, peregrinis inacceſſibiles appellantur. Strabo exiſtimat hos eoſdem eſſe qui ab Homero ἄλυβες appellati, Paphlagonibus ſubiungantur. ὅθεν, inquit, ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη. Hinc Callimachus, teſte Apollonij Scholiaſte, Χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος. γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν οἵ μιν ἔφηναν, id eſt, pereat gens Chalybũ, quæ malam plantam ex terra germinantem monſtrauit. Hinc Marcellinus ab illis primum ferrum erutum & decurtum fuiſſe, Arrianus primos omnium ferrariam artem tractaſſe teſtantur. Apollonius & Dionyſius terram illam duram, aſperam, σιδηροφόρον ferriferam incolere teſtatur. Hinc Flaccus,

Chalybes vnde dicti.

Chaldia Armeniæ regio.

Victus ex pelamidum & delphinorum, & effoſſionis metallorum copia.

A Chalybibus primùm ferrum erutum.

> *Non ita ſit metuenda tibi ſæuiſſima, quanquam*
> *Gens Chalybum duris patiens, cui cultus in aruis,*
> *Et tonat afflicta ſemper domus ignea maſſa.*

Ferrum autem illud (teſte Dionyſij interprete) Chalbion vocant, ad Macronas optimum, vnde Chalybica ſecuris apud Lycophrorum, hoc eſt, ex optimo ferro facta, & ab Æſchylo quoque ferrum illud ſummopere commẽdatur. Ob hoc autem rei ferrariæ ſtudium [redacted] Chalybas etiam alybas dictos eſſe vult (de quo etiam paulò antè ex Strabone) quaſi Ialybas à Iobel, quæ vox Hebræa res in terrę viſceribus atque cauernis natas ſignificet. Idem quoque veriſimile ſibi videri ait Chalybas à Thubale illo Iapheti filio oriundos fuiſſe, quippe quum ab Ezechiele quoque Thubal in Septentrione collocetur. Gentem hanc Herodotus libro 1. vnà cum Mariandynis, Paphlagonibus & aliis à Crœſo fuiſſe ſubactam. Xenophon eandem & exiguam quidẽ, & Moſſinœcis (de quibus paulò pòſt) ſubditam, ſed omnium, ad quas Græci per-

Chalybũ enchomion ex vocis etymo.

Chalybes à Iapeti filio orti.

Chalybum gens fortiſſima & bellicoſiſſima.

peruenerint, fortissimam testatur, quarum & armaturam pluribus describit, quásque conspecto hoste cum lætitia atque tripudio prælium inire solitas fuisse tradit. Harum opera Mithridatem quoque in illis suis bellis contra Romanos vsum fuisse Appianus testatur. In Hispania quoque sunt Chalybes ad eiusdem nominis fluuium habitantes, similiter ferri copia laboriosos, quorũ Iustinus libro vltimo meminit: hos plerique illorum Ponticorum colonos esse volunt. Illud itaque Virgil. 1. Georgic. *At Chalybes nudi ferrum*, &c. alii de Ponticis, alij de Hispanicis intelligunt. Hinc quoque fit vt Thubal apud Ezechielem & alibi nonnulli Hispanos & Iberos interpretentur. Chalybes autem, Orpheo, Apollonio, Strabone, Plinio, Dionysio, Mela testibus, proximè attingunt, quos Orpheus Στυϐαρλῶα ἔθνη. i. Stybarenas gentes, Mela Taborenos vocant, quibus in risu lusúque summum bonum esse dicit, quod idem Ephorus & Flaccus libro 6. testantur. Strabo, Apollon. & alij Τιϐαρλωοὺς Tibarenos, ob illorum regionem Tibareniam appellãt. Hos Apollonius & Dionys. πολύῤῥηνας, id est, pecoribus abundantes vocant. Strabo vt & Chaldæos Pharnaciæ & Trapezunti illos dicit imminere vsque in Armeniam minorem, libro 11. Idem lib. 7. Trapezuntem dicit ciuitatem esse ad Tibaraniam & Colchidem pertinentem. Hinc Xenophon quoque Græcos post Chalybum regionem ad Tibarenos dicit peruenisse, quorum ager sit cãpestris, castella ad mare munita, à quibus etiam hospitalia munera acceperint. Indéque bidui itinere confecto per illorum agrum paratum ad Cotyora vrbem in eorundem finibus sitam peruenisse. Apollonius illos dicit habitare ζίωὸς εὐξείνοιο Γενεταίω ὕπερ ἄκρίω. i. super promontorium Genetæum Iouis Xenij. Quod promontorium Genetæum ab Apollonio appellari eiusdem Scholiastes testatur. ἀπὸ τοῦ Γένετ⊙ Genete fluuio: à quo verisimile est gentem quoque Genetarum (quarum Plinius meminit) fuisse appellatam. Fani autem Genetæi Flaccus quoque meminit libro 6. his verbis,

Chalybes in Hispania.

Thubal Hispanos & Iberos significat.

Tybareni.

Stybarena gens.

Mela Taborenos

Alij Tibarenos vocant.

Trapezus ciuitas ad Tibaraniam & Colchidem pertinet.

Genetæum promontorium.

Dictum à Genete fluuio.

Inde Genetæi templum Iouis, hinc Tibarenum
Dauides post terga lacus, vbi deside mitra
Fœta legat, partúq; virum fouet ipsa soluto.

Quo de loco doctissima extat Angeli Politiani ad Pomponium Lætum epistola. Apollonij Scholiastes probat ex Nymphodoro qui de legibus scripsit, Tibarenos studiosissimos iustitiæ cultores extitisse, qui non nisi indicto bello, ac ipsius prælij loco, tempore, ipsáque hora hosti prius denominata, manum conserere soliti fuerint. Idem quoque author mirificum quendam atque ridiculũ illorum morẽ & consuetudinem tradit, qua nimirum viri, simul atque vxores illarum pepererint, ipsi ceu puerperæ obuolutis capitibus in lectulo decumbentes, ab vxoribus effœtis delicatè mollitérque fouentur atque tractantur. De hoc ipso paulò antè Flacci testimonium recitatum fuit.

Tibareni iustitiæ studiosissimi.

Tybarenorũ ridiculus mos.

Tibarenis porrò proximi sunt, quos Orpheus Μοσσυνοὺς Plinius Mossynos, Strabo, Apollon. & alij Μοσσυνοίκους. i. Mossynœcos, hoc est, turricolas (nã vox μόσυν turrim ligneam significat) appellant. Hinc Strabo libro 12. Omnes hi agrestes sunt homines, præsertim Heptacometæ. horum nonnulli super arboribus & turribus habitant: vnde Mossinœci dicti, turres enim Mosyni vocantur. Ij ex ferina carne & arborum fructibus viuunt, atque ex lignis desilientes, peregrinos iter per illam regionem facientes adoriuntur. Ab his tres Pompei legiones trucidatæ, de quo suprá. Sed illarum victum, cultum, habitúmque corporis, necnon molles, effœminatos, venereos, impudicos, planéque Cynicos mores (quoad promiscuam publicámque Venerem) pluribus & Xenoph. lib. 5. & Apollon. lib. 2. & Mela aliíque describunt. Hos Xenophon omnium ad quos accesserint maximè barbaros, atque à Græcorum moribus, ritúque viuendi longissimè remotos à militibus iudicatos fuisse testatur. Plin. illos in Themiscyra regione Mossynos, notis corpora signantes appellat. Nã (vt inquit Xenoph. lib.

Mossinœci.

Mossinœci agrestes homines turres inhabitãtes

Mossinœcorũ viuendi ratio.

Mossinœcorum mores effœminatissimi.

Mossinœci barbari.

Moßinœci corpora notis distincta habebant. 5.) corpore quum essent mollissimo & cādidissimo terga ac pectora Anthemij flore picta, crebrísque notis distincta habebant.

Philyres. *Philyreida insula vnde dicta.* *His, interposita Aretiade insula.)* Apollonius proximè subiungit Φίλυρας Philyras, & insulam Philyreida, à Philyra Oceani filia quæ loca illa incoluit, & gens & insula illa fuit appellata. Orpheus tamen inter hos & Mossynos, de quibus paulò antè, Mariādynos, Colchos, Heniochos, Vros, Chidnęos, Charandęos, Solymos & Assyrios interponit.

Macrones. *Naetæ forsan idem qui & Genetæ.* Philyris proximè Apollonius subiūgit Macronas duobus in locis, de quibus suprà satis. Orpheus autem pro Macronibus Ναίτας ponit, qui forsan iidē sunt qui Genetæ à Plin. appellantur, de quibus paulò antea. Plin. verò & Mela Philyris Macrocephalos proximè subiungunt, de quibus Hippocr. lib. de aere & suprà quoque dictum est.

Bechires. Macronas autem (teste Apollonio) proximè attingunt Βέχειρες Bechires, quos immensam regionem dicit incolere. Sic Plinius quoque Macrocephalis subiungit Bechiras, eorundem & Dionysius meminit, Byzeres primi, quos iuxta terra Bechirum. *Bechires forsan ijdem qui Macrocephali.* Forsan hi sunt iidem, qui à Mela Macrocephalis subiunguntur, & Discheria appellantur. *Sapires.* *Vnde dicti.* Post Bechiras Apollonio ponuntur Σάπειρες Sapires, sic dicti (teste Apollon. Scholiaste, à sapirite lapide, qui apud illos plurimus nascitur. eorundem Orpheus quoque meminit. Post Naetas, inquit, sunt ἄστεα πυκνὰ Σαπείρων, id est, oppida crebra Sapirûm. *Sapires fortè ijdē qui Tapires.* Videntur hi iidem esse, qui Tapires Marcellino (facilis enim mutatio vnius literæ S in T) appellantur.

Byzeres. His postremò ὁμόλαγας, id est, vicinos atque finitimos Apollonius tradit esse Βύζηρες Byzeres, Dionys. Byzeres primi, quos iuxta terra Bechirum. Flacc. libro 5.

> *Mossinœci & vos stabulis Macrones ab altis,*
> *Byzerésque vagi, &c.*

Hos Strabo vt & Mossinœcos atque Chaldæos, Heptacometis annumerat: *Byzeres qui & Byzares & Buzeri et Buxeri* Marcellinus Byzares, Plin. Buzeros, Mela Buxeros appellat. Post Byzeres Apollonius ponit Colchos & Phasim, de quibus suprà satis. Orpheus tamen *Sygimni populi à Siggame fluuio.* Sygimnos populos interponit. Quid si illi dicti sint à Siggame fluuio, de quo suprá.

Tertia pars epistolæ. Nunc sequitur tertius tractus, qui est à Dioscuriade siue Sebastopoli, vsq; ad Bosporum Cimmerium, quæ quidem tertia est pars epistolæ.

Locorum cognitio pernecessaria, tū ad bella, tum ad alias res gerēdas VT si quid consilij capere velis.) Nam locorum cognitio ad bella, résque magnas gerendas vtilis, imò necessaria Sic Mithridates (teste Iustino) antequam Romanos bello lacesseret, Asiámque inuaderet, regionem illam prius clanculum perlustrauit, quò facilius locorū situ atque natura prius cognita ac perspecta, inuadere eam deinceps (id quod factum est) & occupare posset. Adrianum autem pacis potius, quàm belli consiliis delectatū fuisse suprà dictum est.

Locorum distantia inter Dioscuriadem & Pityunta. *Primus à Dioscuriade portus Pityûs.)* Strabo, Post Heniochos ex Artemidoro dicit magnum esse Pityuntem 360. ferè stad. vsque Dioscuriadem, & Arrianus noster 350. stad. inter Pityunta & Dioscuriadem vult esse interuallum. Plin. à Dioscuriade, inquit, est oppidum Heracleum. distat à Sebastopoli octo mill. pass. Achæi, Mardi, Cercetæ, post eos Serri, Cephalotomi. In intimo eo tractu Pityûs oppidum ab Heniochis direptum. *Pitiûs & Sebastopolis potius castra quàm vrbes.* Iustin. in Nouellis, Pityûs, inquit, ac Sebastopolis inter castra potius, quàm vrbes numerandæ sunt. Hoc siue oppidum siue castrum, Chrysostomi quoque exilio clarum est. Verisimile est illud à Milesiis, plurimarum coloniarū præsertim in Ponto authoribus, fuisse conditum, & sic appellatum, propterea quòd ipsa quoque Miletus Pityusa *Miletus Pityusa dicta.* olim

olim dicta fuit ἀπὸ πίτυος .i.pinu,quæ ibi plurima nascitur.Nam (vt Eustath.in Dionys.exemplis quibusdam probat)vrbes sæpè à plantis illis,quarum ibi magna copia,appellatæ fuerunt. Quibus addere potes ex sacris vrbem illam olim clarissimam Bethel, quæ antiquitus Luza amygdalis, quæ circa illam plurima nascitur dicta fuit.

Vrbes à plantis denominatæ.
Bethel Luza dicta.

Nitica νιτικὴ *vbi Phthirophagi.)* Ptolem.Phthirophagos in Sarmaticæ Asiat.descript. sub Suardenis inter Chænidas & Materos & ab Orientali parte Rha fl.Plinius post fl.Charien (de quo suprà) subiungit gentem Salas, quos antiquitus Phthirophagos dictos fuisse dicit. Salas autem Ptol. collocat iuxta Paryardem montem in descriptione Armeniæ maioris. Strabo vltra Macropogonas dicit esse angustias Phthirophagorum.Item alio in loco ex gentibus, quæ Dioscuriadem conueniunt Phthirophagones esse dicit, quibus proximi sint Soanes &c. Mela post Colchos færas incultásque gẽtes vasto mari assidentes recenset Melanchlænos (à nigris vestibus sic dictos) necnon, terrestria quas dicit tenere,Sexsolitas,Coraxos,Phthirophagos,Eniochos,Achęos,Cerceticos,de quibus suprá.

Phthirophagi.
Sales antiquitus Phthirophagi dicti.
Melanchlæni vnde dicti.

Quos Herod.pediculis.) Strabo sic dictos esse vult à sordibus & fame,quẽadmodum nos quoque vernacula nostra lingua hominem sordidum *lusig* appellamus. Tametsi homines, harum præsertim regionum incolas Ponticos & Scythas atque Samomatas monstrosis cibis vesci solitos fuisse,passim ex historiis constat, cuiusmodi fuerunt Xylophagi qui vermiculis ex lignorum carie natis, Hippophagi qui carnibus equinis, Anthropophagi Budinis istis siue Phthirophagis vicini,qui carne humana vesci fuerunt soliti.De his vide plura apud Cœl.lib.28.cap.2. Quoad verò Herod.cuius hic testimonium citat, ille lib.4.in descriptione Scythiæ gentem istam Budinos appellans suprà Samomatas Aquilonem versus habitare dicit: de quorum terra, victu,cultu,moribus, religione pluribus ibidem disserit.Horum metropolim Gelonum appellat,forsan est illa,quæ hîc Nitica ab Arriano appellatur.

Xylophagi.
Hippophagi.
Antropophagi.
Phthirophagi vbi habitent.
Gelonum phthirophagorum metropolis.

Abascus fluu.) Ab hoc fluuio verisimile est Abascos populos, de quibus suprà,fuisse denominatos.

Abascus fl. vnde Abasci populi.

Borgys.) Videtur esse fluuius Burca,cuius ostia Ptolem. in descriptione Sarmatiæ Asiaticæ statuit inter Ampsalim & OEnarthiam. Ptol.in situ Ariæ ponit βόργος *Borgos* populos.

Borgys fortè est Burca fl.

Vbi Heracleum promontorium.) Suprà quoque facta est mentio Heraclei promontorii,quod etiam Themiscyrium dicitur. Herculis rerum gestarũ multa in hoc Ponto Euxino vestigia atque monumenta fuerunt.

Heracleum promontorium Themyscirium dictũ.

Nesis Νῆσις.*)* Ptol.in Sarmatiæ Asiaticæ descript. Νησιῶτιδα Nesiotidem regionem ponit sub Suadenis ab Orientali parte Rha flu. quo Niger in Geograph. sua Zigrorum & Suanocolchorum atque Moschiorum regionem disterminati dicit.

Nesis & Nesiotis regio.

Vbi Heracleum.) Suprà quoque facta est mentio Heraclei promontorii, quod est secundum Ptol. in Ponto Galatiæ circa Phanagoriam. & paulò pòst aliud ab Arriano commemoratur post Achæunta.Plinius Heraclei meminit & promontorii & fluminis, à quo dicit Hierum oppidum & flumen abesse 336. mill.pass. Herculis autem rerum gestarum plurima in Ponto Euxino passim vestigia ac monumenta fuerunt.

Heracleum promontorium.

Achæus fluu.) Forsan sic dictus ab Achæis Phthiotis, de quibus suprà. Ptol.Achæa vicum nominat, inter Psychrum flu.& Cercetida. qui & ipse ab Achæis incolis fuit appellatus,teste Nigro in sua Geograph.

Achæus fl.

Qui Zicchos & Sanichas separat.) Græci Ζιγχοὺς, & Σάνιγας Arrianus appellat.Ptolemæus Ζιγχοὺς Zinchos & Ἀειγχοὺς appellans illos statuit in descript. Sarmatiæ Asiaticæ inter Mœotim & Hippicos montes. Marcell.lib. 22. Arinchos,Sinchos & Napæos Tauris annumerans gentes immani diritate terribi-

Achæus fl. Zicchos & Sanichas separat.
Zicchi & Saniche quinam sint.

Pontus Euxinus per Antiphrasin sic dictus.

Arrichi vbi habitent.

les esse dicit, à quibus potissimum Pōtus Euxinus per Antiphrasin dictus fuerit, hoc est, axenus inhospitalis. Plin. lib. 6. cap. 7. inter Cimmerium Bosporum & Tanaim collocat Mœoticos, Valos, Serbos, Arechos, Zingos. Hi postremi sunt, quorum hîc Arrianus meminit. Mela Arrichos similiter in ora quæ à Bosporo ad Tanaim vsque deflectitur vnà cum aliis populis collocat.

Massaij populi.

Masaitica Μασαιτική.) Ptol. Μασσαίους Massaios populos inter Scythas enumerat, qui intra montem Imaum habitant.

Heracleum promontorium.

Promontorium Heracleum.) Tria in hoc periplo Heraclea promontoria commemorantur. de quibus suprá.

Cronea promontorium. *Toretæ populi.*

Ad promontorium vbi.) Forsan promontorium hoc ἀνώνυμον apud Arrianum est illud quod Plinius lib. 6. cap. 5. Cronea appellans, cuius fastigium arduum Toretas dicit tenere inter Cercetas populos.

Lazica vetus. *Lazica Affricana.*

Lazica vetus.) De Lazis & illorum regione suprà satis dictum. Vide Iustin. in Nouellis. Dicta est antiqua, forsan ad differentiam Lazicæ Affricanæ, cuius Ptol. meminit.

Achaia antiqua. *Achaia forsan Archæopolis.* *Achæa vicus.*

Achaia antiqua.) De Achæis vnde hæc videtur appellata vide suprá. Iustin. in Nouellis in descriptione Lazicæ inter alia ædificia enumerat Archæopolim & Rhodopolim maxima & antiqua castra appellans. Achaiam itaque probabile est esse eandem, quę Archæopolis à Iust. nominatur, vt forsan vel apud Arrianum pro Achaia Archaia, vel apud Iustin. Achæopolis pro Archæopolis legendum esse videatur. Vel est Achæa vicus, de quo paulò antè ex Ptolem.

Pagræ oppidum.

Portus Pagræ.) Pagræ oppidi Plin. meminit in descriptione Cœlosyriæ lib. 5. c. 3. Videtur esse Bata vicus & portus, qui à Strabone & Ptolem. in hac parte collocatur.

Icarusa forte est Carusa. *Portus sacer vnde dictus.*

Portus sacer.) Plin. lib. 6. cap. 5. In ora autem iuxta Cercetas (qui à Ptolem. Cercetides hodie Cerchasi appellantur) inquit, flumen Icarusa (forsan est Carusa illa Arriani, de qua suprà) cum oppido Hiero & flumine à quo Sindica (de qua paulò pòst) distat sexaginta septem mill. pass. Hunc ergò portum, cuius Arrianus, & oppidum, cuius Plinius meminit, verisimile à flumine fuisse appellatum.

Sindica regio. *Sindica ciuitas.* *Sindiacus portus.* *Sindicæ regionis vrbes.*

Sindica.) Strabo. Bosporum versus, inquit Asiatica regio & Sindica, post quam sunt Achæi, Zygi, Heniochi, Cercetę, Macropogones, vltra quos angustiæ sunt Phthirophagorum. Dionysius, Sindos necnon Cimmerios Samomatis dicit esse vicinos. Plinius, Sindicam ciuitatem ab Hiero (de quo paulò antea) sexaginta septem mill. pass. abesse testatur. Mela Syndos in Syndonum ab ipsis terrarum cultoribus condita est. Ptolem. in Sarmatia Asiatica, post Corocondamam inter Hermonassam & Bata vicum atque portum collocatur σινδὶς portus & σινδὰ vicus. Strabo à Corocondama ad stad. 180. dicit esse Sindiacum portum & ciuitatem, de hinc ad quadraginta stad. ea quæ Bata nominātur vicus & portus. Cui oræ Austrum versus Sinope plurimum videtur opponi, vt Carambis Fronti arietis. Idem inter Mœotios Sindos quoque recenset. Præterea vrbes Sindicæ regionis Hermonassam, Apaturum Veneris fanum, Gorgiptiam, & quæ Sindorum regia, Aboracā mari vicinam. Lib. 11. Marcellinus inter Borysthenem oppidum & Achillæos dromos ponit insulam, quam incolunt, inquit, Sindi ignobiles, post heriles in Asia casus coniugiis potiti dominorum & rebus.

Sceacoriges flu.

A Sindica ad Bosp.) Plin. inter Sindicam & Bosporum Cimmerium interponit fluu. Sceacoriges. interuallum autem inter Sindicam & Bosporum facit LXXXVIII. M. D. pass.

Sequitur nunc vltimus tractus (qui idem vltimus est epistolæ huiusce actus) à Bosporo Cimmerio & eius vrbe principe Panticapæo vsque ad alterum ei oppositum è regione, Bosporum Thracium, eiúsque similiter vrbem principem

pem Byzantium. Inter hos duos Boſporos directo curſu, vt ex Polybio Plin. probat, ſunt 150. mill. paſſ.

Boſporus quid.

B*oſporus.)* Cic. pro Muræna. Anguſtum eſt, inquit, fretum, ad Mœotim paludem, Cimmerius Boſporus dicitur. Hic eſt Mœotidis oſtium, & Thracius ille Ponti. De Boſpori autem notatione ſuprà ſatis dictum eſt.

Boſporus Cimmerius cur ſic dictus.
Cimmerij populi latrocinijs dediti.
Cimmerium oppidum.
Boſpori Cimmerij longitudo & latitudo.
In Boſporo Cimmerio vniones repertas.
Boſpori Cimmerij clariſſima oppida.
Cimmerium oppidum.
Tyrictate oppidum.
Hermiſiũ oppidum.
Boſporus oppidũ.

Cimmerius.) Ad differentiam Thracii, vel à Cimbris gente Scythica, quos Cimmerios Græci appellant, qui (vt ex Polybio affirmat Strabo) latrocinando atque militando incertis errabundi ſedibus, ad Mœotim vſque peruenerunt, & circa hunc Boſporum & domicilium, & imperium tenuerunt, de quorum militia, vita, moribus, vide Strab. lib. 7. Herod. lib. 4. & innumeros alios. A bellicoſiſſima illa gente illuſtris Cimbrorum Comitum Germaniæ familia ſuam traxit. Alii verò dictum eſſe volunt à Cimmerio oppido & promontorio. Boſpori huius latitudo quidem Polybio triginta ſtad. Plinio eſt viginti vnũ mill. paſſ. Straboni viginti ſtad. longitudo verò, vt inquit Plin. per Mœotim ab extrema Iſthmo (qui locus Taphræ vocatur) ad os ipſum Boſpori 260. mill. paſſ. colligitur, Polybio ſexaginta, Straboni autem ſeptuaginta ſtad. Vbique teſte Polybio Boſporus hic eſt vadoſus, in quo Plin. vniones rufos crebrius reperiri teſtatur in paruis conchis, quas imas (mendum videtur eſſe & myas legendũ) appellant. Boſporus hic non minus quàm alter ille (de quo ſuprà) clariſſimis oppidis eſt exornatus: cuiuſmodi ſunt Panticapæum & Theodoſia, quorum Arrianus noſter meminit, de quibus paulò pòſt. Myrmetion oppidum viginti ſtad. à Panticapæo ſecundum Strab. diſtans. Hermonaſſa in aditu Boſpori, dicta Cœpe Mileſiorum. Stratoclia, Phanagoria, & penè deſertum Apatmos, vltimóque in oſtio Cimmerium, quod antea Cerberion vocabatur. Strabo. Cimmerium oppidum & promontorium, à quo nonnulli Boſporum volunt denominatum fuiſſe. His adde Τυριϰτάτην *Tyrictaten* Ptolemæo, quod oppidum, teſte Nigro, hodie vetuſtate euanuit. Hermiſium quoque ibidem oppidum Plin. ponit, & intus inſulam Aloperon. Iuxta hoc quoque fretum fuit oppidum ei cognominis Boſporus nimirum, vt ex Philone quodam teſtatur Stephanus. Hoc oppidum Procop. lib. 1. de bello Perſ. maritimum ſiniſtrorſus Põtum Euxinum nauigãti eſſe dicit. Inde Cherroneſum viginti dierum interuallo, quod Hunni teneant. Oppidi huius incolæ, vt teſtis eſt Cedrenus, quotannis pecuniæ loco boues Rom. penſitabãt, vnde vult Boſporum fuiſſe appellatum. Gordas itaque rex Hunnorum Boſporo vicinus, Romanis ſe adiunxit, factúſque Chriſtianus, fidem dedit ſe Romanis rebus fore addictum, vrbem Boſpori cuſtoditurum, & boum tributum diligenter exacturum. Quam ſanè ob cauſam à Iuſtiniano imperat. magnificis donis affectus, domum fuit dimiſſus. Reuerſus domum & Imperat. Iuſtiniani humanitatem liberalitatémque fratri ſuo expoſuit, & omnia Hunnorum ſimulachra confregit atque comminuit. Hunni itaque ira accenſi illum necarunt, fratrémque Moageram in illius locum ſuffecerunt, ac Boſporum profecti Dalmatiæ tribunum militum ipſóſque milites interemerunt. Sed tandem miſſis terra maríque à Iuſtiniano Scytharum auxiliis Boſporus ab Hunnis liberata priſtinam pacẽ recuperauit. Quæ teſte Procopio à Iuſtiniano, cui ſe permiſerat, egregiè exornata atque munita fuit. Boſporum præterea Cimmerium caliginoſum eſſe plurimi authores teſtantur. Vnde Cimmeriarum tenebrarum prouerbium profectum fuit, tametſi Vadianus in ſuis illis in Melam[redacted]commentariis non de Boſporanis ſed Campanis Cimmeriis tenebras illas intelligendas eſſe pluribus & authoritatibus & rationibus docet. Quoad Boſporanum regnum (de quo ſuprà quædam dicta) Cimmerios olim rerum ibi potitos fuiſſe maximámq; illorum in Boſporo potentiam fuiſſe pluribus, Strabo libro 7. & 11. probat. Eius rei argumento eſt, quòd & ipſe Boſporus, & oppidum quoddam & mons Cimmerii appellatio-

Boſpori oppidi incolæ boues penſitabant Ro. pecuniæ loco.
Hunni Boſporũ occupant.
Boſporus ab Hunnis liberatur.
Boſporus Cimmerius caliginoſus.
Cimmeriæ tenebræ.
Boſporanum regnum.

nem obtinuerunt. Hos Scythæ olim ex illis ſedibus expulerunt, Scythas Græci, qui Panticapæum & alias in Boſporo vrbes habuerunt. Boſporanos regali ſtatu gubernatos fuiſſe, Strabo teſtatur, quos tamen licet eorum plures æquitate & manſuetudine fuiſſent ornati, tyrannos fuiſſe nuncupatos teſtatur. Illi exiguam regionem Mœotidis ori, & Panticapæo adiacentem, Theodoſiam vſque tenuerunt. plurimam verò partem vſque ad Iſthmum, ſinúmque Carpenaitem Tauri (quæ gens eſt Scythica) poſſederunt. Tres autem regulos nominat, Leuconem, Sagamum atque Pariſadam, quorũ poſtremus Pariſades cùm exigentibus ſolito maius tributum barbaris reſiſtere non poſſet, Mithridati Eupatori regnum tradidit, cui (vt ſuprà quoque dictum) Pharnacem filium præfecit. Qui, teſte Strabone, necnon Caſſander ac Polemon (qui ab Aſpungitanis occiſus fuit) poſtremi Boſporanorum duces priſcis regni terminis non contenti Cherſoneſum quoque aſſiduis bellis vaſtatam, necnon loca quæ erãt Tanaim vſque occupauerunt. Donec tandem omnino imperium illud ad Romanos peruenit, cuius pars vna fuit in Aſia, altera & quidem maior in Europa. De his ſparſim Strabo, quæ vno quaſi faſciculo ſum complexus.

Quam regionem contineat.
Boſpori Cimmerij reguli.
Pariſades Mithridati Eupatori regnum tradit.
Boſpori Cimmerij regnum in poteſtatem pop. Rom. venit.

Et Panticapæum Boſpori vrbem.) .i. metropolim teſte Strabone. Huius potiſſimum vrbis præ cæteris (de quibus ſuprà) videtur mentionem facere, cùm, quia Boſporo maximè fuit vicina, tum quia Boſpori huius fuit quaſi lumen, vt alterius Byzantium. Vrbem hanc (quam Ptol. Panticapæan appellat) Marcellinus omnium Mileſiarum ciuitatum veluti matrem dicit eſſe, quam prætexit fluuius Hypanis geminis intumeſcens aquis, & externis. Strabo (cùm, vt paulò antea dictum, Boſporanorum alii in Aſia, alii in Europa fuerint) Panticapæũ quidem Europenſium, & earum rerum, quæ mari aduẹherentur, Phanagoria autem (in qua Veneris Apatmiæ templum fuit) Aſianorum, & earum rerum, quæ ex Mœotide, & vlteriore barbarorum regione importarentur, metropolim atque emporium fuiſſe affirmat. Panticapæum nonnulli, inquit Plinius, Boſporum vocant, & extremum in Europæ ora. Idcirco hodie ab indigenis teſte Nigro Voſpero appellatur.

Panticapæum Boſpori metropolis.
Quam Hypanis fl. præterfluit.
Panticapæũ & Phanagoria duæ regni Boſporani metropoles.

A Panticapæo ad Tanaim.) Oram, quæ à Boſporo ad Tanaim vſque deflectitur, inquit Mela, Mœotici incolunt, Toreatæ, Arrichi, Phicores, & oſtio fluminis proximi Iaxamathæ, de quorum moribus vide plura ibidem.

Tanaim fl.) Nam Tanais quoque vrbis nomen fuit. Tanaim autem fluuium, teſte Euſtathio, nonnulli dictum eſſe volunt quaſi Ταναὸν (quæ vox extenſum, longum, acutum, aſperum ſignificat) ob illius cùm magnitudinem, qua ſe longè latéque extendit, tum celeritatem rapidam. Nam, vt inquit Mela, ex Riphæo monte deiectus adeò præceps ruit, vt cùm vicina flumina, tum Mœotis & Boſporus, tum Ponti aliqua brumali rigore durentur: ſolus æſtus hyemémque iuxta ferens, idem ſemper & ſublimis, incitatúſq; decurrat. Quidam à Tanao Scytharum rege in illo ſubmerſo, teſte Boccatio. Plutarchus in lib. de flum. à Tanai Beroſſi & Lyſippæ Amazonis filio ſic dictum fuiſſe tradit, qui continens, muliebris ſexus oſor, Martis ſolius cultor matrimonium dedecoris & ignominiæ loco ducebat. Quum itaque œſtris Venereis incitatus, quibus diu reluctatus fuerat, ſibi tandem neceſſitate cedendum eſſe intelligeret, propoſiti ſui tenax ſemetipſum in hunc fluuium præcipitauit. Idem primo Amazonium dictum fuiſſe tradit, propter Amazones in eo lauare ſolitas. Eundem à Scythis Silyn appellari lib. 6. cap. 7. Plin. teſtatur. At verò idem libro 6. cap. 16. Iaxartem fluuium à Scythis Silyn appel[illegible]it, quem Alexander, militéſque eius Tanaim putauerint eſſe. Hodie Tanais corrupto vocabulo Ten & Tana appellatur.

Tanais flu.
Vnde ſic dictus tres opiniones.
Tanais fluuij præceps curſus.
Tanais fl. Amazonius & Silyn dictus.
Tanais hodie Ten.

Qui Aſiam ab Europa.) Herod. lib. 4. Alij, inquit, Europæ & Aſiæ terminum volunt eſſe Nilum Ægyptiacum, & Phaſim Colchidicum: alij verò fines vtriuſque regionis volunt eſſe Tanaim, & Mœotidem, fretúmque Cimmeriũ.

Hæc

Hæc ille. Quoad Phasidem, paulò pòst Arrianus illum ab Æschylo δίδυμον τέρμονα, id est, geminum terminum Europæ & Asiæ dicit appellari. A plerisque tamen tres illi, quos postremò Herodotus commemorat harum regionum termini celebrantur. Hinc quoad Tanaim Ouid. *Phasis terminus Europæ & Asiæ.*

Quique duas terras Asiam Cadmique sororem
Separat, & cursus inter vtramque facit.

Hinc Tanais discors videtur ab Horatio appellari. Plinius nouissimum inter Europam & Asiam finem esse dicit. Idem cæteri scriptores omnes affirmant, quorum recitatione supersedeo. Verùm hanc separationem magis distinctè atque disertè Dionysius & Eust. illius interpres exprimunt. Nam versus occasum Europam, & versus ortum Asiam separat: itaque illæ partes quæ occasum versus ab illo distinguntur Europæ, quæ verò ortum spectant Asiæ debent annumerari. *Tanais discors dictus.*

Erumpit ex Mæoti.) Sic Hypanim Herodotus ex Scythia venientem ait fluere ex magna palude, quæ mater Hypanis dicitur. Strabo semel atque iterũ illius originem vt Nili incertam esse ait, ferríque à Septentrionis partibus Nilo contrarium, non tamen per diametrum (vt quidam putant) sed illo orientaliorẽ. Illius autem originem idem testatur nõ potuisse inuestigari, partim propter frigora & regionis difficultates, quas indigenæ facilè perferant, carnibus & lacte more Nomadum vescentes, alienigenæ autem minimè tolerare possint, partim verò quia illarum regionum incolæ multitudine & viribus præstantes aditum accessúmque omnem intercludant. Idcirco quidam, inquit idem, existimant eum fontes in Caucasiis mõtibus habere, quum nullus in Septentrionem feratur, postea conuersum emittere in Mœotim, ita videtur sentire Theophanes Mitilenæus. Hæc Strabo. Marcellinus quoque Tanais, inquit, inter Caucasias oriens rupes per sinuosos labitur circunflexus. Quidam etiam, teste Strabone à superioribus Istri partibus eum deferri putant, indiciũ autem tam longi cursus etiam ab aliis plagis nullum afferunt, quasi de proximo & à Septentrione id effici non possit. Plerique autem scriptorum, vt Plinius, Mela & alij ex Riphæis montibus Tanaim oriri volunt. Hinc Lucanus, *Hypanis fluuius.* *Hypanis fl. fontes inuestigari non potuerunt.* *Hypanem flu. putant fontes in Caucasiis montibus habere.* *Tanais ex Riphæis montibus.*

—qua vertice lapsus
Riphæo Tanais diuersi nomina mundi.
Imposuit ripis Asiæq; & terminus idem,
Europæ mediæ dirimens confinia terræ.
Nunc huc nunc illuc qua flectitur ampliat orbem.

Herodotus autem libro 4. superius è vasta palude Tanaim profluere, & in aliam vastiorem Mœotim nomine diffundi testatur, qua regij Scythæ à Sarmatis discludantur. Solus ergò Herodotus ex antiquis rectè illum ex palude quadam oriri tradidit. Idem Æneas Syluius in sua Geographia se dicit cognouisse ex Veronensi quodam, qui per Poloniam & Lituaniam ad fontes Tanais peruenerat. Is enim Tanaim ex palude non admodum magna (quum tamen Herodotus eam vastam appellet) oriri, & duobus ostiis Mœotim ingredi sexaginta stad. à se distantibus, affirmauit, teste Ænea Syluio. Huic suffragatur Albertus Campensis testis αὐτόπτης in sua epist. Italica ad Clementem VII. Pontificẽ de Moscouia, qui illũ in Ducatu Rezan (quæ vrbs est princeps Moscouiæ) suum fontem dicit habere, distantem ab ipsa vrbe septem diebus, & supra principiũ Borysthenis versus Orientem circiter septingenta milliaria Italica progredi, deinde illius partem vnam Meridiem versus delabi, tandémque cursu suo alioquantum ad Occidentem conuerso, per fertilissimos Tartariæ campos ferri, & tribus ostiis in Mœotim, quam aquis suis efficere videtur, exonerari. Ibidem hunc simul & Volgam atque Borysthenem ex planis, paludosis atque syluosis locis oriri dicit, vnde fabulosa dicit esse quæcunque olim à Geographis de Riphæis montibus, & Tanais ex illis ortu prodita fuerint. Surius in sua historia *Tanais à palude oritur secundum Herodot.* *Rezan ducatus.* *Tanais Volga & Borysthenes ex paludosis locis oriuntur.*

Tanais Rußiæ fluuius. *Tulla vrbs Moscouiæ.* Tanaim Russiæ fluuium appellans, illum dicit oriri octo ferè milliaribus Germanicis à Tulla, quæ vrbs à Moscouiæ oppido triginta sex milliaribus Germanicis distat, ex lacu ingēti, qui in longum & latum circiter 1500. *VVerst* (quod Italicum ferè milliare est) patet, in sylua quadam ortum habere dicit: atque ex eodem lacu aliud grande flumen Schalt emergere, quod in Occidentem tendit. Sicut Tanais primò rectà pergit in Orientem ad aliquot milliaria: deinde reflexo in Meridiem cursu, paludem Mœotidis efficit. Hæc ille ex Baronis ab Herberstein Moscouitica historia. Miror itaque quomodo Arrianus contra omnium opiniones illum ex Mœoti ὁρμᾶσθαι dicat, quum Herodotus & recentiores (nam veterum opiniones ferè omnes à vero alienas omitto) ex palude siue lacu alio à Mœotide oriri, at in Mœotim sese exonerare testentur.

Tanaïs in Mœotidem paludem sese exonerat. *Irrumpit in Pontum Euxinum.*) Tanaim Herodotus & alij plerique in Mœotidem sese exonerare affirmant. Hinc Marcellinus illū in stagnis Mœoticis ait delitescere. Ac duo illius esse ostia plerique tradunt. Sic enim Strabo, vt fontes illius dicit esse incertos propter causas suprà dictas, ita eiusdem ostia *Tanais fl. ostia.* nota esse dicit, quæ duo sint ad Septentrionales Mœotidis partes sexaginta inter se stadiis distantia. Idem Veronensis ille, cuius paulò antè facta est mentio, affirmauit. Ptolomæus quoque in descriptione Sarmatiæ Europeæ ostij gemini meminit, quorum vnum orientale, alterum occidentale appellat. Plinius Tanaim amnem gemino ore dicit influere, hanc ob causam nonnulli discordem volunt ab Horatio fuisse appellatum. Albertus tamen Campensis, de quo paulò antea tribus, Niger quinque ferè ostiis in Mœotidem dicit influere, ex quibus duo quidem orientalius nimirum & occidentalius nouem mill. pass. à se inuicem fermè distantia largè aquam euomere Niger testatur. Ergo licet alij tria, alij quinque ostia statuant, tamen duo illa, quorum Strabo, Ptolomæus, Plinius & alij meminerunt, præcipua videntur esse, maximéque insignia. Licet autem plerique quos viderim, affirment Tanaim in Mœotidē exonerari, tamen sunt qui vno ostio in Mœotidem, altero in ipsum Mœotidos ostium, *Alij Tanaim in Pontum sese exonerare affirmāt.* hoc est Bosporum Cimmerium influere testantur. Arrianus noster in Pontū dicit sese exonerare. Ouidius in numero fluuiorum in Pontum influentium reponit. Boccatius prope Theodosiam illum in Pontum dicit irrumpere. Quid si locus sit corruptus, & ex Herodoto, cuius ille paulò antea testimonium citauit, quémque hîc videtur sequi, locus hic totus ita sit corrigendus. Herodoti verba hæc sunt, ὃς ῥέει τἀνέκαθεν ἐκ λίμνης μεγάλης ὁρμεώμενος ἐκδιδοῖ δὲ ἐς μέζω ἔτι λίμνην καλεομένην Μαιῆτιν.

Sic alio in loco,

ὃς ἐκδιδοῖ ἐκ μυχὸν τῆς λίμνης ταύτην. Arriani ergo lectio sic corrigatur, καὶ ὁρμᾶται μὲν (sic Herodotus quoque verbo ὁρμεώμενος vtitur) ἀπὸ λίμνης μεγάλης (pro μεγάλης hîc Μαιώτιδος irrepsit) ἐκδιδοῖ δὲ ἐς λίμνην Μαιώτιδα, ἥτις ἐσβάλλει εἰς θάλασσαν τὴν τοῦ Εὐξείνου Πόντου, id est prorumpit ex palude magna, séque exonerat in Mœotim, quæ in mare Ponti Euxini influit. Atque hæc de fluuii huius nominibus, ortu, progressu, atque ostiis Baro in Herberstein &c. in suis commen- *Tanais fl. Don dictus cur.* tariis Moscouiticis, necnon Albertus Campensis hunc testantur Don, id est, sanctum appellari, cùm ob optimorum piscium, tum herbarum, radicum suauissimarum, arborum fructiferarum, quibus vtraque fluminis ripa in horti modum exculta est atque consita: denique ferarum, quæ paruo negotio sagittis conficiuntur, innumerabilem admirabilémque copiam, Don, id est, sanctum, ab indigenis appellari testantur. Plutarchus in lib. De fluminibus, in hoc fluuio testatur plantam quandam mirabilem generari, quam ἀλίνδα appellant, &c.

Tanais vrbs. Ad Tanaim flumen & lacum (teste Strabone) vrbs sita est eodem nomine, à Græcis condita, qui Bosporum habent, quā Polonus rex nuper minus sibi ob- *Commune emporium Nomadum Asiæ et Europæ* temperantem depopulatus est. Ea commune emporium erat Nomadum Asiæ atque Europæ, & eorum, qui è Bosporo lacum nauigant, quorum alii vehunt mancipia,

mancipia, pelles, & si quid aliud Nomadicum est: alii onerant vestem, vinum, ac cætera, quæ mitioris vitæ sunt propria ad stad. centum. Ante emporium insula iacet nomine Alopœcia Megadorum hominum domicilium. Sunt autem non procul in lacu patuæ insulæ. Hæc Strabo. Oppidum illud adhuc hodie (vt testes sunt duo illi suprà commemorati, Moscouiæ peregrinatores) frequentissimum est emporium, quod hodie ab incolis Azas, siue Asoph appellatur, Turcis tributaria, quæ quinque (vt vocant) diætis ab Isthmo Tauricæ, quam aliàs Præcop vocant, distat. A Ponto, vbi Tanaim primùm nauigabilem esse dicunt, vix viginti diebus nauigando Asoph peruenitur. Supra Asoph quatuor dierum itinere Achas oppidum est. Ad Tanais fontes proxima est Tulla. Tanais accolæ versus Bosporum Cimmerium sunt Zychi lingua vulgari Græca & Latina appellati (quorum Arrianus quoque meminit) à Turcis & Tartaris Ciaceassi, lingua vernacula Adiga: de quorum regione, moribus, religione, vide Georgium Interianum Italicé. Sed de Tanais atque Mœotidis accolis vide plura apud Plinium libro 6. capite 7. inter alios Turcas quoque enumerat.

Alopœcia insula.

Azas vel Asoph emporium.

Achas oppidũ.

Zychi Tanais incolæ.

Tametsi Æschylus.) Poetarum aliquoties mentionem fecit, propterea quòd Adrianum, ad quem scripsit, poetices studiosissimum fuisse historici tradunt.

Mœotidis ambitus.) Hanc suprà dictum est Ponti matrem fuisse appellatam, sicuti Palax quædam palus Hypanis, quia ex illa oritur, mater (teste Herodoto) dicta fuit. Hæc (teste eodem) vnus est secundum nonnullos, ex terminis Asiæ & Europæ, regios quoque Scythas à Sarmatis disterminans, quæ à Græcis Μαιώτις Mæotis, plerunque ab Herodoto Μαιῆτις Mæetis, à Latinis Mæotis, siue Mœotis per œ. Mœotica palus, à Plinio sæpe lacus, à Marcellino stagnum, olim Temeriada, id est, Ponti mater, hodie mare Zabach à Circassis accolis appellatur. In hanc (teste Herodoto) quatuor ingentes amnes, Lycus, Hoarus, Syrgos, Tanais sese insinuant. Lacus hic, teste Plinio libro 4. cap. 13. XIII. VI. mill. pass. circuitu patere traditur, ab aliis XI XXV. mill. Ab ostio eius ad Tanais ostium directo cursu 375. mill. pass. esse constat. In hanc quum (teste Polybio) plurimi amnes influant, fieri dicit, vt repleta per ostium suum, hoc est, Bosporum Cimmerium, in Pontum effundatur. Eandem ob causam & aquam illius quum prius sapore marinæ fuisset persimilis, dulcissimam factam, & euenturum tandem esse docet, vt quum illius alueo lignis, lapidibus, arenis, aliisque rebus, quas flumina assiduè inferunt repleatur, tandem ipsa terræ prorsus æquetur, & in siccum conuertatur: quippe quum iam altissima eius pars quinq; vel ad summum septem sit vlnarum, ita vt maioribus nauigiis transfretari non possit. Sic Aristoteles quoque tradit Mœotidis vadum exaggeratione eorum, quæ deferuntur assiduè à fluminibus, ita excreuisse, vt naues sua ætate multò minores, quàm anno ante sexagesimo quæstus gratia in Mœotidem ingrederentur. Verùm (Gyllio teste) nautæ nostræ ætatis similiter adhuc septem vlnas habere affirmant. Non sine causa itaque idem miratur intra sexagesimũ annũ (vt vult Aristoteles) maiorem exaggerationem factam esse, quàm ab Aristot. & Polybii ætate ad hæc vsque tempora. Paludis huius accolæ Mœotæ appellati (teste Herodoto libro vndecimo) sunt Sindi, Dandarii, Toreatæ, Agri, Arichi, Tarpetes, Ouidiaceni, Sittaceni, Desci, Apugitani & alii complures. De iisdem (qui & Scythæ & Sarmatæ siue Samomatæ appellantur) vide Plin. lib. 6. c. 7. necnon Hippocr. lib. De aqua, aere, &c.

Mœotis vnus ex terminis Asiæ & Europæ.

Mœotidis paludis nomina.

In paludẽ Mœotim quatuor amnes se exonerant.

Mœotidis paludis longitudo.

Mœotis palus in Pontũ sese effundit.

Futurum est vt Mœotis terræ æquetur, & in siccum conuertatur

Mœotidis paludis accolæ Mœotæ dicti.

Mœotidis ambitus nouem mill.) Polybio & Strabone testibus, octo mill. stad. Plinio XIII. VI. mill. alii XI. XXV. mill. pass. circuitu patere tradunt. Ab ostio eius ad Tanais ostium directo cursu 375. mill. pass. inquit, idem esse constat. Hinc Marcellinus Mœotis amplissimi circungressus est, ex cuius vberrimis venis per Patares angustias vndarum magnitudine prorumpit in mare.

Mœotidis paludis longitudo.

Patares angustiæ.

Quoad angustias illas Strabo libro 11. Patraeum vicum esse dicit, à quo ad vicum Corocondamem sint stad. c xxx. qui finis Bosporus Cimmerius appellatur. Sic enim angustiæ vocantur ab ostio Mœotidis, id est, ab Achilleis & Myrmecij angustiis, vsque ad Corocondamem, & oppositum ei vicum Panticapensis agri, nomine Acram, qui 70. stad. freto disiungitur.

A Cazeca ad Theodosiam.) Nullum hoc nomine vicum in hoc tractu reperire potui. Strabo libro 7. plurimos ait inter Panticapæum & Theodosiam vicos esse interiectos. Meminit idem iuxta Bosporum Cimmerium & vici Achillei, in quo Achillis templum est, vbi angustissimum ostij Mœotidis fretum ad stad. viginti, vel paulò plura ait patere, & Myrmecij vici, qui est è regione: & vici Patræi & Corocondames, qui duo à se inuicem distant centum triginta stad. item vici Acræ, quem oppositum Corocondami ait situm esse in agro Panticapensi. Hinc verisimile est esse vicum hunc, cuius hîc mentionem facit, quémque Caxeam appellat. Plinius inter Anticapæum & Theodosiam ponit Cyte, Zephyrium, Acre (vt & Strabo) Nymphæum, Dia. Inter Panticapæũ & Theodosiam ab Arriano 700. à Strabone 530. stad. à Plinio mill. x x x v. pass. interuallum statuitur. Ora (vt Strabo testatur lib. 7.) Σιτοφόρος frumenti ferax, vicos habens multos, & vrbem portus optimi, quam olim Nymphæum, hodie Cypricum appellant. Vrbs Theodosia (eodem teste) terminus olim Bosporanorum atque Taurorum fuit, ita vt Bosporanorum tyranni, regionem Mœotidis ori & Panticapæo adiacentem tenerent Theodosiam vsque. partem sanè exiguam, Tauri autem plurimam partem vsque ad Isthmum, sinúmque Carpenitem. Mela illam Bosporo Cimmerio, Ptolomæus & Marcellinus Tauricæ Chersoneso adiungunt, de qua propter ea quę sequuntur, sic nobis necessariò generatim quædam sunt explicanda.

Achilleus vicus. Myrmecius vicus. Inter Panticapæũ & Theodosiam distãtia. Regio illa ferax. Theodosia terminus Bosporanorũ & Taurorum.

Cherronesus.) Χεῤῥόνησος, quasi χερσόνησος, ἀπὸ τῆς χέρσου, καὶ νήσου, terra est in insulæ modum mari cincta, vno tantùm eóque angusto spatio continenti adiuncta, quod Isthmus dicitur. Nam Isthmus, vt Apollonij interpres & Phauorinus docent, terra est angustissima inter duo maria, quemadmodũ Porthmos, contrarius Isthmo, inter duos continentes angustissimum pelagus, seu fretum. Latini peninsulam vocant. Quinque autem insigniores celebrantur Cherronesi, quarum celeberrima Achaiæ adhærens, Peloponnesus appellatur. Secunda, quæ à vicina continente Thracia dicitur, cuius Isthmus ab occasu Melano sinu, ab ortu Propontide abluitur. Tertia quæ Saxoniæ adhærens, à Cimbris, qui eam tenuerunt, Cimbrica appellata est, hodie Dania dicta. Quarta, quam auream cognominant in India sita, supra Gangem ortum versus, iuxta sinum quem magnum appellat Ptolomæus. Quinta est inter Pontum Euxinum & paludem Mœotidem sita, à Tauris Scythiæ Europeæ populis, Taurica appellata. Ptolomæus hanc dicit circumambiri, Isthmo pertinente à Carcinito sinu vsq; ad Bicem paludem, & litoribus, & Cimmerij Bospori, & paludis Mœotidis. Hæc (teste Plinio) quondam mari circũfusa Isthmo ad tria mill. pass. terræ Sarmatiæ modò annexa, hederæ folio similis. Strabo Peloponneso forma & magnitudine perquam similem dicit esse. Illius pars in mare vergẽs, Theodosiam vsque, quæ quidem est cãpestris, tota frugifera est, montana non item: Mithridati modiorum centum octoginta millia tributi nomine soluebãt, ducenta verò argenti talenta, cum Asianis locis quæ circum Sindicem iacent. His ex locis Græci frumentarios commeatus percipiebant, sicut è palude salsamentaria. Huius regionis incolæ Georgi, id est, agricolæ appellati sunt. Vnde ipsa quoque Cherronesus Georgia quoque fuit appellata. Qui verò supra hoc sunt albi Nomades appellantur, qui cùm aliis generis carnibus, tum equinis aluntur, & equarum caseo & lacte, & acetoso lacte, qui idcirco Galactophagi appellantur, bellandi magis, quàm latrocinandi studio ducuntur. Qui verò maritimi sunt, & lucro dediti, vix sibi ab iniuriis temperant. Illius Isthmus eodem

Cherronesus vnde dicta. Isthmus quid. Porthmus quid. Peninsula. Cherronesi quinque. Cherronesus Cimbrica hodie Dania. Cherronesus Georgia. Nomades albi. Galactophagi.

Stra-

Strabone teste 360 stad.esse dicitur, quem Asander, teste Hyphicrate, ductis mœnibus vallauit ad Mœotidem, ad singula stadia turres decem ædificans. Hanc quoque regionem Tauricam Iustinianus (teste Procop.Soc.4.de illius ædif.) omnis generis ædificiis munire atq; exornare curauit. Iuniores teste Nigro, illius partem alteram, quæ ad Austrum vergit, Gothiam (quæ & Polucia) quæ verò ad Septentrionem Gazariam vocant, & vtriusque incolas Gothos atque Gazarios, qui olim omnes Tauri dicti sunt (vnde ipsa peninsula Taurica dicta) qui teste Strabone fuerunt Scythæ. Nam, vt idem inquit, hæc tota ora, & reliqua extra Isthmum, vsque ad Borysthenem parua Scythia vocabatur. Vnde Tauroscythæ, siue Scythotauri appellati. Tauri autẽ dicti, vt regio Taurica, vel vt nonnulli volunt à Tauricis montibus, vel vt doctiores malunt, à tauro animali, quem aratro iũgi, ac terras sulcare Osiris ibi primum instituerit. teste Eustath. aliter Hermol.cap.13.lib.4. Plinius 30 Taurorum populos enumerat, inter hos Tartaros, vnde omnes hodie Tauri Tartari appellantur. De Taurorum verò moribus, sacrificiis immanissimis, quorum author Thoas rex, vnde Diana Orsilocha & Thoanea dicta, cui illa offerebantur, vide Herod. Lucanum, Eusebium, Solinum, Lactantium & innumeros alios. Taurica Chersoneso tandem Mahometus potitus est anno 1228.

Tauricam regionem Iustinianus ædificiis exornauit & muniuit. *Gothia.* *Gazaria.* *Parua Scythia.* *Tauri vnde dicti.* *Taurorum mores & sacrificia.*

Vrbem Græcam desertam.) Vrbs Theodosia teste Arriano nostro olim celeberrima fuit, Milesiorum colonia, à Criametopo 122.mill.pass.à Chersoneso 165.mill.pass.dissita, campos habens, teste Strabone. vbertate præstantes, vnde non mirum Leuconem regem (vt idem testatur) decem & viginti modiorum myriadas è Theodosia Atheniensibus transmisisse. portum quoque habet vel centenis nauibus accommodatum. Hòdie Capha appellatur ab incolis Genuensium colonia, triplici muro cincta, arcem habens in tumulo, regni Bosporani metropolis, qua Solymannus Bassa capta, vniuersum illud regnum Bosporanum, atque Tauricam Chersonesum in suam potestatem redegit.

Theodosia vrbs celeberrima olim.

Inde ad portum Tamoscytharum.) Hic portus apud Arrianum est ἀνώνυμος. Plinius multos post Theodosiam portus & lacus esse dicit. Videtur esse κτενȣ̃ς Ctenus portus. quem Ptolem. in Taurica Chersoneso in Theodosiã & Symbolorum portum, de quo paulò pòst, vel proximè inter Chersonesum & Arietis frontem collocat. Strabo illum à Cherronesitarum oppido & Pactorũ portu æquali dicit distare interuallo.

Portus Tamoscytharum. *Ctenus portus.*

Inde ad Halmitida.) Plin.lib.4.cap.12. Halmirin lacum 63.mill.pass.ambitu super Istropolim ponit, quem ex alueo quodam proximè Peucem insulã dicit oriri. Inde inquit Ctenis portus, vbi litus mari cedit, sinúsque magnus fit, supra quem salsus incumbit lacus salinas habens, qui sinus adhuc Saline dicitur, in quo flumen pisculentum editur: oritur interius intra saxa, dicitúrque à iunioribus aqua Ioannis, fortè & hic Ctenunta ciuitas fuit, vbi nunc Felis loci nomen. In hoc tractu & portus & lacus multos esse suprà ex Plin. dictum fuit. Videtur ergò Halmitis fuisse salsus iste lacus: quem Niger describit.

Halmitis lacus. *Saline lacus.*

A Lampade.) Ad hanc Lampadem inueniendam nullius authoris lampas mihi prælucere voluit: quid si Lampas irrepserit pro Halmitide: vel fuerit phatos quædam prælucens nauigantibus.

Lampas.

Symbolorum portum.) De hoc sic Strabo. Post Cherronesum excisam (de qua paulò pòst) portus est στενόστομος. i. angusti oris, qui Tauroscytharum prædonum olim receptaculum fuit, vnde in prænauigantes, vel eò diuertentes impetum fecerunt, inde συμβόλων Latinè pactorum portus dicitur. hodie vulgò Cybolorum portus. Is teste Strabone ad alterum portum Ctenunta appellatum efficit Isthmum sexaginta stad. qui paruam Chersonesum magnæ Chersonesi portionem occludit. habens eodem nomine Cherronesum ciuitatem, de qua paulò pòst. Inter hunc portum & Theodosiam idem author testatur Tauricam ripam per stad.1000. longitudinem asperam, montanam, &

Symbolorũ portus. *Stenostomus portus.* *Portus συμβόλων.* *Cherronesus ciuitas.*

Aquilonibus procellosam extendi. Plinius inter Symbolon portum & Theodosiam ponit promontorium Κριῦ μέτωπον. i. Arietis frons appellatum aduersum Carambico Asiæ promontorio per medium Euxinum procurrens 170. mill. pass. interuallo, quæ maximè ratio Scythici arcus formam efficit. Idem Strabo, qui hoc promontorium ante Theodosiam in Pontum dicit procumbere in Meridiem versus Paphlagoniam, vrbémque Amastrim, cui opponatur Carambis Paphlagonum promontorium, quo Pontus Euxinus geminum in pelagus diuidatur. Id vtrumque augescat Euripus, &c. De hoc sic Plutarch. lib. de flu. Tanai adiacet mons, quem indigenę vernacula sua lingua βρίξαβα, hoc est Arietis frontem appellant, hāc ob causam. Cùm Phryxus sorore sua in Pōtum Euxinum proiecta in hunc sese collem recepisset, somnúmque ibi cepisset, Barbari quidam armati ad illum conscenderunt: quibus conspectis aries ille aurei velleris Phryxum è somno excitatum in Colchos detulit. Inde Arietis frons dicitur. In illo nascitur herba quædam rutæ similis, quam Phryxam appellant, quod idem significat, quod μισοπόνηρος. i. malorum osor. Hanc si priuigni teneant, nulla à nouercis iniuria affici possunt. maximè nascitur iuxta antrum Boreæ vti appellatur. Lecta niue est frigidior, at verò simul atque insidiæ alicui à nouerca tenduntur, flammas euomit. vt testis est Agathon Samius lib. 2. Scythicorum. Hæc ille. Huius Ptolem. meminit inter Ctenunta portum (de quo paulò antea) & Characem. Hodie teste Nigro Famur vulgò à nautis appellatur. Miror equidem nullam illius ab Arriano factam esse mentionē, cùm Ponti Euxini promontorium sit clarissimum.

Κριῦ μέτωπον. — *Βρίξαβα mons cur sic dictus.* — *Phryxa herba mirabilis.* — *Βρίξαβα mons hodie Famur dicitur.*

Ad Cherronesum Tauricæ.) hoc est Cherronesum vrbem sitam in Cherroneso Taurica minore, vt testatur Strabo. Inter portum Symbolon & Cherronesum, Strabo, Ptolem. Plinius collocant promontorium Parthenium. i. virgineum appellatum, cuius deę ædem pariter atque statuam habet. Illud Occasum spectans hodie Rosaphar à barbaris appellari, testis est Niger. Post hoc promontorium Plin. inter Cherronesum & Symbolum portum ponit Placiā, quam Strabo παλακὸν. i. Palacum appellat, iuxta quam vrbem eodem authore lib. 1. Mithridates Eupater in Cherronesum misso exercitu, Scythísque illato bello Scylurum senem, eiúsque filios (quos Possidonius quinquaginta, Apollonides octoginta fuisse affirmant) cepit.

Cherronesus Taurica. — *Promontorium Parthenium.* — *Portus Placias.*

Cherronesus.) Quatuor Cherronesos vrbes Stephanus commemorat, inter quas hæc fuit vna, Heracliensium Ponticorum colonia, teste Strabone. Marcellinus eam Cheronessum appellans Mœotidos lateri læuo propinquā, coloniarum Græcarum plenam esse testatur. Hæc cùm diu libertate ac propriis legibus vsa fuisset, tandem barbarorum assiduis irruptionibus atque depopulationibus coacta Mithridatis opem auxiliúmque implorauit, qua occasione Mithridates Bosporano regno potitus fuit. Hanc Plin. libertate à Romanis donatam Megaricem olim appellatam præcipui nitoris in toto eo tractu fuisse testatur, custoditis Græciæ moribus quinque mill. pass. ambiente muro. Hanc Strabo à Tyra fluuio abesse 4400. stad. & in illa virginis cuiusdam deę sacellum esse, cuius etiam nomen habet promontorium ante vrbem iacens stad. 100. de quo paulò antè. Hinc Mela à Diana, inquit creditur condita, Nymphæo specu, quod in arce eius Nymphis sacratum est, maximè illustris. Inter vrbem porrò & Parthenium Strabo vult iacere tres portus, postea antiquam Cherronesum, ac deinceps portum angustiorem siue symbolorum. Hanc Niger interiisse, & locum illum vbi fuit hodie Trinicha vulgò nuncupari tradit.

Cherronesi nonnullis vrbes quatuor. — *Cherronesus sita ad Mœotida paludem depopulationibus Barbarorum cogitur se Mithridati dedere.* — *Nymphæum specus.*

A Cherroneso ad Cercinetidem.) Strab. καρπηνειτην. i. Carpeneitem sinum appellat, quem dicit admodum magnum ad Aquilonem tendere circiter mill. stad. cuius incolæ Taphii appellentur. Hinc Plin. in ora Carcinite oppida, Taphræ in ipsis angustiis peninsulæ, mox Heraclea Cherronesos, &c. Oppidi huius

Carpeneitis fluuius.

ius Florus quoque meminit qui illud Traiani auspiciis aliquando captum fuisse significat. Mela Carcinitem sinum appellat, inter quem & Mœotim Taphiæ dicit interiacere. In sinu præterea illo dicit esse vrbem Carcinem, quam duo flumina Gerros & Hypacyris vno ostio effluentia attingant, verùm diuersis fontibus, & aliūde delapsi. Ptolem. Carciniti & sinus & fluuii meminit. Herod. Ab Istro veterem vt appellatur Scythiam ad Meridiem, versus Austrū ad vrbem vsque Carcinitidem dicit extendi. Marcellinus, Interiectu deinde non mediocri Carcinites panditur sinus, eiusdémque nominis fluuius, & religiosus per eas terras Triuiæ lucus.

Cercinetis à Traiano capta. *Carcinites sinus.* *Carcine vrbs.*

A Cercinetide ad Pontum Calum. i. pulchrum.) Super eos. i. Tauricos, inquit Mela, sinus portuosus, & ideo καλὸς λιμὼ appellatus, promontoriis duobus nimirum Carambico & Parthenio includitur. Huius Ptol. quoque meminit in descript. Sarmatiæ inter Cephalonesum & Tamyracam.

Καλὸς λιμὼ. i. pulcher portus.

Ad Tamyraca.) Strab. Promontorium stationem habens, quæ continentem spectat. Ptol. quoque Bono portui statim subiungit.

Tamyraca promontorium.

Intra Tamyraca.) hoc est in interiore sinu Tamyraco.

Palus magna.) forsan est palus putris appellata, quam Strabo à sinu Carcinete dicit effici, quam Mœotidis palum esse dicit. Vel forsan est βύκη Bycepalus, quæ à Ptol. & aliis hîc collocatur. Vel forsan est Borysthenes lacus. Nam Plin. teste à Tyra 120. mill. pass. flumen Borysthenes, lacúsque ingens eodem nomine & oppidum à mari recedens.

Palus putris dicta. *Βύκη palus.* *Borysthenes lacus.*

Ad Eonas ἠόνας.) Forsan est nomen appellatiuum ad littora.

Ad Borysthenem fluuium.) Nam & lacus est & oppidum eodem nomine. Borysthenes fluuius est celeberrimus, cuius fontes Herodotus atque Mela incognitos esse dicunt, Plinius illum apud Neuros testatur oriri. Mela quadraginta dierum iter alueo stringere, tantóque spatio nauigabilem secūdum Borysthenida & Olbida Græca oppida egredi testatur. Marcellinus è montibus Orientem Neurorum, primigeniis fontibus copiosum, concursúque multorum amnium adolescentum, mari præruptis vndarum verticibus intimari tradit. Herod. lib. 4. Quadraginta, inquit, dierum nauigatione vsque ad locum nomine Gerrhum cognoscitur ad Aquilonem fluere. Superiora per quæ fluit nemo hominum eloqui potest. Apparet tamen fluere per solitudinem ad Scytharum agricolantium plagam. Nam hi Scythæ decem dierum nauigatione accolunt hoc flumen. Idem cùm ad mare adueniat, Hypanis cum comiscetur eodem in loco mare irrumpens. Sed de illius ortu, progressu, exitu sic Albertus Campensis in epist. ad Clemēt. Pont. VII. scripsit. Vniuersa, inquit, regio Moscouiæ plana est, atque plena syluarū, plurimis, maximis, ac piscosissimis fluuiis affluētissima, inter quos nobilissimi celeberrimíq; sunt Borysthenes, Tanais, Vulga olim Rha dictus. Ac Borysthenes quidem, quem sua lingua Dniepes appellant, oritur suprà Ducatum Smolencum sub nobili quodam castello Viesma dicto, quod Bæselius qui hoc tempore Moscouiæ ducatum obtinet recèns Sigismundo Poloniæ regi eripuit. Ab illo castello decurrit, præterfluens primò ciuitatem Smolencum, deinde Chioniam principem Russiæ ciuitatem: postea à suis fontibus 300. milliariorum Germanic. cursu confecto, non procul à Taurica peninsula (hoc est Tartaria Procopense, vel potius peninsula Caphæ) iuxta quam angustissimus decurrit, non plus decem mill. German. interuallo in Pontum Euxinum delabitur. Hæc ille. At verò Baro à Herbestain ipse quoque oculatus testis de eodem in sua descriptione Moscouiæ sic prodidit. Vltra Rsouuam Demetrii, per certa miliaria progrediēdo in Occidentē, est sylua Vuolkouzki dicta, ex qua quatuor fluuii oriuntur. Ac paulò pòst. In eadem sylua decem ferè à palude Frono vno milliaribus est Dnyepersko pagus, circa quem oritur Borysthenes, qui ab incolis Dnieper vocatur, quem nunc Borysthenem dicimus. Haud procul ab eo loco est monasterium sanctæ Trinitatis, vbi oritur a-

Borysthenes flu. Apud Neuros oritur. *Gerrhum.* *Borysthenis ortus, progressus, & exitus.* *Oritur supra Ducatum Smolincū.* *Ciuitates per quæ Borysthenes decurrit.* *Borysthenis ortus secundū Baronem ab Herbestain.* *Dnieper.*

Niepretz. lius fluuius priore maior, Niepretz per diminutionem dictus. Ambo autem hi fluuii inter fontes Borysthenis & paludem Fronouuo confluunt, quo loco Moscouitarum & Chloppiensium merces nauibus impositæ, in Lithuaniam deferuntur: soléntque mercatores ibi in monasterium ceu diuersorium diuerti. Porrò quod Rha & Borysthenes non ex iisdem fontibus, iuxta quorundam opinionem, oriantur, quum ex aliis, tum ex complurium mercatorum certa relatione, qui in illis partibus rem fecerunt, compertum habeo. *Rha & Borysthenes nõ ex iisdem fontibus.* Borysthenis autem cursus hic est, vt primũ Vviesmã Meridiẽ versus alluat: mox reflexo in Orientẽ cursu, oppida Drogobusch, Smolenczko, Orscham, & Mogilef præterlabatur: indéque rursus in Meridiem tendens, Chiouuiam, Circassos & Otzakouu contingit, vbi deinceps in Pontum exoneratur, videtur eo loco mare formam lacus habere, & Otzakouu quasi in angulo est ad ostia Borysthenis. *Ciuitates per quas iterfacit.* Nos enim ex Orschain Smolenczko venimus, vbi impedimenta nostra nauibus vsque Vviesmam deduximus: & tantum inundabat, vt Monachus Comitem à Nugaroli, & me scapha piscatoria per syluas longè deuexerit: equi verò natando pluries superarunt itinera, &c. Atque hæc de huius fluuii ortu, progressu atque ostio. Multis autem præterea de causis summa hic fluuius admiratione prædicationéque dignissimus est. Nam si magnitudinem eius spectes, secundum Istrum omnium non modo Scythicorum, sed cæterorum quoque fluuiorum (excepto Nilo) maximum & vberrimum est ex Herodoti sententia. *Borysthenes omnium fluuiorũ maximus.* Nam vt suprà ex Marcellino dictum, & primigeniis fontibus copiosius & concursu multorum amnium adolescit. Fluuius hic teste Herodoto, Mela, inter turbidos fluit liquidissimus, placidior aliis, ad potandum suauissimus. Æstatis tempore, teste Plinio, cœruleus fertur, quanquam omnium aquarum tenuissimus, ideóque innatans Hypani: at verò Austris flantibus, quod & ipsum valde est admirabile, Hypanis fit superior. *Borysthenes æstatis tempore cæruleus.* Sed tenuitatis argumentum est aliud etiam, quod nullum halitum, non modo nebulam emittit. *Borysthenes nebulã nõ emittit.* Accuriosiores harum rerum inuestigatores, aquas dicunt post brumam grauiores fieri. Hæc Plin. lib. 31. cap. 5. Hic præterea fluuius, teste Herodoto, pascua præbet, latissima, amœnissima, & accommodatissima pecoribus, iuxta quem sementis optima fit, & herba non satiua, etiã altissima. *Borysthenes pascua præbet.* In illius ostio ingens vis salis sua sponte concrescit. *In Borysthenis ostio sal.* Prębet idem ingentia cete, ad salsuram spinis & ossibus carentia, quæ Antacæos appellant, quorum optimus sapor. Plin. lib. 9. cap. 15. Marionas in Borysthene præcipua magnitudine, nullis ossibus spinísve interfertis, carne prædulci esse dicit. *Antacæi in eo nascuntur. Et Mariones.* Hypanim fluuium (qui teste Plinio Borysthene modo inferior, modo superior est, ex magna quadam Scythiæ palude profluit, circum quam pascuntur equi syluestres candidi) Herodotus lib. 4. sic describit: Hypanis fluit ferè quinque dierum nauigatione, angustus, & adhuc dulcis, sed mox quatuor à mari dierum nauigatione sanè quàm amarus, propter amarum, qui in eum fluit, fontem: adeò inquam amarum, vt cùm sit exiguus magnitudine, tamen inficiat Hypanim flumen, in paucis magnum. *Hypanis fluuij descriptio ex Herodoto.* Est autem hic fons in finibus regionis Scytharum aratorum, & Alizonum, eodem nomine quo locus vnde emanat: Scythica lingua Amaxampeus, id est, sacræ viæ. *Fons amarus qui in Hypanim influit.* Apud Alizonas contrahunt terminos suos Tyres & Hypanis, mox deinde in diuersum abeuntes, mediam intercapedinem laxant. Hæc ille. Sed quoniam Rha fl. hodie Volga dictus magna quadam cum Borysthene atque Tanai necessitudine est coniunctus, de illo quoque nonnihil dicendum. *Rha flu. hodie Volga dictus.* Hunc Albertus Campensis sic describit in illa sua ad Clem. Pont. epist. *Volgæ fluuij descriptio.* Magnum illud flumẽ Sarmatiæ Asiaticæ quod Vuolga vulgò appellat, triplo maior est fluminibus nostræ Europæ, cuius fontes magis sunt versus Boreã & Septentrionẽ, quàm Tanais fontes. *Volgæ fluuij ortus, progressus.* Nascitur ex lacu ingenti, quem vulgò lacum candidũ appellant, inde magno spatio currit versus Orientem Græcum, præterfluens Tuerdam ciuitatem magnam & principem ducatus Tuerdani, quod in Moscouiensi ditione situm est: inde à

Meridie ad Orientem conuerso cursu longo spatio præterlabitur castellum Cazan quod est in dominio Moscouiēsi, indéque sese diffundens per amplissimos Tartariæ campos, multósque quasi in ramos diuisus, viginti dierum spatio exoneratur in mare Caspium. Baro autem ab Herberstein sic eundem fluuiū describit. In sylua VVolkonzki dicta est palus, quæ Frono vocatur: ex qua fluuius non ita magnus duobus ferè milliaribus in lacum quendam VVolgo influit, vnde rursus aquarum multitudine adauctus emergit, VVolgáque sumpto à lacu nomine vocatur: qui multis paludibus emensis, multis etiam fluminibus in se receptis, viginti quinque, vel (vt alij volunt) septuaginta ostiis in mare Caspium, à Ruthenis Chuualinskomorie appellatum, & non in Pontum, vt quidā scripsit, exoneratur. Porrò VVolga à Tartaris Edel, à Ptolomęo Rha vocatur: tantáque inter hunc & Tanaim in campestribus est vicinitas, vt septē duntaxat milliaribus distare affirment, &c. *Cazan castellum* *Wolgæ fluuij exitus.* *Wolgo lacus.* *Wolga à Tartaris Edel.*

Olbia insula sursum nauiganti.) Hinc Strabo, Quum verò Borysthenem, inquit, ducentis stad. enauigaueris, eiusdem nominis offertur oppidum, quod Olbia quoque, hoc est, beata nominatur, amplum sanè emporium, quod condidere Milesij. Strabo ergo vnum idémque vult esse oppidum cui & Borysthenis & Olbiæ nomen. Sic Ptolom. quoque Olbiam eandem dicit esse quæ Βορυσθένης dicitur, quam recenset inter vrbem circa Borysthenem fluuiū. Mela autem Olbiam & Borysthenida vrbes vult esse separatas, secundum quas dicit Borysthenem egredi. Plinius libro 4. cap. 11. in Thraciæ descriptione, à Tyra cxx. mill. pass. dicit esse flumen Borysthenem, lacúmque & gentem eodē nomine, & oppidum à mari recedens xv. mill. pass. Olbiopolim & Miletopolim, antiquis nominibus. Videtur Plin. Borystenida vrbem, & Olbiopolim, & quia Milesiorū colonia, Miletopolim appellare, quæ illius antiqua nomina fuerint. Memorabilis & hæc vrbs Antonini Pij contra Tauroscythas missis auxiliis, quibus victores Olbiani à Tauroscythis obsides extorserunt. Hanc Niger in nemoroso amnis margine sitam esse dicit, quam hodie barbari Strapenos vocant. Stephanus præter hanc Ponticam, tres alias nimirum Ligysticam, Bithyniæ & Pamphyliæ esse tradit. Herodotus libro 4. Transmisso Borysthene à mari primò dicit occurrere Hylæam, dehinc habitare Scythas agricolas, quos Græci (qui sub Hypani incolunt) Borysthenitas appellant, ipsi verò se Olbiopolitas. *Olbia oppidum.* *Olbia & Borysthenes idem oppidum.* *Olbiopolis & Miletopolis.* *Olbiani Tauroscythis superiores*

Ad insulam paruam quandam & ἀνώνυμον.) Strabo ante Borysthenis ostiū dicit iacere insulam portum habentem, illam non nominat. Albertus Campensis Borysthenem dicit non procul à peninsula Taurica (quæ vel Tartaria Procopensis, vel Capsa) in Euxinum mare ingredi testatur. *Peninsula Taurica.*

Ad Odessum. Ὀδησσός. Infrà quoque Odessi vrbis fit mentio. Ptolomæus in Sarmatiæ Europeæ descriptione, post Axiacem fluuium (ab indigenis Nester appellatum) ponit Ὄρδησσον, id est, Ordessum. Herodotus libro 4. Ordyssum fluuium Scythiæ facit, qui vnà cum aliis quatuor, quos ibidem commemorat, in Istrum dicit influere. Plinius vltra Axiacas populos cognomines fluuio, ponit Crebyzos, flumē Roden, sinum Sagaricum, portum Ordessum. Forsan ergo legendum authore Ptolomæo, Herodoto & Plin. Ὄρδησσος, interposita ρ litera. *Odessum vrbs.* *Axiace fluuius* *Ordyssus fluuius in Istrum influit*

Huic proximus Istrianorum portus,) hoc est accolarum Istri. Ab Istriacis Callipidas Axiarásque gentes Mela testatur Tyra fluuio disterminari. *Istrianorū portus.*

Isiacorum portus.) Plinius post Olbiopolim in litore dicit portum esse Achæorum, cui subiungit insulam Achillis, de qua mox. Marcellinus verò longo à Borysthene ciuitate interuallo, peninsulam esse dicit, quam incolant Sindi ignobiles post heriles in Asia casus coniugiis potiti dominarum & rebus, quibus subiectum gracile litus Achilleos dromos appellatum. Quid si hîc quoque Istrianorum sit legendum, pro Issiacorum, vt hîc alias quidam accolarum *Isiacorū portus.* *Achæorū portus.* *Insula Achillis.*

Istri portus fuere.

Ad Psilum ostium Istri.) De Istri ostiis postea dicetur. Strabo, Post oppositam Borysthenis insulam (de qua paulò antea) deinceps ad Oriẽtem nauigationem esse dicit ad promontorium, vbi Achilleos dromos, id est, cursus esse dicitur Ψιλὸν μὲν χωρίον, id est, nudus est locus, quem lucum sacrum Achilli vocitant. Videtur itaque ostium hoc inde ψιλὸν ab Arriano appellari.

Achilleos dromos

Insulam Achillis.) Hanc dicit ostio primo Istri adiacere, cuius elegans descriptio sequitur. Strabo libro 7. Istri eruptioni magnam insulam propinquã esse dicit, Peucen nomine, quam Bastarnæ quũ occupassent, Peucini sunt appellati. Ad hanc paulò pòst à maximo Istri ostio, quod sacrum dicitur, centum viginti stad. nauigationem esse dicit. Supra hanc verò insulam alias quoque multò minores, & alias interius mari proximas sitas esse dicit. & paulò pòst inter ostiorũ Istri ĩterualla, exiguas quasdã insulas interpositas esse dicit. Huius verò (de qua Arrian.) insulæ paulò pòst mentionẽ facit, Leucã similiter (vt hîc Arrianus) appellans, quã ab ostio Tyræ flu. 500. stad. interuallo dicit abesse intra pelagus eductam, Achilli sacram. Insulam hanc Arrianus tribus nominibus insignit. Alij, inquit, Achillis insulam appellãt, propterea quòd (vt paulò pòst dicit) Achillis fama fuit insulam illam sibi à matre Thetide donatã inhabitare. Strabo illam Achilli sacram, Plinius eius viri tumulo insignem fuisse testatur. Alii dromon, id est, cursum Achillis, propterea quòd (vt Mela inquit) Achilles infesta classe mare Ponticum ingressus, ibi ludicro certamine celebrasse victoriã, & quum ab armis quies erat, se & suos cursu exercitauisse memoratur, & ideo dicta est δρόμος Ἀχιλλέως. Plinius quoque exercitatione Achillis dromon Achilleon dicit nominatam fuisse. Idem hoc eodem in loco dromum Achillis peninsulam appellans, ab ipsa insula Achillis centum viginti quinque mill. pass. dicit distare. Eustath. quoque in Dionisium Achillis insulam à dromo Achillis distinguens, illum in dextra Borysthenis ripa collocat. Strabo similiter Achillis dromon alium ab insula Achillis videtur facere, quem dicit esse locum nudum, qui lucus sacer Achilli nuncupatur. Verisimile est hunc lucum esse Hylæam, iuxta quam Herodotus libro 4. Achillæum dromon situm esse dicit. Iuxta illum (eodem teste Strabone) est promontorium. Sic Ptolomęus Isthmum Achillęi dromi sacrum promontorium dicit appellari, & illum collocat in Sarmatiæ Europeæ descriptione, & alibi in descriptione Misiæ interioris meminit Achillis Leucæ, quam insulæ Borystheni dictæ subiungit. Cæteri ergo scriptores Achillis insulam Leucam dictam, ab Achillis cursu separant, Arrianus noster vnam eandémque facit insulam. Quòd autem illius Achillæi dromi formam attinet, Plinius ad formã gladij in transuersum porrectã esse dicit, cuius longitudo sit I xxx. mill. pass (teste Agrippa) sed illam pluribus Mela atque Strabo describunt. Achilles autem ille, à quo & insula Leuca & peninsula dicta Dromos fuit appellata, quis fuerit, controuersum olim fuit. Alij (teste Eustathio in Dionysium, in qua sententia noster Arrianus fuit) Phthium illum volunt fuisse, qui quum Iphigeniam Agamemnonis filiam ex Aulide raptam in Scythiã insequeretur, ac diu hîc cõmoratus fuisset (vt Lycophron tradit) à se nomen loco imposuit. Quidã verò aliũ Achillẽ fuisse aiunt, Scytharũ regem, qui Iphigeniæ amore captus illic habitarit: cuius rei testem Alcæũ adducunt.

Achillis insula. *Peuce insula.* *Leuca insula.* *Achillis insulæ tria nomina.* *Hylæas lucus.* *Achillis Leuca.* *Achillei dromi figura.* *Achilles, à quo insula dicta, quis fuerit.*

Alij Leucam à colore.) Hinc Dionysius quandam esse ait super meatum sinistrũ, è regione Borysthenis notissimam in mari insulam Heroum, Leucam, cognomine, propterea quòd aues & animalia in illa sunt, quæ κνώπετα vocat, alba sunt, de quibus infrá. Ideo etiam fama est Achillis & Heroum animas obuersari desertas per montium concauitates, ita vt illa insula Heroum insula dicatur, cuiusmodi sunt Beatorum insulæ. Plinius libro 4. cap. 13. Ante Borysthenem, inquit, est Achillęa, eadem & Leuce & Macaron appellata. Hanc temporum horum demonstratio à Borysthene centum quadraginta mill. ponit, à

Leuce insula cur sic dicta. *Heroum animæ in illa obuersãtur*

Tyra

Tyra centum viginti mill. à Peuce insula quinquaginta mill. Cingitur circiter decem mill. pass. Reliquæ in Carcinite sinu Cephalonesos, Rhosphodusa, Macra. Insula hæc (teste Nigro) à quibusdam Cacearia, ab aliis Græciaria, hodie Fidonixi vocatur, quam Tauri inhabitant.

Insula Leuca & Cacearia & Græciaria dicta.

Hanc Thetis filio.) De Achille isto quis fuerit, duæ opiniones, de quibus suprà.

Hanc incolere.) de quo infrà. Hinc Dionys. Achillis & heroum animas dixit in illa obuersari.

Ab hominibus deserta.) Non mirum, nam (vt Marcellinus inquit) si qui in illam fuerint delati, visis antiquitatis vestigiis, temploque & donariis eidẽ heroi consecratis, vesperi repetunt naues: aiunt enim non sine discrimine vitæ, illic quenquam pernoctare.

Achillis insula hominibus deserta.

Epigrammata Græca.) Hinc apparet quàm latè olim patuerit linguæ Græcæ vsus, deinde ex hoc ipso, & quia Patrocli fit mentio, videtur posse colligi Achillem hunc, cui insula hæc fuit dedicata, fuisse Græcum.

Latè patuit lingua Græca.

Aues.) Græcè λάρους, αἴθυια & κορώνας appellat. Aues hæ omnes sunt marinæ, amphibij, sub genere mergorum. Larum auem esse rapacem & voracem, Suidas & Varinus testantur. Hinc fabula, laros olim homines fuisse, qui primi venationem & prædam maritimam exercuerint, deinde sic volentibus diis in aues mutatos, iuxta vrbes & portus volitantes, veteris etiam nunc artis meminisse, hinc in prouerbio, pro homine rapace & fure (quem Galli *Larron* appellant) vsurpatur. Ob hanc voracitatem Herculi, ob albedinem Mercurio sacer. Æthya verò ipsa quoque mergi species. auis est, teste Oppiano in Ixeuticis 26. ipsa quoque insatiabilis & maximè vorax, pisces ingestos mox aluo reddit atque etiam viuos nonnunquam. Solæ inter amphibias aues volitando piscantur, ita vt simul vtrunque faciant, congros, anguillas & alios lubricos læuésque pisces deglutiunt. Κορώνην alij cornicem, alij coruum, alii fulicam, alii mergum interpretantur. Aues hæ (teste Arriano) fuerunt templi illius quasi æditux atque custodes. Proculdubio (si quidem vera sunt quæ hîc tradit) fuerunt ipsius diaboli administræ, quarum opera vsus est ad fucum hominibus faciendum. Et certè aues tam rapaces atque voraces dignæ fuerunt illo animarum helluone rapacissimo. Huc facit illud quod de D. Martino literis memoriæque proditum est à Seruio Sulpitio in eius vita. Diuus Martinus (sic enim refert Sulpitius) aliquando mergos in flumine conspicatus piscium quodam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere capturis: Forma (inquit) hæc dæmonum est, insidiantur incautis, capiunt nescientes: captos deuorant, exsaturaríque non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti virtute verborum, vt eum cui innatabant gurgitem relinquentes, aridas peterent desertásque regiones: eo nimirum circa aues illas vsus imperio, quo dæmones fugare consueuerat. Ita grege facto, omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes syluásque petierunt. Aues has candidas esse, illarum historia testatur. Marcellinus in hac insula aquas, & candidas aues halcyonibus similes nasci tradit à Dionysio κινώπετα appellantur, quæ vox in genere omnes aues significat. Suprà quoque dictum est de auibus quibusdam (quas Stymphalides vocant) insulæ illius Aretiados Marti consecratæ. Non est etiam hîc tacendum quòd Plinius alicubi tradit, nullam auem hanc insulam transuolare.

Aues marinæ amphibij.

Larus auis vnde originẽ duxerit.

Æthia mergi species.

Aues templi ædituas quomodo fieri potuit.

D. Martini historica expositio mergorum.

Κινώπετα aues.

Stymphalides aues.

Achillem in somnis apparuisse.) Hi Achilles, Patrocli, vt & Dioscuri, qui nauigantibus apparuerunt, proculdubio ipsissimi fuerunt dæmones, qui hominibus huiusmodi visis atque spectris illudere soliti sunt. Atque hæ fuerunt Achillis & Patrocli animæ, quas ex Dionysio suprà in hac insula passim obuersari, atque vagari diximus. Socrates apud Platonem in Phædone, in sua quam ante mortem habuit oratione, inquit, ψυχῶν σκιοειδῆ φαντάσματα, id est, animarum

Achilles Patrocli & Dioscuri qui apparuerũt, dæmones fuerũt.

Animarum spectra circa sepulchra versantur.

vmbrosa quædam spectra circa monumenta atque sepulchra versari. Huiusmodi autem idola ab illis animabus exhiberi, quæ non planè à rebus corporis liberæ atque solutæ hinc migrarunt. Itaque mirum non est quum in hac insula Achillis sepulchrum fuerit, eiusmodi animæ .i. dæmones ibidem apparere fuisse solitos.

ὕπαρ vox quid, ὀνείρῳ opponitur.

Alij ὕπαρ dicunt illis apparuisse.) Vox enim ὕπαρ significat visionem veram non in somnio, veritatem non somnium. Opponitur ὀνείρῳ, vt hoc quoque loco videre licet. Sic Theocr. Idyll. κ. Europ.

Τὸ γὰρ ὡς ὕπαρ εἶδεν ὄνειρον.

ὕπαρ vox Platoni familiaris.

Vox hæc Platoni valde fuit familiaris, quemadmodum quiuis vel mediocriter in illius scriptis versatus, probè nouit. Vnum atque alterum exemplum proferam. In Theæteto dicit ὕπαρ ab ὄναρ non facilè distingui. Sæpenumero enim ambigitur, an dormiamus, & omnia quæ cogitamus somniemus an verò vigilemus, καὶ ὕπαρ ἀλλήλοις διαλεγόμεθα, id est, in vigilia, siue vigilantes colloquamur. & Politic. ε. illum, qui rei alicuius οὐσίαν, τὸ τί ἦν εἶναι (vt Aristot. loquitur) ὕπαρ. illum verò qui externa tantùm rerum symbola imagines atque idola cernit animo suo atque intuetur, ὄναρ dicit videre. Quòd si hæc Sacris quoque accommodare non est nefas, nos possumus similiter dicere Deum, résque illas diuinas & cælestes quandiu in hoc mundi atque corporis carcere caliginoso inclusi tenemur, ὄναρ, id est, quasi per insomnium, per speculum (vt D. Paulus loquitur) cerni, at verò vbi hac corporis compage soluti, ex his tenebris in illam lucem euolauimus, Deũ, résque diuinas ὕπαρ, hoc est (vt Scripturæ vsitato modo loquar) de facie ad faciem, sicuti sunt, cùm summa animorum nostrorũ voluptate contemplabimur.

Dioscuri periclitantibus opitulantur.

Dioscuri periclitantibus.) Hos Theocritus Idyll. κβ. ἀνθρώπων σωτῆρας ἐπὶ ξυροῦ ἤδη ἐόντων esse dicit, id est, seruatores hominum, qui in acie nouaculæ, id est extremo vitæ periculo sunt constituti. De his multa passim apud poetas videre licet.

Ister fluuius.

A Psilo Istri ostio.) Fluuius hic, si quis alius, veterum atque recentiorum, Græcorũ, Latinorúmq; literis monumẽtísque valde est celebratus, ita vt Eratosthenes & Apollodorus lib. 2. de nauibus meritò poetarum philosophorúmque principem Homerum reprehendisse videantur, quòd, quum plurimos fluuios, qui Oceano immerguntur, commemoret, hunc silentio prætermiserit, qui (teste Herodoto) quoniam per terram habitatam fluit, præ cæteris ferè fluuiis omnibus valde est notus, quem Leonardus de Vrino Serino Serm. 43 inter nouem nobilissimos orbis terrarum fluuios numerat. De quo sanè fluuio, quãtum mihi pro temporis, ingeniíque mei exiguitate, hoc quidem tempore ex veteribus pariter atque recentioribus scriptoribus cognoscere licuit, hisce meis lucubratiunculis, quoad eius fieri potest summatim breuitérque intexere atque inserere volui, hoc quidem ordine, vt primò de illius nominibus, secundò de illius ortu, tertiò eiusdem progressu, quartò quantitate, quintò qualitatibus atque affectionibus variis, postremò exitu atque ostiis dicam.

Homerus reprehenditur. *Ister fluuius nobilissimus maximéque notus.*

Istri duo nomina

Quoad primum duo illius præcipua sunt nomina, vnde Ouidius libro 1. de Ponto binominem appellat.

Stat vetus vrbs, ripæ vicina binominis Istri.

Silius similiter, Picus atque Papinius binomium vocant.

Ister nimirũ, & Danubius.

Ea autem sunt Danubius & Ister, quæ licet ambo nomina vniuerso fluuio à capite vsque ad finem ab authoribus tribuantur, tamen quibusdam in locis magis versus fontes Danubius, in aliis magis versus ostia vergentibus, Ister nominatur. Hinc Mela, alio, inquit, quàm desinit, nomine exoritur. Nã per immania (subintellige loca) magnarum gentium diu Danubius est, deinde aliter appellãtibus accolis, Ister fit. Strabo libro 7. Superiores illius partes versus fontes vsque

Quando Ister dicatur, quando Danubius.

vsque ad pręcipites eius decursus quos cataractas nominant, Danubium scribit vocari, quæ maximè per Dacorum agrum delabantur, aliàs verò inferiores vsque in Pontũ per Getas Istrum. Huic suffragatur Ptolemæus qui ad Axium vsque Mysiæ inferioris (teste Ptol.) ciuitatem, vbi eius sint cataractæ, Danubium, inde verò ad illius vsque ostia, Istrum scribit appellari. Plinio teste primò Danubius, vbi primum Illyricum alluit Ister dicitur. Appianus de bellis Illyr. illis in locis, vbi Sanus Istrum influit, Danubium, nec multis deinde inferiùs elapsum vberioribus aquis, pro Danubio Istri nomen assumere testatur. Nonnulli quoque affirmant circa Taurunũ quàm alii Nauderalbam appellãt (*Grie chischen vvyssenburg*) fluuiũ illũ ingentem Sauum (*Sauv*) à veteribus celebratissimum, tanto impetu, vndarúmq; vi in Danubium irrumpere, vt illum nomine suo priuet, quod tamen paulò inferius recipit. Nunc de singulis nominibus sigillatim. Quoad prius, antiquitus, teste Stephano, hũc fluuium Matoam Scythæ appellarunt, quæ vox Græcè reddita ἄσιον *asium*, hoc est innoxium significat, propterea quod creberrimè illum licet traiicerent, nihil tamen quicquam noxæ damníve acciperent. At verò cùm vel semel in eius traiectu damnum quoddam fecissent, mutato nomine Δάνουβιν siue Δάνουσιν Danubim siue Danusim vocarunt, quod nomen calamitatis authorem significat. Hæc ille, quæ ad fabulas propius, quàm ad verum videntur accedere. Cato autem in Orig. (id quòd fide dignius videtur esse) à Danis eius accolis sic dictum fuisse testatur. Hinc Strabo quoque, vt paulò antè dictum, superiores illius partes, quæ maximè per Dacorum (qui iidem qui Dani) regionem feruntur Danubium scribit appellari. Nonnulli, teste Francisco Irenico qui duodecim de Germania libros conscripsit, illum à sono hoc nomẽ (quasi dicas *tonavv*) sortitum esse volunt. Hinc forsan Mantuanus sonantem, Bartholinus illum Vndisonantẽ appellat. Maximè autẽ cum sonitu atq; fragore per catarractas illas, de quibus postea, delabitur. B. Rhenanus lib. 3. Germ. rerum, necnõ Vadianus in sua epitome. Danubium siue (vt Latinos olim scripsisse, ex pontis Traiani inscriptione patet) Danuuium existimant dici quasi Abnobium, siue Abnouuium à mõte Abnoba (quem nonnulli Abnouũ scribunt, pro B enim scimus V vsurpari) vnde eum nonnulli oriri contendunt. Hanc quoque coniecturam probabiliorem facit priscum vocabulum vernaculum *Abnauv*, cui Germani D litera articuli loco addita *Danauv* vulgò, quod nomen hodie obtinet, nominarunt, pro *die Abnauv* collisione literarum Germanis vsitata. Hæc est Rhenani atq; Vadiani coniectura verisimillima. De Abnoba autem monte postea pluribus. Isidorus Danubium vocari dicit, à niuium copia, quibus magis augetur, quasi dicas Daniuium. Et certè Herodotus quoque lib. 4. crebriores apud Danubiũ niues quàm pluuias esse dicit. Alterum vocabulum Gręcè ἴστρος, Latinè Ister & Istrus, perperam à nonnullis teste Tortelio Hister (cùm Græcum aspiratione careat) scribitur atque enunciatur. Hoc quidem priore illo & antiquius & à Græcis pariter atque Latinis crebrius fuisse vsurpatum reperio, eo enim Herodotus, Apollonius & alii solo vtuntur. Quamobrem toto cœlo, vt est in prouerbio, errarunt illi, qui, teste Irenico, Augusti primum temporibus Danubiũ Istri nomen sortitum fuisse tradiderunt, quippe cùm ipsis quoque Argonautarum temporibus Ister fuerit appellatus, à quo Iustinus quoque & Trogus lib. 31. necnon Isidorus, Istriam appellatam fuisse affirmant. Tametsi alii non Istriã ab Istro, sed Istrum potius ab Istria, per quam fluit, volunt nominatam fuisse. Hinc Solini interpres, primò, inquit, Danubius appellatur, sed cùm Istriam Thraciæ regionem attingit Ister dicitur, à prouincia sumpto nomine, quam perlabitur. Iornandes hunc fluuium Bessorum lingua Istrum, Berosus verò ab Istro rege quodam nuncupatum fuisse prodiderunt. Fluuius sic à Dionysio Byzãtino Sacer fuit cognominatus, propterea quòd, teste Eustathio, fluuiorũ fontes sacri sunt habiti. Vincentius autem in spec. histor. lib. 2. & 24, cap. 11. &

Danubij cataractæ.

Nauderalba.

Sauus fluuius.

Danubius antiquitus Matoas dictus à Scythis Græcè ἄσιον dicitur.

Danubij nomen vnde illi inditum.

A Danubij origine Catonis sententia Danubiũ nomen habere.

Strabonis sententia.

A sono nõnulli dictum volunt.

Quidam Danubium à monte Abnoba dictum volunt.

Danubius à niuiũ cõpia dictus.

Ister malè Hister scribitur.

Istri nomen antiquius quàm Danubij.

Errant qui Danubium Istrum vocari cœptum aiunt Augusti temporibus.

Vtrum Ister ab Istria, an Istria ab Istro dicta sit.

12. Sacratum dicit à veteribus fuisse appellatū, propterea quòd eò nauigatur in terram sanctam, necnō propter victoriam, quam iuxta illum Heraclius imperat. de Ethnicis potitus fuit, &c. Auentinus, vt hoc quoque addam Istrum à Moyse Iactan Sauum, qui in Istrum influit, Saba fuisse appellatum testatur. Atque hęc de nominibus. Sequitur secundum caput, de eiusdem ortu siue fontibus, de quibus variæ sunt admodum, atque multiplices authorum sententię, quæ tamen, si accuratius expendantur, egregiè admodum, paucis exceptis inter se concinere, atque congruere vidētur. Eratosthenes lib. 3. Geograph. necnon Scymnus lib. 16. de Europa (quos authores Apollonii scholiastes citat) in desertis locis illius fontes esse tradiderunt, qui certè minimè à verò videntur aberrasse, quippe cùm loca illa, in quibus fontes illius à plerísque recentiorum demonstrantur, olim inculta, horrida atque deserta fuerint. Apollonius lib. 4. cap. 2. ex Riphæis & hyperboreis montibus illum vult promanare, his verbis,

Quidam à Riphæis & hyperboreis montibus Danubium oriri putant.

(—πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς βορέαο,
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσιν ἀπό προθι μορμύρουσιν.)

Secutus est in hoc, vt illius scholiastes refert, Æschylum poëtam, qui idem in Prometheo soluto tradit. Montes hi Scythiæ, quos idem scholiastes eodem in loco ad Orientem esse ex Callimacho probat, ob suam altitudinem, perpetuas niues atque frigora intoleranda, plurimum à veteribus fuerunt decantati. Horum descriptionem elegantem vide apud Plin. lib. 4. cap. 12. Aristot. lib. 1. Meteor. cap. vlt. postquam Danubii ortum significauit (de quo postea) sub ipsis Septentrionibus vltra extremam Scythiam montes dicit esse qui ῥίπαι *Ripæ* siue Riphæi appellantur, de quorum magnitudine fabulosa sunt, quæ traduntur. Ex iisdem idem scribit plurima & post Danubium maxima flumina, effundi. Sic Tanaim quoque, vt suprà dictum, falsò veteres ferè omnes (excepto Herodoto) in montibus illis nasci existimant. Etsi verò pleraque fabulosa, quæ de his montibus & hyperboreis narrantur, tum Aristot. tum Strabo etiam existimarunt esse: sunt tamen nostra ætate inuenti terrarum indagatores quidam, quibus ne esse quidem isti montes in Septētrione videantur, quemadmodum suprà pluribus in descriptione Tanais dictum fuit. Quamobrem non sine causa Vadianus in Melam se mirari scribit, cur hoc tam falsò Apollonius cecinerit. Quid si dicamus & duos illos priores Scymnum atque Eratosthenem, & Apollonium secutos esse communem Geographorum morem atque consuetudinem, qua vt scitè admodum Plutarchus in limine operis sui de vitis illustrium virorum refert, illis in locis, quæ minus habent perspecta & cognita, vel desertum aliquod, vel montem Scythiæ, vel aliud quid huiusmodi effingere atque appingere consueuerunt. Præterea siue fabulosi, siue veri sint montes isti Riphæi, loca Hercyniæ syluæ montana (quę Alpium portio quædam sunt) quibus Danubii fontes ascribuntur, frigoribus atque niuibus ferè perpetuis horrida, ad montium illorum similitudinem proximè accedunt, ob quam etiam verisimile est siue Alpes, siue, quæ Alpium est portio, Hercyniam syluam, Riphæos montes ab Apollonio fuisse appellatam. Sic eandem ob causam à Cantalycio poëta Alpes dictæ sunt hyperboreæ,

Ripæ siue Riphæi montes.

Tanaim falsò quidā in Riphæis montibus oriri putant.

Hyperborei mōtes quibusdā nō siti sunt in Septentrione.

Apollonij error.

Quidam in ijs locis quæ minus habēt perspecta vel desertum vel aliud quid effingunt.

Hercyniæ syluæ montanis locis Danubij fontes ascribuntur.

Hercyniæ syluæ montana forsan Riphæi montes dicuntur.

Pars vel hyperboreas forsan remeauit ad Alpes.

Alpes hyperboreæ dictæ.

Hinc nonnulli, vt Simlerus in Vallesiæ & Alpium descriptione monet, à Posidonio, & Protarcho scriptum retulerunt Riphæos & Alpes eosdem dici montes, qui ab hyperboreis incolantur, & ideò Boream, qui à Riphæis montibus flat, alpinum ab Homero fuisse appellatum. Aliam quoque afferam coniecturam forsan non omninò reiiciendam. Sueuiæ quoque, vt postea dicetur, Danubii fontes accepti feruntur, quæ ex quorundam sententia, vt Nauclerus in sua Chronographia docet, dicta est à Sueuo mōte, qui ab ortu Solis Germaniæ initium facit, & secundum aliquos coniunctus continuatúsque est cum Riphæis & Hyperboreis montibus, & in parte respicit Parmenium vno cornu, alio

Riphæi & Alpes ijdem.

Sueuia dicta à Sueuo monte.

Sueuus mons secundum nonnullos cum Riphæis & hyperboreis coniungitur.

alio Pontum Euxinum, cohærétque monti Venetico contra Sarmatiam, vbi & Venedicus sinus. Denique (vt hoc quoque addam) non illos Scythiæ, sed alios quosdam montes Riphæos & Hyperboreos Apollonium hoc in loco intellexisse, ex iis quæ sequuntur videtur posse colligi. Nam postquam Danubii fontes in montibus illis iam sæpè commemoratis dixit resonare, addit illum, postquam Scythiæ atque Thraciæ fines est ingressus, bifariam diuidi. de qua diuisione postea. Atque hæc de Scymni, Eratosthenis atque Apollonii sententia, qui vel ex locis desertis, vel ex Riphæis montibus Danubium volunt deriuari.

Riphæi montes & Hyperborei non tantum Scythiæ sed alterius loci etiam.

Veniamus nunc ad aliorum opiniones. Strabo lib. 7. illum ab extremis Germaniæ partibus ab Occasu non procul à sinu Adriatico 1000. circiter stad. interuallo originem suam habere testatur. Forsan, inquit Nauclerus, Alpes intelligit, quos Græci ferè post Adriaticum, siue Thyrrhenum sinum incipere putant. Vadianus verò (quoad illud Adriatici sinus à fontibus illius interuallum) Strabonem non benè sensisse existimat. Nam aliàs in Germania illum oriri satis supérque constat. Hinc & Mela illius fontes in Germania aperiri, & Solinus illum Germanicis iugis oriri scripsit. Seneca lib. 4. natural. quæst. falsò nonnullos philosophos dicit tradidisse, Danubii ignotos fontes esse: Nam caput eius, inquit, in Germania cōperimus. Idem tamen fluuius rectè & Germaniæ, ortus nimirum sui ratione, vnde Germanicus à Bartholino appellatur, & Scythiæ, finis atque exitus respectu, ascribitur. Hinc Lucanus,

Danubij ortus ex Strabonis sententia.

Danubius in Germania oritur.

Massagetas Scythicus non alliget Ister.

Herodot. lib. 4. ex Celtis (quos extra cippos Herculis Cynesiis finitimos omnium in Europa ad occasum habitātium post Cynetas postremos esse dicit) ex vrbe πύῤῥλων. i. Pyrrhena oriri scribit. Arist. illum ferè secutus lib. 1. Meteor. cap. 13. vbi ostendit maximos fluuios ex maximis oriri montibus, Istrum ἐκ τῆς πυρήνης, id est, Pyreneo monte (Herod. Pyrrhenam vrbem appellat) ad Occidentem æquinoctialem in Celtica regione situm vt & Tartesum flu. originem suā trahere testatur. Nicephorus Gregoras ex iisdem Alpibus, ex quibus Rhenus (quarum incolæ sint Galli & Celtæ) illum erumpere tradit. Ælianus lib. 14. cap. 23. sub radices Alpæorum montium versus Boream sub Vrsa Europæorum Istrum fluuium maximum, ortum suum habere testatur, vbi gens rei equestris perita habitet. Eustath. quoque in Dionys. Danubium apud Celtas oriri & per Europam fluere scripsit.

Danubij ortus secundum Herodotum & Aristotelem.

Maximi fluuij ex maximis mōtibus oriuntur.

Danubius ex iisdem montibus oritur ex quibus Rhenus secundū nonnullos.

Has, antequam vlterius progrediar, commemoratas Herod. Arist. cæterorúmque de origine Istri sententias libet paululum expendere atque examinare. Illi, quemadmodum dictum est, tria Istri fontium loca ceu notas quasdam tradunt, nimirum Pyrenem, Celtas, atque Alpes. Alii namque ad Pyrenem, alii ad Alpes, cuius vtriusque montis Celtæ sint incolæ, Danubii originem referunt. Ac duo quidem illi priores Herod. & Aristot. vnanimi consensu Danubii fontes in Pyrene, in regione Celtica, ad occasum statuunt. Hoc tātùm inter illos videtur esse discriminis, quòd apud Herod. πυῤῥλών per duplex ῥ scribitur, & vrbs dicitur esse, at verò Arist. Pyrenem per ρ simplex, montem appellat. Tritum autem hoc est aliàs apud Geographos atque historicos, vt vnum eundémque locum alii mōtem, alii flumen, alii portum, alii vrbem appellent: cuius suprà exempla quædam proposita fuerunt. Verùm cùm Pyrene per ρ simplex mons (vti reuera est) passim ab omnibus scriptoribus celebretur, nusquam verò, quod sciam, hoc nomine vrbs aliqua esse dicatur, quam Stephanus minimè profectò prætermisisset, vide num mendum sit apud Herod. vt Pyrene primo per ρ simplex, deinde pro πόλιος quod vrbem significat, ὄρεος siue ὄρεος, vel aliud quid huiusmodi legendum esse videatur.

Herodoti & Aristotelis sententiæ expēduntur.

Tria loca Istri fontium.

Locus Herodoti restituitur.

Quoad verò vtriusque sententiam, alii quidem, inter quos est Vadianus in cōmentariis suis in Melam, illam simpliciter ceu falsam, & à vero alienam culpant ac damnant. Sic Scheggius quoque præceptor meus [redacted], necnō Vicomercatus, cuius φιλοξενίαν humanitatémque singularem Taurini, qua in

Italiam aliquot ante annis transiui, expertus sum, præstantissimi ambo philosophi in suis in Aristot. Meteor. commentariis ipsum Aristotelem errare contendunt, qui ex Pyrenæis montibus, Galliam ab Hispania discriminantibus, & Tartesum flumen (montem Hispaniæ olim teste Strab. lib. 3. Boetin appellatum, vnde Bœtica regio) & Danubium ortum suum ducere affirmat: quippe cùm vtriusque alia sit origo. Deinde quanquam ex Celtis, inquit Vicomercatus initium sumere diceretur, non ob eam causam ex Pyrenæo, qui ad Celticę, hoc est, Galliæ occasum positus est, deflueret. Verum vt Herod. & Aristot. (vt hoc obiter dicam) Celtas ad Occasum æquinoctialem Pyrenem dicunt incolere: ita contra Appianus lib. de bellis Illyricis statim ab initio Pyrenæos montes, quos totius Europæ maximos & altissimos appellat, à mari Tyrrheno ad borealem Oceanum dicit procurrere, & illorum partem, quæ Orientem spectat, Celtas incolere, qui nunc Galli appellantur: ad Occasum verò esse Iberos & Celtiberos à Tyrrheno similiter mari per Herculeas columnas circumductos vsque ad Septentrionalem Oceanum. Quemadmodum igitur Vadianus, Scheggius, Vicomercatus & alii Herodoti atque Aristot. sentẽtiam simpliciter reprehendunt, ita alii eandem tuentur atque defendunt. Rhenanus quidẽ lib. 3. rerum Germ. vernaculum nomen tractus Periensis (German. *die bar* aut *par*) ad Pyrrenem, siue Pyrenem alludere existimat. Glareanus autem in suis comment. in Cæsar. & (qui eum videtur secutus) Peucerus in suis Chronicis, nomine Pyrenes allusionem putant fieri ad Brygen, seu Prygen & Bregen, siue Pregea, duos riuulos eiusdem magnitudinis, qui non procul à Danubii origine in eum influunt, à quibus vicina regio Pregina, siue Prygina appellatur. Hanc allusionem Scheggius in suis comment. in Aristot. Meteor. sibi minimè dicit arridere, quippe cùm Aristot. ex Pyreneis montibus non modo Istrum, sed Tartesum quoque oriri tradat. Rectè ille meo quidem iudicio. Verùm cùm Pyrenæi vocabulum videatur esse æquiuocum & illo non modo montes illi propriè dicti, qui Galliam ab Hispania separant, intelligantur, verum etiam mons sit Germaniæ prope Hercyniam syluam Pyrenæus dictus, non videtur omnino à ratione veróque alienum, si ex Pyrenæo monte Danubius ortum suum nancisci dicatur. quippe cùm ipsemet Aristot. qui in Meteor. ex monte Pyrene scribit oriri, in lib. Admirab. illum ex syluis Hercyniis promanare testetur. Pyrenæum autẽ montem esse Germaniæ inter Alpes Rheticas, quem occupata Rhetia Germani Premerum appellant. Rhenanus lib. 3. rerum German his testimoniis probat. Primum est Plin. Cæcilii in Panegyrico quem dixit Traiano Cæsari. Germaniámque, inquit, quamplurimæ gentes, ac prope infinita vastitas interiacentis soli, tum Pyrenęus, Alpes immensíque alii montes, nisi his compararentur, muniunt, dirimúntque. Secundum est Dionysii, qui exorsus à Septẽtrione Germaniam describens, & cùm Germanorum, quos albos atque ἀρειμανέας. i. Martios cognominat, necnon Hercyniæ syluæ mentione facta, subiungit,

Erratт Aristoteles qui Danubium & Tartesum ex Pyrenæis montibus oriri putat.

Pyrenæi montes totius Europæ maximi.

Pyrenæos mõtes qui inhabitent.

Herodoti & Aristotelis sententiam quidã defendunt.

Pyrenæi vocabulum æquiuocum est.

Pyrenæus montẽ Germaniæ esse tribus testimonijs probatur.

> Τοῖς δ' ἐπὶ πυρηναίων ὄρος, καὶ δώματα κελτῶν,
> Ἀγχόθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο. .i.
> *Pyrrhenes sequitur mons, post hunc Celtica tellus,*
> *Eridani fontes contingens rauca fluenta.*

Pyrenæo monti Dionysius deinceps subiungit Hetruscos Alpim montem, Rhenum atque Istrum. Vltimum est, Bassi epigramma in laudem Germanici Cæsaris,

> Οὔρεα πυρηναῖα, καὶ αἱ βαθυάγκεες ἄλπεις,
> Αἱ ῥήνου προχοὰς ἐγγὺς ἀποβλέπετε.
> Μάρτυρες ἀκτίνων Γερμανικὸς ἃς ἀνέτειλεν.
> Ἀ[illegible] τοῖς πουλὺν ἐνιάλιον. .i.
> *Saxa Pyrenæi & depressæ vallibus Alpes,*

Quæ

Quæ Rheni fontes haud procul aspicitis,
Vidistis radios Cæsar Germanicus ædit,
Quos cum Teutonibus fulgure belligerans.

Ex his itaque videtur colligi posse Herodotum & Aristotelem non ita omnino à scopo aberrasse, qui ex Pyrenęo monte Danubium originem suam sumere tradiderunt. Nam si & Germania, & sylua Hercynia, & Alpes, & Celtæ Danubii fontes habere dicantur (de quibus postea) cur non idem monti Pyrenęo tribuatur: quem alij Alpes nominant, alii Alpes eiusdem partem faciant, quem præterea in Germania, iuxta Hercyniam syluã sitũ esse, à Celtis inhabitari, vt paulò antè dictum, multi testantur. Adde quòd Herodotus Celtas, quos in Pyrene collocat, Cynesiis dicit esse finitimos. Hos autem verisimile est dictos fuisse à monte Cynesio, siue Cynero, quem Alpes Graias esse Simlerus testatur, in cuius summa planitie lacus est è viuis purus scatebris. Atque hæc de monte Pyrene, siue Pyreneo. Quoad Celtas, quos ad Occidentem Herodotus & Aristoteles montis huius incolas faciunt, ac quibus Danubii originem ferunt acceptam, Strabo libro 1. commemorat Ephorum authorem esse, totum Occidentem olim Celticæ nomine appellatum esse, Gallos autem qui ipsorum lingua Celtæ appellantur. Alii non totum Occidentẽ hoc nomen habuisse volunt, sed Occidentalẽs solùm ad Septentriones vergentes populos, qui postea sunt à Romanis Galli & Germani appellati. Strabo libro quarto, testatur Gallos Narbonensis regionis incolas olim Celtas fuisse appellatos: postea verò vniuersos Gallos eodem nomine à Græcis ob Narbonensium illorum claritatem nuncupatos fuisse. Celtas autem Germanos fuisse appellatos, author est Strabo libro septimo, Regionem, inquit, trans Rhenum ad ortum vergentem Germani colunt, nationem Gallicam nonnihil imitantes & feritatis ratione, & proceritate corporum, & colore flauo, cùm reliquis in rebus, & forma & moribus & viuendi ritu pares sint Gallis. Vnde Romani hoc illis nomen iure indidisse videtur, illos Germanos, id est, fratres Gallorum appellantes. Illos Germanica lingua vsos fuisse Glareanus in iisdem illis suis in Cæsarem comment. testatur. Celtarum appellatione, inquit Rhenanus libro 3. in verba Herodot. de Danubij ortu, more veterum authorum Hecatęi videlicet, Phylarchi, Hermippi, & Diodori Siculi Germanos intelligere oportet. Nauclerus quoque Celtarum appellationem communem olim fuisse Germanis ex Solino probat. Glareanus de hac ipsa Herodoti & Aristotelis sententia de Danubij fontibus verba faciens: Vbi, inquit, hodie Danubij fontes demonstrantur Germaniæ atque Celtarum confiniũ esse testatur, atque etiamnum eius regionis linguam mixtam esse ex Celtica & Germanica. Quum ergo (vt hæc concludam) Germani quoque Celtæ olim fuerint appellati, quos Herodotus & Aristot. Pyrenæi montis incolas faciunt: hinc certè constat & Pyrenæum montem Germaniæ rectè dici, & optimo iure eidẽ monti, necnon Celtis eiusdem incolis, Danubij fontes assignari. Sequitur tertia nota, Alpes nimirum, quibus ab Æliano, Nicephoro, Gregora, & aliis Danubij origo tribuitur. Hi certè nec ab Herodoto & Aristot. nec ab ipsa veritate videntur discrepare. Ac primò quidem illos ab Herodoto & Aristotele non dissentire, ex his, quæ sequuntur (vt opinor) satis apparet. Nam quemadmodum (vt D. Simlerus docet, in Alpium descriptione) Pyrenæi montes propriè dicti, qui Hispaniam à Gallia diuidunt, à Procopio libro 1. Alpes nominantur, ita contrà Frisingensis Alpes nominat Pyrenæum, Italiam scribens a Septentrione habere Pyrenæas Alpes. Guntherus in Ligurino Pyrenæum, inquit, comprehendit Alpes, & Apenninum, atque hæ sunt Pyrenæi partes. Quum ergo Alpes quoque Pyrenęi montes secundum quosdam dicantur, síntque secundum nonnullos ipsæ Alpes partes Pyrenæi, hinc efficitur Herodot. & Aristot. qui Pyrenæos montes, & Ælianum, Nicephorum Gregoram, atque alios, qui Alpes Danubij quasi

Herodoti sententia vera asseritur.

Cynesij à monte Cinesio vel Cinero dicti.

Celtæ olim qui dicti sint.

Celtæ Germani dicti.

Germanorum nomen vnde ductũ

Quidã Danubij originem dicunt Alpes esse.

Pyrenæi montes Alpes dicti.

parentes ſtatuunt, optimè inter ſe conſentire. Ex Alpibus autem Danubium oriri ſatis conſtat. Strabo libro 4. Iſter ab hiſce montibus (Alpibus) in multa diuiſus capita, ſumit originem. Excelſa enim Alpium capita continua hactenus extenduntur, & vnius montis faciem exhibueruntr, emiſſa inde & inclinata, plures in partes, & plures in vertices attolluntur. Primũ eſt horum trans Rhenum & lacum in Orientem vergens, mediocriter ſublime dorſum, quo in loco Iſtri fontes, iuxta Sueuos & Hercyniam ſyluam ſunt. Alia ſunt cacumina in Illyricum atque Adriaticum ſinum conuerſa, &c. Hinc Ioannes Henterus Coronenſis,

Alpiũ plura capita.

Heluetiæ ſummis æquandæ nubibus alpes,
Quattuor in partes aliò currentia fundunt
Flumina, Danubium, Rhenum, Rhodanúmq;, Padúmque.

Hæc ille. Verùm luculentum huius rei teſtimonium atque probatio extat apud D. Simlerum in Alpium deſcriptione, quam quia eſt [redacted] ad propoſitum noſtrum apprimè conducit, deſcribere volui. Alpibus, inquit, originem ſuam debent quatuor nobiliſſima Europæ flumina, quæ innumeros penè amnes ſecum in diuerſa maria efferunt. Padus per Italiam in mare Adriaticum defluens, Rhodanus per Gallias in mare Lyguſticum, Rhenus inter Germaniã & Galliam limes in Oceanum, ac poſtremò Danubius longiſſimo curſu Illyrici prouincias emenſus, Euxinum Pontum intrat. Ac de reliquis quidem tribus non eſt dubium eos in Alpibus ſuos fontes habere, de Danubio ſolùm dubitatur: nam ipſum ex Alpibus oriri quidam negant. Sed hîc animaduertendum eſt, Alpium nomen non tantùm tribui excelſis iugis continuatarum Alpium, quæ vnius quaſi montis faciem exhibent, ſed decliuioribus quoque iugis quæ in plures partes diuiſa, ad latera extenduntur, inter hæc primùm numeratur à Strabone Alpium iugum inter Rhenum & lacum Brigantinum mediocriter ſublime, in quo inquit eſſe Iſtri fontes inter Sueuos & Hercyniam ſyluam. Regio vbi Danubius oritur (ſiue in pago *Don Eſchingen*, iuxta vulgi opinionem, fontes eius ſtatuamus, ſiue, vt Glareanus vult, in proximis montibus regionis quam *Baac* vocant, quam Arbonã Tacitus nominare videtur) omnis vno nomine *Alb* Albia Germanis vocatur, atque vltra fontes Danubii in Orientẽ porrigitur, in hac non ſunt alti montes, ſed iugum mediocriter planum, vnde etiam Strabo vocat ῥάχιν μετρίως ὑψηλήν. Cæterùm etiam qua plana eſt hæc regio, maxima tamen ſui parte niualis, aſpera, ſaxoſa & frigida eſt, ac in multis locis incommodæ habitationis. Quare Albia nominari videtur, non tam quòd continuum brachium ſit Alpium, quàm quòd Alpibus propinqua, & eiuſdẽ ferè naturæ ſit, quoad frigus & locorũ aſperitatem. Atque hoc videtur Ptolomæus obſeruaſſe, qui ſcribit, montes qui ſupra caput Danubii ſunt, idem cum Alpibus nomen habere. Quare totum illum tractum quidam noſtra ætate Alpes Germanicas nominarunt, atque vbi in Plinio legitur, Danubium oriri in Abnoba monte, & apud Tacitum, in Arbona monte, malũt ſubſtituere Albiũ aut Albonam montem, tum quia hodie regio *Alb* dicitur, tum etiam quia Strabo Alpium partem dicit, & Ptolomæus montes hos idem nomen cum Alpibus habere ſcribat. Alpes autem Albias quoque dictas ſuprà oſtendimus. Eſt igitur Danubius quoque ex Alpinis fluuiis, quia idem nomen regioni vnde oritur, & illis ſaltem proxima eſt, ſi non cum Strabone partem earum reputare voluerimus. Hæc ille. Adhuc generaliora quædam atque confuſiora loca, ſiue termini fontium Iſtri ex authoribus à me fuerunt prolati, vt ſunt loca deſerta, montes Riphæi, Germania, Pyrene mons, Celtæ, Alpes, nunc ad ſpecialiores progreditur, donec ad ſpecialiſſimos, atque proprios Danubii fontes (ſi fieri poteſt) perueniamus. Ac ſpeciaiores quidem Danubii fontes ſunt Sueuia, Rhetia, ſylua Hercynia, Raurici ſiue Rauraci, ſiue Taurici, mons Abnoba, & alii, quorum primò teſtimonia, deinde probationes explicationéſque doctorũ virorum

Quatuor flumina ex Alpibus oriuntur.

Alpium nomen excelſa iuga non tantùm complectitur, ſed & decliuiora.

Danubius ex quibus locis oriatur.

Albia Alpiũ brachium.

Abnoba mons.

Danubius vnus ex Alpinis fluuijs

Danubij fontes ſpecialiores.

rorum subiiciam. Aristoteles lib. admirabilium, Istrum ἐκ τῶν Ἑρκυνίων καλουμένων δρυμῶν, id est, syluis Hercyniis fluere testatur. Strabo libro 4. Istri fontes iuxta Sueuos, & Hercyniam syluã esse tradit. Idem libro 7. Hercynia, inquit, sylua proceris frequens est arboribus, cui quidem & Istri fontes, ac Rheni proximi sunt. Inter vtrunque lacus, & effusæ de Rheno paludes. & paulò pòst, Hercynia sylua magis quàm Istri fontes in Austrũ vergit: adeò vt è Gallia in Hercyniam syluam tendenti, prius lacum transire opus sit, deinde Istrum, postea iã per faciliora loca montanásque planities ad Hercyniam sunt accessus. Cæterùm Tyberius à lacu vnius diei progressus iter, Istri fontes aspexit. Ad eũ lacum Rhæti paululum adsunt, amplius Heluetij, & Vindelici, & deserta Boiorum regio vsque ad Pannonios. Hæc ille. Quod Strabo inter alia dicit syluam Hercyniam magis vergere in Austrum, suspectus Mũstero videtur esse locus, & legendum, in Boream, quippe quum (vt Munsterus inquit) primùm lacus inferior sit traiiciendus, deinde Danubius, & postea planities montanæ ad syluam perducant. Lacum porrò illum, à quo Tyberius (teste Strabone) progressus est ad Danubii fontes inspiciendum, Nauclero verissima coniectura vel Constantiensis, vel Celtensis lacus videtur esse. Hinc Niger non procul à Rheno & Brigantino lacu ex monte Rauraco Danubium oriri dicit. Nam Brigantinus lacus idẽ est, qui & Podamicus (*Bodensee*) & Constantiensis appellatur. Elegans extat Ausonij epigramma gratulatorium de fonte Danubij per Valentinianum & Gratianum reperto, occasione victoriæ cuiusdam de Alemannis. Alloquitur amnis Valentinianum & Gratianum hoc modo,

Hercyniæ syluæ fontes Istri & Rheni proximi sunt.

Strabonis locus restituitur.

Lacus à quo Tiberius progressus est ad Danubij fontes quis.

Brigãtinus lacus

Epigramma de fonte Danubij.

Danubius penitus caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo.
Quà gelidum fontem medijs effundo Sueuis
Imperijs grauidas, quà seco Pannonias.
Et quà diues aquis Scythico solus ostia Ponto
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.

Hinc congruenter Gottfridus Viterbiensis cecinit,

Actaque Sueuorum de pòst, & bella canamus,
Fons ibi Danubij primum nanciscitur ortum.

Claudianus,

—sublimis in arcton.
Prominet Hercynæ confinis Rhetia syluæ.
Quæ se Danubij, iactat, Rhenique parentem
Vtraque Romuleo prætendens flumina regno.

Ammianus, Amnis, inquit, Danubius prope Rauracos montes limitibus Rheticis per latiorem orbem protentus, &c. Plin. lib. 4. cap. 12. Ortus in Germaniæ iugis mõtis Abnobæ, ex aduerso Raurici (in quibusdã exemplaribus est Taurici, sed Raurici legendum Hermolaus monet) Galliæ oppidi, multis vltra Alpes millibus, &c. Solinus Pliniũ sectatur. Ex recentioribus Petrus Marsus, & Silius Rauricum aduersus, Regmundus Martianus à monte, qui Irenicus dicitur, nõ longè à Rheticis Alpibus inter Tridentinam & Curtensem diœceses Danubium oriri dicunt. Boccatius in iugis Noricis ejus initia statuit. Hos antequam vlterius progrediar, similiter atque antea feci, generaliores Danubii fontes paululum expendam. Prima est Sueuia, cui Danubii ortus tribuitur, quæ (vt Nauclerus multis testimoniis probat) sola Alemannia olim dicta fuit, Germaniæ portio suprema, & (vt idem inquit) sola duobus fluuiis totius Germaniæ clarissimis, Rheno atque Danubio irrigatur, quorum alter modico flexu Occidentem versus Oceano miscetur, alter è diuerso in Orientem defluit. & paulò pòst, Sueuiæ deberi ortum Danubii etiam vetustissimorum scriptorum authoritate constat, qui Sueuiam omnem multò melius atque commodius, quàm Alpes in duas secat partes. Eadem de re vide Rhenanum libro 1. rerum Germanicarum. Secunda est Rhetia, cui similiter ab authoribus commemora-

Ammiani de Danubij ortu sententia.

Plinii.

Petri Marsi.

Marliani.

Boccatii.

Sueuia olim Alemãnia sola dicta

Sueuiæ, ortus Danubii deberi, cùm eo Sueuia irrigetur.

tis, Danubii fontes adſcribuntur. Vnde Rheticus à Bartholino cognominatur. Rectè hoc quoque, quoniam (vt Nauclerus probat) Rhetia eadem eſt quæ Sueuia prima ſiue ſuperior dicitur, quam quia Rhenus ab vna parte circumfluit, Iſidorus & Bartholinus Rhenenſem appellarunt, cuius duæ ſint nobiliſſimę vrbes Auguſta Vindelica, & Conſtantia. Idem Nauclerus (vt paulò antè dictum) Danubio Sueuiam inferiorem ſiue ſecundam, à Sueuia ſuperiore ſiue prima, olim Rhetia dicta, diſterminari tradit. De Sueuia, item Rhetia duplici prima & ſecunda, &c. vide plura apud Rhenanum libro 1. rerum Germanicarum, & cæteris in libris. Tertia eſt ſylua Hercynia, quæ ex quorundam opinione Danubii ortum ſibi vendicat, optimo illa quoque iure. Sylua hæc Orcynia antiquitus à Germanis appellata, poſtea Martiana. Hanc (teſte Suida) Iulianus Auguſtus perluſtrauit, ex Rauracis ad Danubium profectus. Nauclerus, Inferior, inquit, Sueuia à ſuperiore diſcernitur Iſtro. Prope fontes eius fluminis, præclara eſt ſylua, accolę Nigrum appellant. Hanc caput Hercyniæ ſyluæ eſſe volunt. Huius latitudo (authore Cæſare) nouem eſt dierum, longitudo verò ſexaginta. Oritur autem à finibus Heluetiorum, Nemetum (Rhenanus Vennetum legendum probat) & Rauracorum (Rhenanus Tauracorum, Beroaldus, Tauriacorum legunt) rectáque fluminis Danubij regione peruenit ad fines Dacorũ, atq; Auarũ. Siue (vt alii eã deſcribũt) ab Heluetiorũ & Rauracorũ finibus, vſq; ad Riphæos montes, & Mœotim ipſáque Aſiæ cõfinia protẽditur, in quo toto ſpatio, multi ſunt iíque maximi montes, à quibus plurima & maxima flumina, vt Ariſtoteles ait libro 1. Meteor. & vt idem in Admirab. ipſe quoque Danubius oritur. Nauclerus paulò pòſt, Sueuia, inquit, inferior ſupra caput Danubij incipit, Hercyniáque ſylua mox ſequitur, quæ ſe in duo brachia extendit. Pars quæ Rhenum ſpectat, Nigra ſylua, caput Hercyniæ dicitur, quæ verò Danubium ſequitur, Alpes dicuntur Hercyniæ portio, authore C. Iulio, nam rectè Danubium ſequitur, vt ipſe ait. Ex his apparet rectè ipſi quoque Hercyniæ ſyluæ ob vicinatem, vt & Sueuiæ, & (quæ eius pars eſt) Rhetiæ aſſignari. Syluæ autem illius pleniorem deſcriptionem vide apud Rhenanum, Nauclerũ, Glareanum, necnon Pellicanum Tigurinum, in Comment. in Cæſarem. Quarti ſequuntur Raurici, ſiue Rauraci, montes Ammianus appellat, Plinius Rauricũ oppidum. Rauracos ſiue Rauricos Nauclerus, Rhenanus & alii Baſilienſes interpretantur. Rauricum autem oppidum (cuius meminit Plinius) veriſimile eſt eſſe Auguſtum Rauricorum, vrbs olim ampliſſima, hodie vicus, quem Ptolomæus cum Argentuaria hodie Horburgum dicta, inter Rauricorum oppida enumerat. Ergo cùm Raurico populo, tum illorum metropoli Raurico, ob vicinitatem Danubii fontes non iniuria tribuuntur. De Rauricis autem & Raurice, ſiue Auguſta Rauricorum, vide Rhenanum libro 3. rerum Germanicarũ. & alibi. Sciendum quoque apud Plinium, Marcellinum, Solinum, & alios pro Rauricis Tauricos legi, in quibus locis emendandis & corrigendis, docti quidam ſeſe diligentes præbuerunt. Sunt autem (teſte Rhenano libro 3. rerũ Germanicarum) Taurici, ſiue (vt quidam ſcribunt) Tauraci, ſiue (vt alii) Tauriaci iidẽ qui Turgaui, *Durgovvoer* ab amne Turo, ſiue Tauro *die Tur* ſic appellati, qui olim ſub Sueuorum ditione fuerunt. Quum igitur Taurici, ſiue Tauraci tam ſint vicini Danubii fontibus, quàm Raurici, ſiue Rauraci, non multum equidem intereſſe exiſtimarim ſiue Rauricos, ſiue Tauricos apud authores illos legamus. Boccatius in Noricis illum dicit oriri, quoniam illi quoque Sueuiæ, Hercyniæque ſyluæ, ac per conſequens, ipſis quoque Danubii fontibus vicini ſunt atque finitimi. Nunc (ſi fieri poteſt) ad ſpecialiſſimos (vt ita loquar) propriósque Danubii fontes accedamus. Plinius, vt paulò antè dictum in Germaniæ iugis montibus Abnobæ, Ptolom. ſimiliter ex Abnoba monte. Tacitus ex molli & clementer edito montis Arbonæ iugo Danubium ortum ſuum habere teſtatur. Hinc Dionyſ. quoque Arbonam montem Iſtri patrem appellat.

Rhetia eadẽ eſt quæ Sueuia. *Auguſta. Conſtantia.* *Hercynia ſylua Danubii ortum ſibi vendicat.* *Syluæ Hercyniæ nomina.* *Hercyniæ ſyluæ longitudo & latitudo.* *Nigra ſylua.* *Raurici ſiue Rauraci.* *Rauricũ oppidũ.* *Emendantur loca quædam.* *Taurici qui.* *Vnde dicti.* *Taurici tam vicini fontibus Danubij, quàm Raurici.* *Specialiſſimi propriique Danubii fontes.*

ſe-

ſecundum interpretes Latinos, in Græco non eſt. Martianus Capella, Hiſter, inquit, fluuius ortus in Germania de cacumine montis ad nouem ſexaginta amnes aſſumens, etiam Danubius vocatur, vbi Rhenanus pro ad nouem Abnouam legendum eſſe acutè rectéque tradit. nam non multum intereſt ſiue Abnoua, ſiue Abnoba ſcribatur. Ex recentioribus Bartholinus quoque, Sabellius libro 2. Ænead. Picus in carmine de cruce, Dracontius, Glareanus, Irenicus in eodem monte Danubii originem ſtatuunt. Montis autem huius nomen ita variè apud authores ſcriptum reperitur, vt quænam ceu vera atque germana illius lectio retinenda ſit, iurè dubitari poſſit. Sed tamen hæc ipſa nomina variè licet ſcripta ad vnum eundémque locum ſignificandum pulchrè admodum probéque inter ſe conueniunt. Apud Ptol. ἀϐνοβα in plural. dicitur, hinc alii in ſingulari quoque Abnobam, atque etiam Abnobium appellant. Quoniã autem literarum b atque u facilis & crebra ſolet eſſe cõmutatio, hinc nonnulli Abnouum, item Abnoniũ atque Abnouium ſcribunt atq; enuntiant. Hinc quoque, vt ſuprà dictum, & priſcum nomen vernaculum *Abnauv*, & præpoſito articulo, recens *Danauv*, quis dubitet fuiſſe deriuatum? quippe cùm, vt ſuprà dictum, Latinè quoque hic fluuius & Danubius per b, & Danuuius per u (quaſi Abnobius ſiue Abnubius) ſcriptus reperiatur. Præterea Abnouæ vocabulum Germanicum, *ab* in *au* mutato, vt Rhenanus lib. 3. rerum Germ. & Peucerus in ſuis Chronicis teſtantur, quemuis locum paſcuum, ſiue is ſit mons, collis, ſiue campus atque vallis, ſignificat, quem noſtrates *Au* Augiam vocant. Eiuſmodi autem eſt locus ille, vbi Danubius oritur, paſcua habet creberrima multa pecora. Hanc eandem ob cauſam illa regio Albia quoque ſiue Alpia dicitur. Alpes, inquit Nauclerus, in latere Septentrionali Danubium comitantur. Mons eſt ferè perpetuus, haud longè à Danubii fontibus incipiens, in Orientem vergit. Sortitur autem varia nomina, in capite Scherra dicitur, deinde Alpes, poſtea Albuch, poſtremò *Hort feld* appellatur. Idẽ paulò ante. Ager, qui Danubio irrigatur, & qui Auguſtam, Alpéſque Iſtro adiacẽtes reſpicit, vinetis caret, cætera copioſè profert. Reliqua pars vicinior lacui Conſtantienſi vites nutrit, remotior autem, Albogoia dicta, ad Alpes Rheticas vſque percurrens, lõgè latéque paluſtris, & nemoroſa eſt, diues pecorum, lacte & carne abundat, linóque facit quæſtum maximum, &c. Ex his apparet regionem hanc ob paſcuorum pecorúmque copiam Albiam ferè dici: nam Alpium vocabulum apud Germanos montana paſcua ſignificat, vnde *zu alp faren*, eſt pecora in montana paſcua ducere, quemadmodum & D. Simlerus in ſuo opere, & ipſe vſus experientiáque quotidiana docent. Hanc ob cauſam Tſcudus non dubitat affirmare montem hunc Albonam potius, quàm vel Abnouam vel Arbonam legendum enuntiandúmque eſſe. Ex his quoque adhuc clarius apparet atque elucet, quàm illi qui Alpibus Danubij fontes aſcripſerunt, minimè à verò aberrarint. Præterea hic idem mons Arbona, vt ferè apud Tacitum, item Arnoba, vt ferè apud Plinium, ſcribitur. Quæ vox iiſdem planè literis paululum tranſpoſitis Baronam facit, inde per apocopen fit Bar, quod nomen eſt proprium illius regionis vbi Danubiũ volunt oriri. Ab hoc autem ipſo Baronæ vocabulo, quam Herod. & Ariſtot. Pyrene, vbi illi Danubii fontes collocant, parum diſcrepat, vel ipſarum aurium ſatis idoneum videtur eſſe iudicium. Hinc illius regionis Baronæ, quæ eſt ſub ditione illuſtriſſimorum comitum à Furſtenberg, incolæ Vargiones quaſi Bargiones à Ptolem. tab. 4. Aſiæ appellantur. Nunc tandem proximè quidem ad fluuii huiuſce fontes acceſſiſſe, nondum tamen illos digito, vt ita loquar, mihi attigiſſe aut demonſtraſſe videor. Adhuc enim de propriis Danubii fontibus inter doctos controuerti, ac duas omnino opiniones eſſe video. Nauclerus quidem, Vadianus, Munſterus, Cuſpinianus, & pleriq; alii in pago notiſſimo, qui Doneſchingen, hoc eſt, Danubii Eſchingen, ſiue, vt Cuſpinianus interpretatur, Danubii lotio

Abnobium.

Abnouium.

Danubij vocis etymon.

Locus vbi Danubius oritur paſcua habet.

Varia nomina eius montis in quo Danubius oritur.

Ager qui Danubio irrigatur partim vinetis caret partim vites habet & paſcua reliquáque ad vitam neceſſaria.

Arbona, vel Arnoba idem eſt ac Barona, ac per apocopen Bar in quo loco Danubiũ oriri volunt.

Barona in ditione Comitum à Furſtenberg.

Nonnulli in pago Doneſchingen Danubij fontem eſſe volunt.

appellatur,non procul à Rottuila atque Schaffusia distans, Danubii fontem esse affirmant. Fons is est insignis atque perpetuus, & paruis muris inclusus, longitudine circiter vigintisex pedum, latitudine decẽ & octo. Estque in medio pago, in colliculo quodam vix, teste Munstero, quindecim aut sexdecim cubitis alto, mill.ferè pass.interuallo à quodam eiusdem pagi templo. Altera est sententia Glareani,quam Scheggius quoq; videtur approbare, qui in suis comment. in Cæsarem non in illo pago Doneschingen,sed in iugo siue cacumine montis,qui non procul à pago illo abest,duobus fontibus vult oriri, quorum alter Bryga,alter Brega nominetur,qui ambo influunt in eum,qui Danubii nomen obtinet,à quo non longè etiam distant. Non est autem absurdum (vt ipsum quoque Rheni exemplum docet) vnius eiusdémq; fluuii duos fontes statui. Hæc Glareani opinio cum ratione, nam, vt ille inquit, superior potius quàm inferior fons iudicari debet, tum veterum authoritate niti videtur, qui ad vnum omnes non in plano aliquo,sed montano, mediocriter tamen atque clementer edito, vt Strabo & Tacitus, aiunt, Danubium oriri tradiderunt. Huc facit Cuspiniani quoque testimonium,qui licet ipse quoque, vt paulò antea dictum est, secundum communem opinionem Danubii fontes in pago Doneschingen collocet: tamen vacillare atque fluctuare videtur, vt ex his illis verbis,quæ subiiciam patet. Duobus mox inquit infrà fluminibus augetur, quorũ origo altius ex iugo Herciniæ syluæ deriuatur, quorum alterũ Persch, alterum Perschlingen vocant accolæ, duobus millibus pass. alemannicis supra Vlmam imperialem vrbem,propè Phullendorf. Et hinc nata est ambiguitas de origine Danubii,an in præfata villa Doneschingen, an ad radices Herciniæ, vbi Persch,& Perschlingen nascuntur,ortum habeat Danubius, id quod veteres (subintelligo,Glareanum,& alios huiusmodi) dubitabant. Flumina enim illa maiora sunt quàm tenuis ille ortus propè villam. Et ideò quidam putant hîc potius oriri Danubium quàm illic,& coniectura est aptior. Contrà tamen Bartholinus sic canit,

Danubij fons qualis.

Alij Danubium ex duobus fontibus Bryga & Brega oriri volunt.

Dubitatur num Danubius in pago Doneschingen an ad radices Herciniæ nascatur.

Hic ortu gelidis sacro caput exerit vndis,
Ex leui,sic fama,iugo,fuit Abnoba nomen,
Olli,sed vocem iam mutauere priorem,
Monte sub aerio,quos Rhetia pascit, Adula, Et paulò pòst,

Nec (quamuis Perses descendat ab Alpibus amnis,
Et fontem Abnobium cursuq; augescat,& vndis.)
Credimus hoc non esse caput,&c. Hæc ille. Equidem cùm Tubingã literarũ gratia proficiscens per pagum illum Doneschingen iter fecissem, nihil mihi prius aut antiquius fuit,quàm vt Danubii illos fontes inspicerem, quos non solùm inspexi,verùm etiam,licet ieiunus adhuc,ex iisdem bibi. Quòd si fontes illos controuersos adhuc esse inter doctos sciuissem, plus equidem & temporis & diligentiæ in locis illis contemplandis fontibúsque indagandis posuissem, cuius adhuc forsan aliqua sese mihi offeret occasio. Sed quid dico de me? Cùm nobilissime Ioannes (te enim hîc rursus appello) & Hufingen pulchrum vestræ familię oppidum,non procul ab his fontibus Danubii,qui vulgò creduntur,absit,& circumquaque quidam vestri sunt pagi,arces,agri,possessiones,ita vt Danubii fontes vestra sint aliqua ex parte possessio, tua profectò doctrina, antiquitatum historiarúmque studio dignissimum fuerit in tuis illis ferarum venationibus, nonnihil fontis huius venationi inuestigationíque laboris studiique impertire. Moneant te quoque exempla & Tiberii imperatoris, qui teste Strabone à lacu illo, vt suprà dictum, ad fontes hos inspiciendos accesserat, & aliorum veterum, quos, vt Munsterus quoque testatur, tanto fluuii huius celeberrimi primordia visendi studio flagrasse legimus, vt etiam nonnulli è Roma vsque in Nigræ seu Hercyniæ syluæ perplexa loca sese cum maximis difficultatibus atque periculis conferre minimè dubitarint. Non est etiam hîc silentio

Hufingen non procul à fontibus Danubij oppidũ.

lentio prætereundum Nicri (quem Neccarum vulgò appellãt) atque Rheni, duorum nobilissimorum fluuiorum fontes Danubii fontibus vicinos esse atq; finitimos. Quoad verò illius progressum siue decursum (quod tertium est nostræ tractationis caput) Herodotus lib. 4. post ortum suum, inquit, totam emensus Europam, ex aduerso Scythiam ingreditur. Idem lib. 2. illum post ortum suum mediam Europam scindere, totámque emensum, quam Istriani Milesiorum coloni, regionem incolunt, mari Euxino finiri, ac quoniam per terrã fluit habitatam, inter priores cognosci testatur. Strabo lib. 7. Istrum Europam primo in duas partes scribit diuidere, à sui primordio in Austrum labi, indéque ab Occidente statim ad Orientem curuari in Pontum. Idem lib. 2. Post Italiam autem, inquit, quæ ad ortum reliqua sunt Europæ, bifariam diuiduntur Istro flumine. Fertur enim hic ab Occasu in ortum, & in Euxinum Pontum, à sinistra relinquens Germaniam omnem incipientem à Rheno, Geticúmque terram, & quod est Tyrigetarum & Bastarnorum atque Sauromatarum vsque ad flumen Tanaim, lacúmq; Mœotidem. A dextra verò Thraciam esse & Illyricum reliquámque vltimam Græciam. Vadianus in Melam. Inde (.s. à pago Doneschingen, vbi oritur) prolapsus diuagatur in palustria, mox in alueum receptus, & subinde allabentibus riuis auctior Vlmam petit. Munsterus illum primò rectà ortum petere, ac Bauariam, Austriam, Vngariam percurrere. Idem alio in loco, nullum ab eius origine Vlmam vsque in eo negotium exerceri, decẽ circiter milliarium interuallo, testatur, nisi quod lignis deferendis & piscationibus inseruit. Ab Vlma verò frequentiorem deinceps Danubii vsum atque nauigationem esse tradit. Vallis quoque Danubii, eodem teste, quæ à fontibus eius Vlmam vsque excurrit, plurimis oppidis, castris, monasteriis, exculta est atque exornata. Incredibile est autem dictu quàm longinquum per innumeras gentes regionésque cursum conficiat, antequam in Pontum Euxinum exoneretur. Hinc Tacitus illum plures populos adire Marcell. per latiorẽ orbem protendi, Mela per immania gentium delabi testatur antequam in Euxinum erumpat. Flaccus lib. 8.

Danubij progressus ex Herodoti sententia.

ex Strabonis sententia.

Vadiani sententia.

Munsteri sententia.

Vallis Danubij à fontibus Vlmã vsque plurimis oppidis & gentibus ornata est.

Quod varijs auctorum sentẽtijs probatur.

Toruus vbi & ripa semper metuendus vtraque,
In freta per sæuos Ister descendit alumnos.

Bartholinus,

Extemplo sed aquis fluuiorum exauctus, oberrat.
Immanes populos, & regna exortia gentis.

Aristot. lib. 1. Meteor. Istrum fluuium Germaniæ admirabilem asserit ad Boream maximè discurrere, ac Pœonas lambere. Hos Appian. lib. de bello Illyric. Pannonias dicit à Romanis appellari, & nationem esse ingentem, circa Istrum per longum incolentem ab Iapodum populis supra Dardanos protendi. Arrianus lib. 1. de rebus gestis Alexandri Mag. inquit, Fluuium hunc omniũ quidem longè maximum eorum qui in Europa sunt, longissimo tractu per terras excurrere, gentes bellicosas præterlabi, & eas magna ex parte Germanas, ex quibus ipsius amnis fontes oriuntur. Earum gentium postremi sunt Quades, ac Marcomanni, deinde Iazyges, Sarmatarum gens, post hos Getæ, deinde Sarmatarum magna gens, postremò Scythæ, iique ad exitum fluminis pertinent, vnde per quinque ostia in Pontum Euxinum effluit. Eustath. in Dionys. omnium diligentissimè nationes per quas Ister labitur commemorat, Istro inquit adiacent hæ gentes, Germani, Sarmatæ, Getæ, Bastarnæ, Dacorum ingẽs tellus, Alani, Tauri, qui colũt Achillis cursum, Melãchlæni, Equimulgi, Neuri, Hippopodes, secundum quosdam Zagari, Geloni & Agathyrsi, & hi sunt Boreales. Ad Austrum verò adiacent Istro Gerræ, & Noricæ ciuitates munitæ, Pannonii secundum quosdam Bulgari, Mysíque Septentrionaliores Thracibus, ipsíque Thraces immensam terram habitantes. Hæ sunt gentes atque regiones per quas Ister labitur, de quarum moribus, ritu, habitu, cultúque vide

Danubius in Pontum Euxinũ per quinque ostia effluit.

Danubius imperij Romani terminus & limes. plura apud Dionyſ. eiúſque interpretem, necnon Pomp. Melam. Fuit hic fluuius ſecundum communem omnium ferè ſcriptorum ſententiam imperii Romani limes atque terminus. Eius rei teſtes ſunt Appianus, Alexander, Dion Græcus, Ambroſius in Hexamer. Seneca lib. 4. Natural. quæſt. Medius, inquit, inter pacata & hoſtilia fluit Danubius & Rhenus, alter Sarmaticos impetus cohibens, alter Germanos auidam gentem belli repellens. Idem teſtatur Gellius lib. 10. cap. 7. Idem, teſte Irenico, Varrone, Lælio, Salluſtio, ac Ammonio viſum, quò alludit Ouid. lib. 2. Triſt.

Ne timeam gentes, quas non benè ſummouet Iſter. Item,
Danubij medijs vix prohibentur aquis.

Idem eodem in libro,

Hactenus Euxini pars eſt Romana ſiniſtri,
Proxima Baſtarnæ, Samomatæq; tenent.
Hæc eſt Auſonio ſub iure nouiſſima, víxq;
Hæſit in Imperij margine terra tui.

Danubij dextra ripa Romana, ſiniſtra Barbarica fuit. In Danubio dextram ripam Romanam, ſiniſtram Barbaricam fuiſſe, Rhenanus lib. 1. rerum German. probat ex Mamertino de Iulio Cæſ. per Danubium nauigante. Vnus præterea idémque fluuius & Illyrici Occidentalis fuit limes, *Danubius Illyrici Occidentalis limes & Rhetiæ atque Germaniæ.* & Rhœtiæ atque Germaniæ. Ac limitis quidem Illyrici Occidētalis ſiue Iſtri gentes, Sidonius Apollinaris in Panegyri ſua ad Maioranum Auguſtum his carminibus complexus eſt:

Gentes limitis Illyrici Occidentalis ſiue Iſtri.

Illic aggrederis, quod nullus tempore noſtro,
Auguſtus potuit, rigidum ſeptemplicis Iſtri,
Agmen in arma rapis: nam quicquid languidus axis,
Cardine Sithonio ſub Parrhaſe parturit Vrſa,
Hoc totum tua ſigna pauet. Baſterna, Sueuus,
Pannonius, Neurus, Chunus, Geta, Dacus, Alanus,
Bellonothus, Rugus, Burgundio, Veſus, Alites.
Biſalta, Oſtrogothus, Procuſtes, Sarmata, Moſchus.
Poſt aquilas venere tuas tibi militat omnis,
Caucaſus, & Scythicæ pater Tanaiticus vndæ.

Rhœticus ſiue Germanicus limes. De hoc limite, eius reſtitutione vide plura apud Lazium lib. 1. cap. 8. Rhœticū autem ſiue Germanicum limitem ipſum quoque ad Danubium fuiſſe extra Illyricum eodem in libro probat. Hunc tamen, inquit, authores paſſim, magis Rhœticum, atque Germaniæ limitem, quàm Iſtri appellant, eo quòd Danubii nomenclatura flumini ad Illyrici fines modo, qui ad OEnum fuere, manſerit quondam, qui deinceps per Pannonias, Mœſias, & Thraciam non Danubius ſed Iſter appellabatur. Vide de hoc limite plura cap. 8. Cuſpinianus curſum illius Vlmam vſque lentum eſſe, poſtea incitatiorem teſtatur. Idem affirmat Tacitus, qui illum primo molli fluxu atque clementer fluere ſcribit. Vortex Danubii nobilis periculíque pleniſſimus eſt in Auſtria iuxta vrbem Crembs appellatam, quò naues niſi ſumma adhibeatur cautio ceu tartaro quodam abſorbentur atque demerguntur: quamobrem vectores periculi vitandi ſuæque ſaluti conſulendi gratia vbi ad illum locum peruentum fuerit ex nauibus exire, terráque per illum locum iter facere conſueuerunt. Nobiles præterea ſunt non minus quàm Nili, Rheni aliorúmq; fluuiorum, huius quoque fluminis cataractæ, quas Suidas his verbis deſcribit, Cataractæ, inquit, petræ ſunt in Danubio fluuio montis inſtar ſub aquis natæ, latæque, ſuper quas fluuius ille incidens magno cum ſtrepitu repercuſſus ad ſcopulos reſonat. Niger cataractas iſtas ſiue præcipites curſus prope Axium ciuitatem eſſe teſtatur, vbi ex altiſſimo ſaxo eum dicit cadere. Sequitur nunc, vt de illius quantitate verba faciam. Ab initio ortus ſui per quam eſt exiguus, ita vt, quemadmodum Cuſpinianus inquit, & ipſemet vidi, vix ſit anſeribus nauigabilis, non dignus vt fluuius nominetur. Hinc Arrianus quoq; lib. 8. ſuæ hiſtoriæ de Alexand. Mag. duobus in locis, necnon Ælianus veriſſimè fontem illius paruum dixerunt eſſe, & Auſonius

Curſus Danubij Vlmam vſque qualis.

Danubij vortex periculoſus iuxta vrbem Crembs.

Cataractæ Danubij quales.

Danubij quantitas.

Danubij ortus perquam exiguus.

ſonius hunc pariter atque Rhenum fonte breues appellat. At verò paulatim aliis atque aliis allabentibus auctus fluminibus, mox in immenſam magnitudinem excreſcit. Fluuius itaque hic clara eſt & illuſtris omnium rerum humanarum imago, quæ à paruis ductæ initiis in immenſum ſæpe creſcunt, auctæque plurimum tandem ſubitò, vnóque quaſi momento extinguuntur, atque euaneſcũt. Sic quoque licet adeò tenuia ſint atque exilia fluminis huiuſce primordia, tamen idem mox in admirandam ſeu potius ſtupendam magnitudinem excreſcit, tandémque in Euxino mari quaſi euaneſcit. Ac illius quidẽ magnitudinis, cùm ipſa experientia, tum innumeri ſcriptores teſtes ſunt locupletiſſimi. Herodotus libro 4. omnium quos ipſe quidem norit, maximum illum ſibi videri ait. Strabo libro 7. Philoſtratus lib. 3. Arrianus noſter lib. 1. de Alexandro Magno, aliíque fluuium hunc omnes Europæ fluuios magnitudine ſua ſuperare contendunt. Ælianus quoque libro 14. cap. 23. Europæorum fluuiorum maximum regémque appellat. Idem teſte Irenico, Hipparchus, Polybius, Herodotus, ex Latinis Ammianus, Seneca libro 3. Ambroſius in Hexamer. Valer. Flaccus libro 8. Oroſius libro 1. cap. 25. Ammonius in hiſtoria Francorum lib. 1. affirmant. Quum verò tres ſint quantitatis dimenſiones, longitudo, latitudo, profunditas, ſecundum illas omnes Danubium cæteris ferè omnibus Europæ fluuiis antecellere plerique ſcriptorum teſtantur. Quoad latitudinem, εὐρὺς ab Apollonio, latus ab Ouidio, quaſi κατ' ἐξοχὴν appellatur. Philoſtratus libro 3. Hyphaſim Indiæ fluuium illi latitudine æquat. Illius præterea longitudinem à fontibus, vſque ad oſtia Iornandus mille ducentorum millia paſſuum eſſe collegit. Denique eiuſdem profunditatem & altitudinem idem Iornandus pluribus in locis ducentorum pedum eſſe ſcribit. Vnde non immeritò ab Apollonio περιβαθὺς, ab Horatio lib. 4. κατ' ἐξοχὴν profundus fuit appellatus.

In immẽſam magnitudinem auctus fluminibus excreſcit.

Danubius rerum humanarũ imago.

Danubij magnitudo ex diuerſis authoribus probatur.

Danubij latitudo.

Hyphaſin Danubio in latitudine nonnulli æquant.

Danubii longitudo, profunditas, & altitudo.

Non qui profundum Danubium bibunt.

Danubium ſæpe ab authoribus cum Nilo comparari video, cùm quoad quantitatem, tum inundationem, oſtiorum numerum atque alia, de quibus poſtea. Quod autem ad quantitatem attinet, magna eſt inter ſcriptores cõtrouerſia, vter magnitudine præſtet. Omnium fluminum, inquit Gellius libro 10. cap. 7. quæ in maria, qua imperium Rom. eſt, fluunt, quam Græci τὴν ἔισω θάλασσαν, id eſt, internum mare appellant, maximum eſſe Nilum conſentitur, proxima magnitudine eſſe Iſtrum, ſcripſit Salluſtius. Varro autem, quum de parte orbis (quæ Europa dicitur) diſſereret, in tribus primis eius terræ fluminibus Rhodanum eſſe ponit, per quod videtur eum facere Iſtro æmulum. Iſtrus enim quoque in Europa fluit. Huic aſtipulatur Auſonius, vt ex hoc illius diſticho apparet,

Danubius cũ Nilo comparatur.

Dubitatur vter ex his duobus magnitudine præſtet

Tria præcipua Europæ flumina.

Illyricis regnator aquis, tibi Nile ſecundus
Danubius, lætum profero fonte caput.

Mela ſoli Nilo Danubium cedere teſtatur. Idem ſenſerunt Iornandus in libro de regibus Gothorum, & Claudianus. Herodotus libro 2. illum Nilo dicit comparari. & lib. 4. Si conferantur inter ſe, inquit, Nilus aquarum copia antecellet, quum in eum nec fons, nec flumen incidat, ad eius incrementum conferens. Alij tamen Iſtrum Nilo magnitudine haudquaquam cedere exiſtimarunt, vt Celtes. Idem ſenſiſſe videtur Ouid. lib. Triſt.

Ipſe papyrifero qui non anguſtior amne
Miſcetur vaſto multa per ora freto,

Idem in Ponto,

Innumeríque alij, inter quos maximus amnes
Cedere Danubius ſe tibi Nile negat.

Scaliger de re poetica. Lucanus inſanit verò in alia collatione.

Nec minor hic Iſtro, niſi quòd dum permeat orbem

Ister. casuros in qualibet æquora fontes
Accipit,& Scythicas exit non solus in vndas.

Nam qui vtrunque flumen norit, nequaquam hæc æquo animo ferre queat. *Ister & Padus.* Primùm hoc ipso fluuiorum regem potuit appellare Maro, cui tot clari fluuij seruiãt, deinde quis nõ videt lõgè pauciores amnes in Istrũ ferri, quàm in Padũ? Sanè totidẽ sunto. neque. n. riuos omnes habemus in numerato. Verùm tãti sũt illi qui in Danubium erũpunt, vt etiã nõ minores sint Pado ipso. quippe quorum aliquot vidimus, inter quos Vag permagnus est, maior Saua: Tibiscus verò atque Draua longè maximi. Padus autem, nisi alienas acciperet aquas, quid esset ille tandem? pusillo nanque atque ignobili de fonte exit, adeò humilis, vt ne ripas quidem vllas habeat, vix primorum articulorum vestigia equi nostri in eo tingebant.

Antequam ad causam magnitudinis (quæ est copia innumerabilium fluuiorum in eum influentium) accedam, alia quædam prius quę ad quantitatem eius spectant explicabo. *Quorundam quæ ad Danubæ quãtitatem faciunt explicatio.* Huiusmodi est id quod Herodotus libro 4. illum sibi semper parem & æqualem fluere testatur. cuius sanè rationem huiusmodi affert. Quod Ister (inquit) sibi semper par fluit, tam æstate quàm hyeme, ob id fit (vt mihi videtur) quòd hyeme est, quantus est, aliquantulo maior quàm sua natura fert. Nam per hyemem paululum in ea regione pluit, sed vbique ningit. Æstate verò nix, quæ sub hyemem decidit permulta, vndique in Istrum liquefacta dilabitur, eúmque implet, nec ipsa solùm, sed cum ea imbres multi atque vehementes. Quippe per æstatem pluit, quo tempore quantò plus aquę Sol ad se attrahit quàm hyeme, tantò plus aquæ cum Istro miscetur ęstate quàm hyeme. Ita quum paria faciat Ister datis aquis & acceptis, fit vt semper videatur esse sibi similis. Hæc ille. Quòd autem Herodotus inquit illum hyeme aliquantulò maiorẽ esse, quàm æstate, *Quidam Danubium hyeme aliquantulò maiorem esse quàm æstate alÿ cõtrà asserunt.* Philosophi nonnulli illum contrà æstate quàm hyeme maiorem esse affirmarent, de quo illud refutãs, sic Seneca lib. 4. Naturalium quæstionum scribit. Quæritur, inquit, Quid ita Nilus æstiuis mensibus abundet. Cui Danubium similem habere naturam philosophi tradiderunt, quòd & fontis ignoti, & æstate quàm hyeme maior sit. Vtrunque apparuit falsum. Nam & caput eius in Germania esse comperimus, & æstate quidem incipit crescere, sed adhuc manente intra mensuram suam Nilo primis caloribus, quum Sol vehemẽtior inter extrema veris niues emollit, quas antè consumit, quàm intumescere Nilus incipiat. Reliquo verò æstatis minuitur, & ad hybernam magnitudinem redit, atque ex ea dimittitur. At Nilus ante ortum caniculæ angetur mediis æstibus, vltra æquinoctium. Hæc ille. Ob exundationes quoque suas sæpe Nilo comparatur. *Horrendæ Danubii exundationes* De horrendis autem Danubii exundationibus, illustris descriptio apud eundem hunc authorem eodem libro continetur, quæ sic habet: Quid tu esse, inquit, Rhodanum, quid putas Rhenum atq; Danubium, quibus torrens etiam in canali suo cursus est, quum superfusi nouas sibi fecere ripas, ac scissa humo simul excessere alueo? Quanta cum præcipitatione voluuntur, vbi per campestria fluens Rhenus, ne spatio quidem languidus, sed latissimè velut per angustum aquas implet? Qúmque Danubius non iam radices: nec media montium stringit, sed iuga ipsa solicitat, ferens secum madefacta montium latera, rupésque deiectas, & magnarum promontoria regionum, quę fundamentis laborantibus à continente recesserunt. Deinde non inueniens exitum, omnia enim sibiipse præcluserat, in orbem redit, ingentem terrarum ambitum atque vrbium vno vortice inuoluit. Hæc Seneca. *Istri magnitudinis causa.* Nunc ad causam magnitudinis Istri explicandã accedamus, ea est (teste quoque Herodoto) innumerabilium fluuiorum copia, qui cum hoc fluuio committuntur...

scentur, quos Plinius, Solinus, Marcellinus, Isidorus, Boccatius, Ruffus, Albertus Magnus, Martianus, Bartholinus, Cuspinianus & alii circiter 60. numerãt. Atque ob hanc quidem tot amnium cum Danubio coniunctionem, peruulgato

gato quodam atque honesto versiculo Germanico omnium fluminum coniunx appellatur.

Danubius omnium fluminum coniunx dicitur.

Die Donavv, Ist aller vvasseren fravv,
Der Rhyn, mag mit eeren vvol irer man syn.
Ister cunctorum fluuiorum iure vocetur
Coniunx, cui Rhenus iure maritus erit.

Hæc autem sexaginta & amplius flumina cùm Richardus Bartholinus lib. 4. Austriad. elegantissimo carmine, tum Cuspinianus oratione soluta descripsit. Vtramque descriptionem coniunctim seu alternatim subiicere volui, additis etiam aliis quibusdam. Richardus,

Perch.

Principiò ante omnes Persæ cursibus vndæ
Conueniunt aquis.

Perschlingen.

Cuspinianus, Danubius mox paululũ infrà duobus augetur fluminibus, quorum origo altius ex iugo Hercyniæ syluæ deriuatur: quorum alterum Perch, alterum Perschlingen vocant accolæ, duobus mill. passuum Alemanicis supra Vlmam Imperialem vrbem, prope Phullendorff. Richardus,

Hilarus.

—& Campidunius Iler
Deserit Algonios, genus insuperabile bello.

Cuspinianus, Vadit enim primùm lentus, antequam augeatur prope Vlmam Hilaro, qui à Campiduno descendit nauigabilis in Danubium à Meridie. Richardus,

Blabus.

Diuitis hinc Vlmæ descendit Plauus ab oris.

Cusp. E regione Vlmæ alter fluuius Danubium irrumpit à Septentrione, Blabus: vbi monasterium situm propè, siue cœnobium potius Blabperen à fluuio cognominatum, nomen ab eo sortitum. Richard.

Monasterium à fluuio dictum.

Gins.

Burgouiùsque altas infertur Gynsus ad vndas
Danubij, & de se dictam præterfluit vrbem.

Cusp. Pòst per Marchionatum Burgouiam à dextris ingreditur Danubium à Meridie fluuius, patria lingua dictus Gins: ad cuius ostium, oppidum sitũ ex eo nomen seruans, Ginspurg appellatum. Richard.

Kamlach.

—Kamilachùmque rapax.

Cuspinianus, Pòst alter celer fluuius per eundem Marchionatum Burgouiam à Meridie, Kamlach dictum, prope Offingen, Burgavv oppidum alluẽs. Richardus,

Prentz.

—longáque in valle refusus
Prætius.

Cuspinianus, A sinistris intrat Danubium, præterfluens Haiden, Gengen, & Gundelfingen magnus fluuius, à Septentrione fluens, patria lingua dictus Prentz. Richard.

Tuuirch.

Et fœlix Laugeno Verghus alumno.

Cusp. Deinde prope Laubingen, ingreditur amnis cognominatus patria voce Tuuirch, à Septentrione fluens. Richard.

Eguua. Zuxen.

Mox Egue, Zusimíque amnes.

Cuspinianus, Inter Tullingen & Vochstatt oppida, prope villam dictam Staina, à Septentrione fluit fluuius dictus Eguua. A sinistris post oppida, mille passibus incedit fluuius profundus, prope Thaphel, à meridie fluens, villæ Zuzunhalte & Pfaffenhofen intermedia, alteri nomen donans Zuzum. Richardus,

Wernitz.

—Vernessus ad alta
Spumeus euoluit Verdeæ mœnia cursum.

Cuspin. Prope dehinc VVerdeam à sinistris, & Septentrione magnus fluuius præterlabitur, dictus VVerniz, VVerding oppidum alluens. Pirkmeyerus Bernicum appellat. Richard.

Schunter.

Infrà autem strepitus velocis Smutteris ingens.

Cuspin. A dextris verò prope VVerdeam præceps fl. à Meridie supra Augustã

fluit, Schunter. Richardus,

Egissee. *At leni contrà descendere gurgite Egyssus*
Auditur,

Cuspin. Prope ostium villa dicta est Larding, à dextris simulatè fluens, fluuius profundus, à Meridie, Egisseæ. Richardus,

Lycus. *Planísque Lycum stupet accola ripis.*
Sic fluere, & rapido Nymphas vlulare sub amne.

Cuspin. Dehinc amnis notus & decantatus, aquis diues, rapidus, præteriens Schongavv, Fuessen, Langsperg, Augustam, Raniam oppida, à Meridie fluens Lycus, qui prope ostium villam habet olim comitatum insignem, cuius rudera cernuntur, Lechsmund patria lingua Lyci ostium dicitur, haud longè ab Augusta Vindelicorũ. Post Raniam mille passus magnos prope Ranthertzhofen,
Vrs. à Septentrione fluit fluuius Vrs. Richard.

Schutter. *—iam properat Suter.*

Cuspin. Circa Ingolstadium à Septentrione fluit in Danubium fluuius dictus Schutter. Richard.

Pir. *—& Parrhi violentior alueus*
Ill. *Arsacidésque Ilmus.*

Cusp. Paulò pòst Ingolstadium præterit fluuius Aichen, & Schrobenhauser, dictus Pir. Item post mille passus à meridie circa Voburg ingreditur Danubium fluuius dictus Ill. Richard.

— & tu quoque turbidus vndis
Altmull. *Altimula, gelida allaberis amne Chebelas.*

Cusp. Hinc haud longè prope Kelhaim, à Septentrione fluit fluuius Altmull. Pirkmeyerus eum Almonum appellat, quo in tota Germania nullus sit pisculentior. Richard.

Abs. *Hunc & Abis Rhegúsque minax, & Nabus ab antro*
Pinifero, mitísq; Laber, Iserísque fluenta
Pone ruunt.

Cuspinianus, Deinceps prope Absperg, à Meridie labitur Abs. Haud
Nab. longè à Ratispona, siue Tiberina, à Septentrione currit Nab. Paulò pòst à Septentrione fluit fluuius, vrbi nomen concedens, dictus ab accolis Regen. Inde Regenspurch, vrbs olim Tiberina, iam Ratispona dicta. Pirk-
Laber. meyerus, Nabus, inquit, ex monte Pinfero oriens, ac Vilsum assumens iuxta Ratisponam exonerat, pariter & Regnus, in quo reperiuntur conchæ margaritas producentes. Sub Ratispona à Meridie labitur fluuius in Danubium, pro
Iser. pe Phetter ac Geisselring, dictus Laber. Infrà Deckendorff haud lõgè ab inferiori Alta, à meridie fluit Iser fluuius. Pirkmeyerus, Isara fluuius rapidus & in-
Filtz. gens, ab Alpibus per totam labens Bauariam, quum multos alios accepit a-
Wolffang. mnes, iuxta Filshofen Danubium influit. Richard.

Nec Phylsa minor, quem VVolphagus æquat.

Cuspin. Prope Filtzhofen oppidum à Meridie labitur fluuius Filtz. Paulò infrà
Gaisa. ingreditur Danubium fluuius, dictus VVolffang. Richard.

Ripásque nec cursus voluis Gyssæa minores
Vastior,

Cusp. Intra Patauiam & Viltzhofen labitur fluuius dictus Gaissa. Richardus,
In. *At longas interluis Aenus Alpes.*

Cuspin. Patauiæ à Meridie ruit nominatissimus fluuius OEnus. Pirkmeyerus, OEnus, inquit, fluuius maximus, & rapidissimus per OEni vallem, & Bauariã fluit, ac per Iuuarum, vel Salsam, & multos alios auctus amnes, tandem iuxta Bœdurum, nunc Patauium cum tanto impetu in Danubium ruit, vt per longissimum spatiũ cursum suum seruet, nec Danubianis admisceatur aquis: quemadmodum perspicuè ex vndarum colore apparet. Arrianus noster libro 8. de Alexandro Magno ἔνον Henum se vidisse dicit, qui in confinio Noricorum ac ῥαρῶν (ῥαιτῶν, id est, *Rheton* legendum) ipsi Danubio se immisceat. Richard.

Laben-

Labentémq; cies Boiorum à montibus Ilsum. Ils.

Cusp.In patrio vocabulo Patauiæ,à Septentrione, gemmas ferens, vt aliqui asserunt,ex Bohemia,Ils. Pirkmeyerus, Ilzam vocat: Agricola lib.1.de natura eorum quæ effluunt ex terra,inter amnes qui ad longum spatium alios supermeant,deinde commiscentur enumerat illum, quem ait in Danubium inuehi ad secundum fere lapidem non prorsus permistum, quod ex colore cognoscatur. Richardus:

Rhennaniq; Auarum fluctus,Nymphæq; sorores, Renn.
Chrenysea properant.—

Cuspin.Infrà Bataniam,à Septentrione currit fluuius Renn arci nomen donans.Infrà Rennam iuxta arcem Neuuenhaus,à Septentrione,fluit fluuius dictus Rott. Supra Efferding mille passus prope Aschach, labitur fluuius dictus Aschach.Infra Efferding currit fluuius dictus Iun,torrens, sicut est Viennæ. Rott. Aschach. Iun.

Richardus:

—Gemundæisq; refusus,
Traunus aquis.— Trauun.

Cuspin.Infrà Lintz regium oppidum, à Meridie,ex lacu Hallis, vbi sal coquitur, & ex lacu Gmunden, labitur fluuius dictus Trauun,per vtrunque lacum medius fluens.Pirkmeyerus Traunam appellat. Richardus:

— Amasusq; volat,dirimítque potentes, Ens.
Austriadum populos,dubiúsque binomine ripa,
Laureaci,in vastum cursu deuoluitur Istrum,
Necnon Orcynijs Nendus de montibus ortus,
Miratur,vitreum longè quanto impete fertur,
Herlacium. —

Cusp.Prope Metthausen,à Meridie,intrat Danubium fluuius Ens, Onasus siue Anasus Latinè dictus. Pirkmeyerus.Bresum appellat. Per hunc, teste Agricola,sal deuehitur,in Danubium,& per hoc in Pannonias. Post quinquaginta passus à Septentrione præterlabitur liberam ciuitatem fluuius dictus Aist.Infrà Metthausen prope Perg villam, à Septentrione labitur fluuius dictus Horen. E regione à Meridie iuxta cœnobium Erlacloster,labitur fluuius Erlach. Aist. Horen. Erlach.

Richardus:

— quantasq; trahat celer Ipsyus vndas.

Cuspin.Iuxta oppidum ipsum ingreditur Danubium à Meridie fluuius dictus Ips. Richardus: Ips.

Vtque rapax simul à Styrijs ruit Erlaphus antris,
Venaq; Pylachij lenis,fontesq; Melyci,
Nec placidis te Campi vadis,nec Trasme silebo,
Nec te.—

Cusp. Propè arcem, siue cœnobium Melycum nobile, à Meridie fluit, fluuius Melch dictus.Paulò inferius à Meridie labitur fluuius dictus Pylach.Infrà Pechlaren oppidum subintrat Danubium à Meridie Erlauff. Propè vetustissimum oppidum Tresmaur,ciuitatem & cœnobium S.Hippolyti præterfluens, labitur fluuius dictus Trezen,à Meridie fluens. Infrà Krembsam vrbem, à Septentrione labitur fluuius,dictus Kamp. Richardus: Melch. Pylach. Erlauff. Trezen. Kamp.

— quod retinet regio prope Tullia nomen. Tuln.

Cusp.Circa vetustissimum oppidum Austriæ Tulnæ, cuius crebra est mentio superius,à Meridie venit fluuius Tuln,& vrbi & adiacenti regioni nomen tribuens. Richardus:

Pone Vienna deis nostris sacer.— Vien.

Cusp.Circa Viennam Austriæ metropolim,de qua plura,torrens eiusdem nominis Vienna,fortè vrbi nomen concedens,ab ea simul dictus est. Richardus:

— hoc quoque montes,
Oppidaq;,& priscæ gaudent cognomine syluæ,
Piscosusq; Physa,& tranabilis vnda Sueci. Schuuechat.

Cusp. Infrà duobus millibus passuum est villa nostra, quam possidemus, Schuechat fluuius, cum alio item fluuio nostro Kaltengang dicto. Paulò infrà nostrā possessionem Fischa fluuius, circa cuius ostium Fische. Richardus: *Kaltengang.* *Fische.*

Hinc Leyta Austriadum dirimit qui Pannona terris

Leytt. Cusp. Post hac Leytta fluuius iuxta vrbem, vbi debet finiri Austria. Omnes hi fluuii à Meridie currentes Danubium ingrediuntur. Richardus:

March.
Marcomanumq; assurgit, aquis quibus altera ripa,
Danubij increscit, Carnuntiq; astrepit vrbi.

Cusp. E regione Viennæ prope oppidum Marcheck, à Septentrione fluit insignis fluuius, dictus Marchia. Pickmeyerus Marchiam vel Morauam dicit appellari. Circa Scaurinum, vbi episcopatus & ciuitas, à Meridie currit Rebnitz. Richardus: *Rebnitz.*

Rab.
Cœruleusq; Arabon Styrijs de cautibus ora,
Attollens, veteris disterminat arua coloni.

Cusp. Paulò pòst Raba fluuius: quæ duo flumina quasi insulam faciūt. Hic fluuius Ptolem. est Harabo. Richardus:

Gran.
Nec piger it Granis,—

Cusp. Prope Istrogranum, quod corruptè Strigonium vulgò dicitur, vbi Archiepiscopi sedes à Septentrione labitur fluuius in Danubium, vulgò dictus Gran. Pickmeyerus Granam nominat. Richardus:

Vuag.
—Boghusq; sed amplior illo,
Sarmaticis se mola iugis euoluit in Istrum.

Cusp. Prope nobilem in Hungaria arcem & villam dictam Comarum, à Septentrione ingreditur Danubium vulgò dictus Vuag, qui per Vaciensem episcopatum labitur, nomen inde sortitus, Trentschin oppidum & castrum præterfluens. Richardus:

Trag.
Mox Drauus impatiens vndarum examine vasto,
Perstrepit, & spumans fluctu diuerberat astra,
Intonat hic Istro.—

Cusp. In Hungaria castrum, oppidum & arx est insignis, qua fluuius à Meridie in Danubium mittitur, vulgò dictus Trag, Latinè etiam decantatissimus, Drauus appellatus. Pickmeyer, Daras vel Drauus *die Trab*, qui Murgam, vel Murum, *Die Mur*, suscipit, fluuius ingens. Inter hunc & Danubium Turcarum Imperator Ladislaum Hungariæ regem deuicit. Richardus:

Sauu.
— & contra intentior vrget,
Et saxa & montes, & fluminis antra profundi,
It Saus interea, & magnis allabitur vndis,
Squamigeris inuectus equis, hauritque morantem,
Imperturbati Drinoum littoris amnem.

Cusp. Circa Nauderalbam recipit in se Danubius fluuium à Meridie currentem, æquè nobilissimum, dictum Sauu: à Latinis verò Sauus, passim descriptus. Pickmeyer. Iuxta Taururum, hoc est, Albam Græcam, Danubium influit. Regio huic fluuio imminens, teste Rhenano, Sauia à Romanis, & Sauiensis dicta lib. I. Arrianus noster lib. 8. de Alexand. Magn. hunc fluuium Σαὸν. Saum apud Pæonas Danubio commisceri, testatur iuxta locum Taurunum dictum. Richardus:

Teyssa.
Sollicitátque Dei monitu, longúmque Tybiscum.
Carpathio ciet ore iugo, qui fessus in antro,
Sederat, & secum requiescere iusserat vndas.
Nulla mora vt sensit se térque quatérque citari.
Prosi it ingenti strepitu, quo curua reclamant,
Littora, quo syluæ, & saxorum impellitur agmen.

Cusp. Per Segedunum agrum erumpit à Septentrione fluuius Danubium ingrediens, vulgò dictus Teissa, à veteribus Tybiscus appellatus, nunc Titia, pisculentissimus fluuius. Oritur, teste Georgio Vernhero libro de admirādis Vngariæ aquis, in Maromasio sub altissimis Carpati iugis, fonte quidem exiguo, sed

ſed tantis ſubitò incrementis, vt intra tertium milliarium ferè ſit nauigabilis, quo ſales euehuntur, piſcatu omnes Hungarię fluuios (quorum multi ſunt piſcoſiſſimi) ſuperat. Qui propius ad eius ripam æſtiuis pręſertim caloribus accedunt, manifeſto ſenſu experiuntur eum piſculentiam quandam, vt ſic dicam, redolere. Nec deſunt, vulgò, qui dicant duas eius partes aquam, tertiam piſces eſſe: hæc de eo hyperbolicῶs ob admirandam incredibilémque piſcium multitudinem vulgò iactantur. Denique quò propiùs accedit ad Danubium, in quē ſeſe exonerat è regione Sirmii, tantò maiore piſcium copia abundat, ita vt vix vendi poſſint, ac computreſcentes aerem locáque illa quaſi peſte quadam inficiant. Idem author exiſtimat eundem eſſe qui Patiſſum à Plinio dicitur, ſiue detracta ſyllaba Tiſſum, vel, vt nunc vulgò Tyzam dici. Richardus:

Et iam Sardonio trepidat de vertice Moſchus.

Cuſp. Propè Titellum arcem per Senderouiam, à Meridie labitur Themis fluuius, qui vrbem à ſe nominatam Temeſchuuar, quaſi Themeſis vrbem appellat. Richardus: *Themiſch.*

Mirantúrque Daci tumido properare Rhaboſum,
Gurgite, & inflexi turbari ſtagna Mariſi,
Nympharúmque choris ſublimis ire Ciabrum,
Vluifer attonito curſu metuendus Alutas,
Vndas quadriiugo ſpumantes verberat axe,
Extremuſq; venit Myſorum Hieraſſus ab oris.

Cuſp. Intra Senderouiam & Gallenpotz à Meridie intrat Danubium fluuius dictus Moraua. Pirkmeyerus. Marchiam & Morauam vult eundem eſſe fluuium. Prope Pudanum à Meridie irrumpit Danubium fluuius Iſchar. Per Trāſſyluaniam à Meridie intra Pudanum & Nicopolim ingreditur Danubium flu. Allutus. Pirkmey. Alutas. Forſitan Baralat, & Serctius amnis. Sub Nicopoli infrà per Vualachiam à Septentrione irrumpit Galophitz. Per Moldauiam à Septentrione, currit fluuius Steritus. Per eandem Moldauiam fluuius appellatus Prutt. Pirkmeyer. Qui olim Nicraſſus, hodie Pruth dicit nuncupari. *Moraua. Iſchar. Allut. Galophitz. Steritus. Prutt.*

Horum fluuiorum omnium Iſtrum ingredientium, qui ſecundum Bartholinum quinquaginta ſex, ſecundum Cuſpinianum ſexaginta tres numerantur, cognitionem ſe ambos Cuſpinianus hauſiſſe profitetur à Georgio Collimitio Aſtrologo, atque Mathematico inſigni, cui iuxta Lycum fluuium genito hi fluuii probè cogniti exploratíque fuerint. Plin. mediam ferè ſexaginta fl. quos Iſter recipiat, nauigabilem eſſe dicit. at verò Arrianus noſter contra lib. 8. ſuæ hiſtoriæ de Alexand. Mag. multa quidem Iſtrum flumina ſcribit ſuſcipere. at illa nec numero nec magnitudine Indicis amnibus eſſe æqualia, ac illorū maxima eſſe Henum & Sabum, cætera verò non multum eſſe nauigabilia. quod poſtremum falſum eſſe ipſa experientia docet. His porrò à Bartholino atque Cuſpiniano commemoratis fluuiis illi quoque addi debent, quorum Herod. mentionem facit lib. 4. quorum tamen forſan nonnulli ſub prioribus illis comprehenduntur. Ob id inquit Herodotus Iſter omnium maximus eſt, quòd alii in eum influunt, qui ipſum ingentem reddunt per Scythiam delapſi numero quinque. Primus Porata à Scythis, Pyretus à Græcis appellatus, fluuius maximus ad auroram fluens. Quid ſi hic idem ſit, quem Cuſpinianus Prutt per contractionem appellat? Secundus eſt Tiarantus ad Heſperium magis vergens. Tertius Ararus. Quartus Napares. Quintus Ordiſſus, forſan eſt Hieraſſus Bartholino. Ex Agathyrſis quidem fluens vnus, Maris (videtur eſſe Mariſus Bartholino) ex Hæmi verò iugi tres alii ingentes ad Aquilonem Atlas, & Auras & Tibeſis (videtur eſſe Tybiſcus.) Per Thraciam verò & Crobyzos Thraces, Athres & Noas & Atarnes. Ex Pæoniis ac monte Rhodope medium interſcindens Hæmum Cius (hic forſan eſt Ciabrus, Bartholino.) Quin ex Illyriis in Aquilonē tendens Angrus planitiem Triballicam interfluēs, Brongum intrat, Brongus Iſtrum. Ita vtrunque per ſe magnum Iſter excipit. (Hi duo videntur

Fluuij in Danubium ingredientes ſecundū nonnullos 56. ſecundum alios 63.

Porata. Tiarantus. Ararus. Naparis. Ordiſſus. Maris. Atlas. Auras. Tibeſis. Athres. Noas. Atarnes. Cius. Angrus. Brongus.

esse Granis & Boghus Bartholino atque Cuspiniano) Præterea Vmbricorum regione Carpis,& alius ad ventum Aquilonem Alpis in Istrum exeunt. Quid si Alpis sit Alutas Bartholino & Cuspin. Strabo lib.4.sub finem. & Atesinum ex lacu quodam Apennini,& Duram,Clanésq;, aliósq; complures per valles excurrentes fluuios, quorum ortus ab Apennino, Tulla & Phlygadia montibus, in Istri alueum intrare testatur. Atque hæc de fluuii huius quantitate,eiúsque simul causa. Verùm quò amplior latior atque profundior est Danubius, sicuti pluribus dictum est, tantò admirabilior pontium quorundam supra illum structura,de quibus in historiis legimus,existimari debet. Ac primus quidem Darius illius ostium maximum Sacrum dictum,de quo postea, ponte constrauisse fertur. Arrianus lib.5.& Hellespontum olim à Xerxe,& Bosporum atque Danubium à Dario nauibus iūctum fuisse dicit. Ibidem Romanos ferè rerum dominos, Danubium ac Rhenum ponte ex nauibus, quæ colligatæ funibus ac muri in modum constructæ erant, iunxisse testatur: describit simul eodem in loco eiusmodi naualium pontium rationem. de qua vide etiam Suidã in Zeugma de Rheni atque Danubii limitibus & pontibus. Alium præterea pontem à Traiano in bello quod gessit contra Dacos constructum fuisse Dion Cassius testatur, cuius descriptio, quoniam est elegans & ad fluminis huius quantitatem atque naturam melius cognoscendam facit subscribere integrã volui. Per ea tempora belli contra Dacos gesti, Traianus, inquit, lapideum pontem in Istro fecit, opus sanè mirandum & maximè memorabile, cui cætera illius opera vix adæquare possis. Viginti stant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo centum & quinquaginta pedum præter fundamenta habet. Latitudo sexaginta pedes continet: distant inter se centum & septuaginta pedibus, fornicibus verò coniunguntur. Impensa profectò ingens & vix credibilis. Sed illud mirari conuenit, quanam ratione & quibus viribus, quóve artificio in illa gurgitum altitudine támque præcipiti fluuio, tum singulæ columnæ extrui valuerint, tantarum molum fundamenta stabiliri. Vada præterea limosa erãt, neque amnis aliò auerti poterat. Quanta verò altitudo sit aquæ, & quàm latè pateat amnis, haud equidem enarrauerim. Diffunditur per ea loca spatiosus, atque interim imbrium mole concitatus, ripas longius summouet: alibi verò duplo atque interim triplo priore sui parte maior, aut restagnat, aut defluit. Qua verò arctatur, vorticosus & ferox, ædificia & pontes non patitur: & rursum liberatus angustiis, in pelagi formam totus expatiatur: iterúmq; coit, quasi retentus profundior & rapidus fertur. Arduum igitur & maximè laboriosum fuit, in ea fluminis parte pontem ædificare. Ex hoc sanè ingens Traiani animus arguitur, atque adeò magis, quòd nullum commeandi vsum pons præbebat. Pilæ etiamnum extant ceu in ostentationem potentiæ & Cæsaris opum fabricatæ, simul etiam vt posteris testatum maneret, nihil esse quod hominum manu, & opibus Romani imperii effici non posset. Ponte Danubium Traianus, ideo coniungere voluit, vt expeditius, vel non glaciato amne præsidia facultas traducendi foret, quoties Romani qui trans Danubium agerent, à Barbaris bello & armis vexarentur. Ergo velut astricto frigoribus fluuio, cùm res deposceret, commeare licebat. Cæterùm contraria ratio Adrianum mouit. Siquidem is veritus, ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu ea loca inuaderent, quæ cis Danubium sunt, Mœsiámque subinde popularentur, structuras & fornices quãtæ super aquam eminebant, demoliri iussit. Traianus verò ponte Istrum transgressus, bellum magis pro fiducia virium, quàm pro studio aut industria gerens, illic commoratus, Dacos tandem subegit, &c. Nõ est etiam hîc prætereunda pontis Traiani perquam elegans inscriptio, quæ fuit huiusmodi, teste Rhenano,

Carpis. Alpis.

Darius ponte constrauit Danubij ostium maximum. Xerxes itidem. Romani etiam.

Põtis à Traiano super Danubiũ cõstructi descriptio.

Quo cõsilio Traianus Danubiũ ponte coniungere voluerit.

PROVIDENTIA AVG.

Verè Pontificis, virtus Romana,

Quid

Quid non domet? Sub iugum ecce,
Rapitur & Danuuius.

Constantinus quoque teste Niceph. Callisto lib. 7. cap. 49. eundem hunc fluuiū ponto saxeo iunxit, quem transgressus Scythicam gentem, quæ vltrà id flumē coluit, subiugauit. Quo tempore ei denuo in cœlo salutifera illa armatura apparuit, victoriámque eam, sicuti & antea, cōciliauit. Henrichus secundus, Leo, Dux Saxoniæ pontem Ratisponæ strauit super Danubium, opus præclarum, teste Georgio Fabricio Chemnicensi, rerum Misnicarum, lib. 1. Alexāder Magnus, teste Arriano nostro de eius rebus gestis lib. 1. de Triballis victoria quadam insigni potitus, partim Getas, qui trans Istrum accolentes illum prohibere conabantur, vlciscendi, partim illa, quæ etiam trans Danubium essent (vt est humanum ingenium) inuisendi cupiditate ductus, fluuium hunc lintribus (μονόξυλα dicuntur) traiecit. Res prorsus ingentis audaciæ Getis visa est, Alexandrum tam facile vna modò nocte Danubium, omnium Europæ fluminum amplissimum atque altissimum, nullo ponte iniecto transisse. Equites enim cētumquinquaginta, pedites circiter quatuor millia traduxit. Getæ vrbe relicta, statim impositis in equos pueris ac fœminis, quas inde auferre potuerunt, in solitudines se receperunt. Alexander in amnis ripa Ioui seruatori atque Herculi, & ipsi amni (quia se haud difficilem in transitu præbuisset) sacrum fecit. Adhuc de Istri nominibus, ortu, progressu, quantitate, nunc de eiusdem qualitatibus quibusdam præclaris & admirandis quædam scribamus. Danubium lactis diluti, siue seri colore esse etiā qua parte Vindeliciā, & Noricum à Germania diuisit, testis est Agricola libro 1. De natura eorum quæ effluunt ex terra. Aquam illius ad potandum pariter atque balneandum suauem, vtilem ac salubrem esse inter omnes ferè constat. Piscium quoque optimorum plurimorúmque procreatrix atque nutrix optima. Plinius libro 31. cap. 2. vt in Armenia, sic circa Danubij ortum se audiuisse scribit esse pisces quosdam nigros, qui illico mortem afferant in cibis, donec veniatur ad fontem in alueo positum, vbi finitur id genus piscium. Contrà Bartholinus,

Constātinus Danubium ponte saxeo iunxit. *Pons Ratisbonēsis.* *Alexander lintribus Danubiū traiecit.* *Danubij aquæ qualitas.* *Danubij pisces.*

Lethiferos quòd alat pisces ab origine, vanum est.
Sic etenim ignari patres, mendáxque vetustas
Asserit, Armenia ceu fons, & Lydia ab ortu
Traduntur partus eniti stagna nocentes.

Idem Plinius libro 9. cap. 15. In Danubio marionem dicit extrahi, porculo marino simillimum. Ælianus libro 14. cap. 23. In Danubio permultos & diuersos pisces nasci ait, coracynos, myllos, antacæos, & nigro colore cyprinos, itē porcos, percas, & gladios. Gladios Græcè Ξιφίας dictos, pluribus ibidem describit, quos & salsa & dulci aqua delectari scribit. Eorundem piscium in Danubio nascentium, meminit libro eodem, cap. 26. vbi pluribus de antacæorum natura, eorundem necnon aliorum piscium Istro conglaciante capiendorum ratione differit. Idem cap. 25. Silurum Istri alumnum appellans, ac quomodo is boum & equorum iugo à piscatoribus Mysis atque Istrianis capiatur, docet. Est præterea Danubius, quem Ouid. libro 2. de Ponto gelidum. in Ibin, frigidum. Conradus rigidum, Mantuanus glacialem, Bartholinus algidum appellant, rigidis solidísque congelationibus vehementer obnoxius. Hinc Pausanias libro 8. Danubium equidem, inquit, & Rhenum, Hypanim præterea & Borysthenē, & quorum aqua hyberno tempore congelascit, mea opinione rectè hybernos appellaueris, quum terram permeent niuibus plerūque obrutā, & qui ei incūbit aër frigoris sit plenus. Aristoteles inter naturæ admirāda refert, quòd hyeme adeò plerunque congeletur frigore, vt etiā equitantibus tutissimū prestet iter. Plinius in Panegyrico Traiani, An audeant qui sciant te adsedisse ferocissimis populis, eo ipso tēpore, quod amicissimū illis, difficillimum nobis, quum Danubius ripas gelu iungit, auratúsq; glacie ingentia tergo bella trāsportat,

Danubij aqua congelascit.

quum feræ gentes non telis magis, quàm ſuo cælo, ſuo ſidere armantur. Vnde illud Martialis,

Et vngularum pulſibus calens Iſter.

Et Ouidius,

Quæq; aliæ gentes vbi frigore conſtitit Iſter,
Dura meant celeri terga perennis equo.

Claudianus in Cretico bello.

Ambo (Rhenus & Iſter) *habiles remis, ambo glacialia ſecli*
Terga rotis, ambo Boreæ Martiſque ſodales.

Danubij glacies tanta, vt onera maxima ferre queat.

Solini interpres Danubium ipſum, inquit, glacie cõcretum, tum pedibus, tum curru inſidens, ſæpius non ſine horrore traieci. Videre frequenter licet, diſrupta glacie, equos, currus, & inſidentes homines in fluminis profundum demergi. Vadianus in Melam. Glacie, inquit, rigeſcit, quælibet onera ſuſtinente, cuius ingentes orbes exciſos in inferiori Pannonia per brumã ſpecubus induũt, mox æſtate fruſtatim depromunt frigoris pertinacia perdurante. Eſtque eius præcipuus infrigidandi vſus, fruſtulis etiam in pocula iniectis, vbi caloris vehementia vinum intepuit. Súntque eiuſmodi, vt ſum expertus, iucundi magis quàm ſalubres hauſtus. Glacies enim potatur, & eſt inſueta præcordiis eo tempore frigiditas. Hunc morem & in Italia fuiſſe, libro 19. cap. 5. Gellius indicat.

Glaciei Danubij fruſta ad vinum refrigerandũ in pocula iniiciũtur

Huiuſmodi quoque conglaciationis horrendæ, egregius teſtis eſt Ælianus libro 14. cap. 26. Iſtro ſinus eſt, inquit, adeò profundus & latus, & ambitu ampliſſimo, vt mare eſſe videatur, in quem onerariæ naues mare tranſmittentes, ad vſum accolentium inſinuantur atque appelluntur. Itaque tempeſtatibus quum is quatitur, quemadmodum mare inhorreſcit. Sunt etiam in eo inſulæ & receſſus quidam riparum, in quos refugere licet, & crepidines & colles longè eminentes, quibus quum æſtus reciprocatur, fluctus vehementes refringuntur, atque eôdem velut in anguſtias compulſi, in mare redundantes aguntur. Hoc ipſum ineunte hyeme fieri ſolet: tum enim hunc augeſcentem Boreas impellit & concitat. Hic adeò duram glaciem defert, vt hæc vecturas omnes ſuſtineat. Contrà acerrimus Boreas flans huic reſiſtit, & vndas ſuas magno motu, & (vt ita dicam) deſiderio in mare exonerare feſtinantem, non ſinit, & repulſum cedere cogit. Sic fit vt glacies in altitudinem deprimatur, vt bene penitus congeletur aqua, eiúſque confluens viis occultis infrà delabatur, glacies verò campi patentis æquor eſſe videatur. Ac per eam nimirum homines accolæ vel equis inſidentes, vel iugata iumenta agentes, iter faciunt. Et paulò pòſt, Porrò Iſtri glacies etiam nauem onerariam, inter nauigandum ei adnaſcens, & in ipſo confluente verſantem tantopere circumligat, vt nec paſſa vela, nec gubernatores opus ſint, nec prora ſpectet antrorſum, quòd omnia & inſtrumenta & nauis ipſa glaciei vinculo conſtricta teneantur: nec ſanè nauis eſſe videtur: non enim amplius fluctibus verberatur: ſed in magna planicie tumuli, aut cuiuſdam ſpeculæ vel promontorij ſimilitudinem ſpeciémque gerit. Tũ nautæ exiliunt, in flumine excurrentes, plauſtríſque onera tranſuehunt: donec rurſus exacta hyeme, & flumine ad priſtinum reuerſo fluẽdi impetum, ipſum iam Iſtrum calcantes boues, onera nauibus reddant: quæ interim in loco manent, ceſſántque, donec ſoluta fuerit glacies, & mirabile gelu aſtringentis vinculum laxatum. Hæc ille.

Naues in Danubio glaciei vinculo conſtricta tenentur.

Earum onera plauſtris tranſuehunt.

Agathius libro 5. ſcribit Hunnos deſcendentes ad Notum haud longè ab Iſtri fluuij ripis cõſediſſe. Hyeme autem ineunte, quum huius fluminis aquæ, vt aliàs ſemper, nimio præ algore magnam in profunditatem concretæ obſtrictæque obduxiſſent, adeò vt peruiæ tam viris quàm equis fuiſſent redditæ, Zabergan Cotrigurorum, Hunnorum præfectus magna cum hominum equorum multitudine per conſtrictos fluminis vortices non ſecus ac terra iter faciens, in Mœſiam, Scythiam, ac deinde Thraciam, Cherſoneſum ingreſſus, Romanorum ditionem longè latéque deuaſtauit. Philoſtratus

Danubiũ glacie concretum, Hunnorum exercitus traiecit, quaſi terra iter faciẽs.

tus libro 3.in Istri ripa testatur arbores nasci,à quibus vnguentum distillat,cuiusmodi etiam apud Hyphasidem nascatur.Danubij ripa(teste Munstero)salebrosa,montosa nullum,aut acetosum profert vinum vsque ad Austriam,vbi iuxta decursum Danubij optimũ crescit vinum. Nunc postremò de fluuij huius exitu atque ostiis dicendum.Duæ hîc primò occurrunt authorum opiniones atque sententiæ. Alij enim illum in duo maria Ægeum & Ponticum,alij verò in Ponticum tantùm exire voluerunt. Prioris sententiæ fuerunt Theopompus & Eratosthenes,teste Strabone libro 7. Item Aristot.qui in lib. Admirabilium,illum ex Hercyniis syluis fluentem bifariam diuidi, ac partim in Pontum , partim verò in Adriam influere testatur. Iasonem enim per Cyaneas in Pontum fuisse ingressum,at verò ex Ponto per Istrum nauigasse. Huius Aristotelis sententiæ Eustathius quoque in Dionysium meminit. Strabo libro 7. Alium scribit Istrum ex illo ortum habentem,in Adriaticum sinum influere,per quem non pauci Argo nauem ex Ponto Euxino in Adriaticum mare decidisse existiment,quando aureum vellus Argonautæ furati, ex Colchide fugerunt.In eadem sententia sunt Lilius,P.Marsus,Appian.Vibius Sequester, Picus,Celtes,Tacitus,Lucanus lib.2.Pharsal.

Arbores è quibus vnguentum distillatur.

Vinum ad Danubium.

Nonnulli Danubium in duo maria se exonerare tradunt, AEgeũ nẽpe,& Ponticũ.

Alii in Pontum & Adriaticum mare.

Argonautarum nauigatio.

Nec minor hic Istro,nisi quòd dum permeat orbem
Ister,casurus in quælibet æquora fontes
Accipit,& Scythicas exit non solus in vndas.

Idem Flaccus lib.8.videtur innuere.

— inde sequemur
Ipsius amnis(Istri) iter donec nos flumine certo
Perferat,inque aliud reddat mare,&c.

Verùm hanc sententiam Plinius ceu falsam simpliciter reiicit atque damnat, his verbis,libro 3.cap.23. Vltra Tergestam,inquit,sex mill.pass.Formio amnis, vbi Rauenna C L X X X I X.mill.pass.antiquus auctæ Italiæ terminus,nunc verò Istriæ,quam cognominatam tradunt à flumine Istro,in Adriam influente à Danubio amne,eidémque Istro ex aduerso Padi fauces, cõtrario eorum percussu mari interiecto dulcescente,plerique dixere falsò,& Cornelius Nepos etiam Padi accola.Nullus enim ex Danubio amnis in mare Adriaticum effunditur.Deceptos credo,quoniam Argo nauis flumine in mare Adriaticum descendit,non procul Tergeste : nec iam constat, quo flumine Humeris transuectam Alpes diligentiores tradunt.Subiisse autem Istro,dein Sao,dein Nauporto,cui nomen ex ea causa est,inter Æmonam , Alpésque exorienti. Hæc ille. De hac Argonautarum nauigatione varias & multiplices scriptorum sententias Apollonii interpres enumerat.Sunt etiam,inquit Boccatius, qui videantur arbitrari ex eo tria progredi flumina, quæ sunt Æas scilicet secus Apolloniam influens & Narliburnos atque Phileos separans,& Histrum,qui per Histros labitur,& nomen largitur iisdem. Nonnulli quoque(teste Cuspiniano) in Liuonia quoque Danubij tractum esse crediderunt, propterea quòd ille idem fluuius vernacula lingua Danubius vocetur, & pisces nutriat copiosè sine ossibus & cartilaginibus,cuiusmodi apud illos (in Austria) sint,quos lingua sua Husones,Styriones,Schirikios,magnos & paruos passim appellant.Verùm deceptos vocabuli æquiuocatione.Nam fluu.esse illum Duinam circa Rhecã, vbi est Archiepiscopatus in Liuonia,quod nomen quum à Duna(quo nomine Danubium appellat)vnica tantùm literula differat,hinc factum vt vulgò Danubium esse arbitrentur. Plerique autem alij Danubium in solum Ponticum mare sentiũt euolui.De numero autẽ nominibus atq; etiã situ,& ordine ostiorũ,nõ minus quàm de illius fontibus variæ admodũ sunt ac discrepãtes authorum sententiæ. Nam primò quoad numerũ alii quinque illius ostia statuunt, vt hîc ipse noster Arrian.& hoc in loco,& lib.1.atque 8.de rebus Alex.Magni. Herodotus libro 4.Ephorus & Eratosthenes(teste Strabone libro 7.)Dionysius Byzãtinus, Anienus. Claudianus in Stylicone, Thracia quinque vadis Istrum

Istria ab Istro sic dicta.

AEas fluuius.

Narliburnus fl.

Quidam in Liuonia Danubii tractum esse crediderunt.

Pisces sine ossibus & cartilaginibus.

Quidam Danubium in solum Ponticum mare se exonerare tradunt.

Nonnulli quinque Danubij ostia tradunt.

Alii sex faciunt, alii septem. vocat,&c. Alii verò sex, vt Plinius, Tacitus, Ptolom. Petrus Marsus. Alii denique,& plerique septem, vt Strabo, qui ἑπτάστομον appellat, Marcellinus, Solinus, Mela, Martianus Capella, Bartholinus, Vibius Sequester, Lilius, Zacharias, Picus in carmine de Cruce, Nauclerus, Cuspinianus, Munsterus, Strabo libro 5. Sylu. Flaccus libro 4. eum septemgeminum appellat,& libro 8.

Haud procul hinc ingens Scythici ruit exitus Istri
Fundere non vno tantum quem flumina cornu,
Accipimus, septem exit aquis, septem ostia pandit.

Eandem ob causam Ouidius libro 2. Trist. atque Sidonius septemplicem, Pacificus septenum, Cunradus septifidum. Lucan. libro 3. multifidum appellant. Et hanc quoque ob causam Nilo comparatur. Hinc Mela, Danubius, inquit, eorum fluminum, quæ in nostrum mare decidunt, tantùm Nilo minor, totidem quot ille ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus effluit. Hæc diuersitas autem opinionum, quoad ostiorum numerum inde euenit, quòd quintum *Diuersitas opinionum de Danubii ostiis vnde eueniat.* & sextum ostiorum Danubij languidiora sint cæteris, septimum verò (vt Solinus, Isidorus,& plerique alii tradunt) pigrum est ac palustre specie, non dignū vt amni comparetur. Plinius tamen sex vastis flumininibus illum in Pontum euolui testatur. Iam quoad illorum situm & nomina, Strabo quidem, vt ab illo exordiar. Primum ostium contra Pontum nauiganti sinistrum dicit occurrere *Primum Danubii ostium Hierostomum dictum.* Hierostomum, id est, sacrum ostium appellatum, omnium maximum, supra quod stad. centum viginti interuallo magna pateat insula Peuce appellata, *Peuce insula.* quam Bastarnæ quum occupassent, Peucini sunt appellati. Supra quam aliæ quoque insulæ multò minores sitæ sunt,& aliæ quoque inferius mari proximę. Apollon. lib. 4.

Ἴστρῳ γάρ τις νῆσος ἐέργεται οὔνομα πεύκη.
Τριγλῶχιν εὖρος μὲν ἐς αἰγιαλοὺς ἀνέχουσα.
Στεινὸν δ' αὖτ' ἀγκῶνα ποτὶ ῥόον, &c.

In quæ verba sic Apollonii scholiastes commentatur: Eratosthenes, inquit, libro 3. Geograph. scribit insulam esse in Istro triangularem, æqualem Rhodo, quam Peucen appellant, propterea quòd multæ sint in illa πεῦκαι, id est, larices, arbores tædiferæ, siue pinastri. Ac trianguli quidem verticem versus fluuiū ἀγκῶνα. i. cubitū appellant, basim autē versus mare εὖρος. i. latitudinē. Circa Anconem autem, hoc est cubitum, Apollonius duo ostia esse dicit, vnum quod *Circa Anconem duo Danubii ostia.* Ἄρηος (in scholiis ἄρηκος legitur) id est, Arei, siue Areci, alterum quod καλὸν appellat, per quod Colchi cum Absyrto celerem cursum confecerunt. Valerius Flaccus libro 8.

ostia donec
Danubij, viridémque vident ante ostia Peucen.

Idem paulò pòst,

Insula Sarmaticæ Peucæ stat nomine Nymphæ,
Toruus vbi,& ripa semper metuendus vtraque.
In freta per sæuos Ister descendit alumnos.

Lucanus lib. 12.

— & barbare Cone
Sarmaticas vbi perdit aquas, sparsam profundo
Multifidi Peucen vnum caput abluit Istri.

Cone insula. Cone & ipsa ibi insula est, forsan est pars Peuces insulæ, quam Apollon. ἀγκῶνα appellat, vt suprà dictum. Mela, Sex, inquit, sunt Istri ostia, ex his Peuce notissima & maxima. Infra hanc insulam Strabo Darium testatur pontem con- *Circa insulam Peucen Darius pontē cōstruxit.* struxisse, quum & suprà construere potuisset. Atque hæc de primo illo ostio, *Tyra fluuius.* quod Strabo ponit. Eorum quæ deinceps sunt, idem inquit, ad Tyram fluuium nauigantibus in Orientem cursus exposcitur, ab eóque septem distat ostium 300. circiter stad. Inter ipsorum ostiorum sanè interuallum exiguę quædam existunt insulæ. Tria quidem ora post sacrum ostium (Thriagola Boræum,& Inaricium Ptolomæo, Plin. & Solino, Naracustoma, Calonstoma, Pseudostoma) exilia

exilia sunt ordine sita. Reliqua autem illo quidem Sacro minora, cœteris verò ampliora existunt. Hinc ad amnem Tyram nauigabilẽ 900. stad. sunt. At in medio spatio duos ingentes lacus, quorum vnus ita aperitur, vt vice portus eo vti liceat, reliquus ore caret. In Tyrę vero fl. ostio turris existit, quam Neoptolemi vocant, & vicus Hermonactis appellatus. De his inspice tabulam. Nunc Plin. & Ammiani (quæ paucis exceptis eadem ferè est) de ostiorum nominibus atq; situ, sententias subiiciam. Primum ostiũ, inquit Plinius, Peuces, mox ipsa Peuce insula, à qua proximus alueus appellatus, decẽ & nouem mill. pass. magna palude sorbetur. Ex eodem alueo, & super Istropolim lacus gignitur, 63. mill. pass. ambitu, Halmirin vocãt. Hæc ille. Strabo (vt paulò ante dictum) inter hoc primum ostium, & Tyram fl. similiter duos ingentes lacus collocat. Ammianus similiter primum ostium dicit Peucen esse insulã. Plin. & Ammianus primum hoc Sacrum ostium cum Peuce insula videntur confundere, & Strabo, vt dictum, vtrumque distinguit. Secundum ostium, inquit Plin. Naracustoma appellatur. Idem Ammianus dicit. hoc Arrianus noster Naracum appellat. & videtur idem esse, transpositis ac immutatis paululum literis, quod Ptolem. Inaricium, Apollon. ἄρηκος appellat. Tertium Plin. Calostoma esse dicit iuxta insulam Sarmaticam. Idem Ammianus dicit, scribitur Caloustoma. Arrianus noster Calon appellat. Quartum Plin. Pseudostoma esse dicit, cui subiungit insulam Conopem diabasin. Hæc est insula, quæ à Lucano Cone dicitur. Ammianus similiter idem facit ordine quartũ ostium. Quintum deinceps & sextum Plin. Boreostoma, & Spireostoma appellat, Ammianus, Boreonstoma inquit, atque Sthenostoma (ab angustiis, Plin. Spireostoma appellat) longè minora sunt cœteris. Huc vsque Plin. qui sex tantum ostia statuit, at verò Ammianus vlterius progreditur, ac septimum ingens ac palustri specie nigrum esse dicit. Nunc Ptolemæus postremo de ostiorum Istri nominibus atque situ sic disserit in Mysiæ interioris situ tabula nona Europæ. Primum ostiũ similiter ferè atque tres priores appellat ἱερὸν πεύκην. sacram Peucen. Secũdum dicit esse exile, quod θιαγόλλω. i. Thiagolam appellat. Est autem eodem teste & Thiagola palus, quæ primo illo ostio efficitur. Plin. & Ammianus secundum Naracostoma vocant. Tertium Ptolem. appellat βόρειον, Boreum. Hoc Plin. & Amm. Boreostoma appellantes, quintum faciunt. Quartum Ptolemæo est ἰναριάκιον Inariacium. Hoc videtur idem esse quod & Apoll. ἄρηκος, & Plin. atque Ammian. Naracustoma appellantes, secundum in ordine collocant. Quintum Ptolemæo est Pseudostom, quod Plinio & Ammiano est quartũ. Sextum Ptolemæo est Calon appellatum, quod Plinio & Ammiano est tertium. Nunc ad Arriani nostri sententiam de iisdem ostiis expendendam accedendum: vbi primo obseruandum illum contrario ordine in his ostiis recensendis procedere, quàm superiores illi, quos commemoraui. Illi enim à Bosporo Thracio versus Borysthenem, hic contra à Borysthene versus Bosporũ ostia ista cõmemorat. Primum itaque appellat ψιλὸν. i. exile. Erit hoc vel Spireostoma, vel Stenosthoma, quæ Plin. & Ammianus quintum & sextum faciunt, quæque Plin. cæteris longè minora esse dicit. Vnde constat cur (vtrumlibet illorum intelligas) ψιλὸν. i. tenue ab Arriano appelletur. Secundum ab Arriano nostro sine nomine ponitur, quod quidem Plinio & Ptolemæo est Pseudostoma. Forsan quia fastum & nothum ostium, illud Arrianus sine nomine posuit. Tertium Arrianus appellat καλὸν, quod similiter Plin. & Ammianus tertium ordine Calostoma vocant. Quartum est Arriano Νάρακον Naracum, quod Plinio & Ammiano ordine secundum est Naracustoma appellatum. Quintum & vltimum Arrianus nullo nomine insignit, quod ex omnium authorum sententia primum est & maximum Hierostomon sacrum ostium, siue Peuce appellatum. Atque hæc de ostiorum Istri numero, nominibus, atque situ siue ordine. Singula autem hæc ora tanta Plin. esse dicit, vt prodatur in quadraginta mill. pass. longitudinis

Turris Neoptolemi.
Hermonactis vicus.
De Danubij ostiorum nominibus & situ Plinij sententia.
Secundum Danubij ostium ex Plinij sententia.
Tertium Danubij ostium.
Quartum Danubij ostium.
Conope insula Cone à Lucano dicta.
Quintũ & sextũ Danubij ostium.
Ammianus septimum Danubij ostium facit.
Danubij ostia ex Ptolemæo.
Thiagola palus.
Danubij ostia secundum Arrianum.

vinci mare, dulcémque intelligi haustum. Hinc Petrus quoque Martyr Oceanæ Decad.2.lib.9. Nonne & regiones aliæ sua ingentia producunt? vti de Tanai Gangéque legimus, atque Istri fluentis, quæ vincere mare ita produntur, vt dulces haustus in quadraginta mill. pass. liceat colligere. De admirabili præterea hoc Danubij in Pontum influxu sic Polybius scribit lib.4. Danubio multis ostiis ex Europa in Pontum defluente, tumuli quidam fiunt ex colluuie deuectæ materiæ, quos nautæ pectora appellant, vnius diei itinere à littore distantes in quos sæpenumero delati per noctem nautæ periculum faciunt. Cur autem non propter littus, sed longius intra mare huiusmodi tumuli fiant, hæc traditur causa. Quatenus enim impetus decurrentium fluminum præualet, & superatis fluctibus ingreditur mare, eatenus arenam & omne genus materiæ ferri in altum necesse est. Vbi verò profunditate maris impetus ipsi fluminum dissoluuntur, tunc naturali ratione omnis materia deorsum fertur, fundúmq; quo consistat, inuenit. Ex quo fit, vt maiorum, ac rapidiorum fluminum aggeres magis protendantur in mare, maiórque profunditas iuxta terram appareat: minorum verò, mitius fluentium tumuli non longè distent ab ostiis. Hæc ille.

Danubij in Pontum influxus.

Danubius vnius diei itinere à litore distans periculosus nauigantibus cur.

Ab hoc ad Istriam.) Strab. A sacro, inquit, ostio Istri (quod Arrianus quintum appellat) dextrorsum habenti perpetuum litus, oppidulum occurrit ἴςρος *Istros* nomine, ad stad.500. à Milesiis ædificatum: idem ergo est Arriano atque Straboni interuallum. Plin. lib.4. cap.11. Namque Thracia, inquit, altero latere à Pontico litore incipiens, vbi Ister amnis immergitur, vel pulcherrimas in ea parte vrbes habet Istropolim Milesiorum, Tomos, Calatin, &c. Ptolem. in descript. Mysiæ interioris post sacrum ostium ἱερὸν promontorium, ac deinde ἴςρον vrbem ponit. Hanc Mela Istropolin appellans Istro in littoribus proximam, Marcellinus Istron nominans olim potentissimam fuisse testantur, hodie teste Nigro eam Grosseam vulgò barbari appellant. Stephanus præter hanc Ponticam & vrbem quandam Cretæ & etiam Iapygiæ & insulam quandam Istron tradit nuncupari.

Istrus oppidum.

Istropolis quæ.

Ab Istro ad Tomeas.) Strab. Inde Τόμις *Tomis* oppidulum alterum ad 250. stad. Arrianus noster 300. facit. Vrbs hæc à Ptolem. Marcellino Τόμοι Tomi in plural. appellatur ἀπὸ τῆς τομῆς. i. dissectione dilacerationéque Absyrti à Medea illius sorore perpetratæ. Hinc Ouid. Trist. lib.3. Eleg.9.

Tomus vrbs.

Vnde sic dicta.

Absyrti fabula.

Inde Tomos locus est dictus, quia fertur in illo
Membra soror fratris consecuisse sui.

Ibidem immane hoc facinus his elegantissimis versibus descripsit.

Protinus ignari nec quicquam tale timentis,
Innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita diuellit, diuulsáque membra per agros,
Dissipat in multis inuenienda locis.
Neu pater ignoret scopulo proponit in alto,
Pallentésque manus, sanguineúmque caput.
Vt genitor luctúque nouo tardetur, & artus,
Dum legit extinctos, triste retardet iter.

Idem Cicero quoque in Orat. Maniliana his verbis expressit, quæ elegantiæ eximiæ gratia nolui prætermittere. Primum ex suo regno (inquit) sic Mithridates profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur: quam prædicant in fuga fratris sui membra in iis locis, quà se parens persequeretur, dissipauisse, vt eorum collectio dispersa, mœrórque patrius celeritatem persequēdi retardaret, &c. Iustin. lib.12. eandem historiam recenset. Arrianus noster, vt suprà dictum, iuxta Apsarum fl. hoc vult contigisse. Clara fuit hæc vrbs Ouidii exilio, Hinc Ouid.

Tomos vrbs cur Miletis dicta.

A quibus aduenit Miletida sospes ad vrbem,
Offensi quò me contulit ira dei.

Miletida,

Miletida appellat, quia illa quoque fuit Milesiorum colonia, vt Ouid. lib.3.Eleg.9.his verbis innuit.

Hîc quoque sunt vrbes Graiæ (quis credere posset?)
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoq; Mileto missi venere coloni,
Inque Getis Graias constituere domos,
Sed vetus huic nomen, positaque antiquius vrbe,
Constat, & Absyrti cæde fuisse loco.

His verbis apertè significat Ouidius Tomon locum à cæde Absyrti nominatum, vbi postea vrbem condidere Milesii seruato prioris nomine loci. Iuxta hanc vrbem fuit Absyrtus fluuius, penes quem illa laceratio accidit, vnde hoc nomen fuit adeptus, cùm antea Ægialius vocaretur. Nonnulli tamen Tomon à Tomyri Massagetarum regina volunt fuisse nuncupatum, quæ oppidum interempto Cyro ædificauit, suóque de nomine appellauit. Hodie teste Nigro Constantia à barbaris dicitur. Ælianus similiter Τόμιν appellans in Mysorum, (qui, vt idem inquit vicinorum Scytharũ incursiones propulsant, & suis viribus regionem suam defendũt) regione sitam esse, quo in loco Medea impium illud aduersus fratrem Absyrtum facinus designarit. ibidem Heracleæ quoq; meminit, & Naxii fluminis. Munsterus Heracleam hodie Naxum portum dicit appellari. Forsan Naxius fl. est idem qui Absyrtus. De illorũ in Istro piscandi ratione Ælianus ibid. pluribus differit lib.14. cap.25. *Absyrtus fluuius.* *Tomos vrbs vnde dicta.* *Naxius fl. idem qui Absyrtus.*

A Tomeis ad Callantram.) Strab. Dehinc vrbs κάλατις stad. 280. ab Heracliensibus deducta colonia. Arrianus 300. stad. interuallum facit. Ptolem. καλλάτιν *Callatin*, Plinius, Calatin, quæ antea Aceruetis vocabatur, Mela, Galatin appellat, quam à Milesiis dicit fuisse deductam. Hanc videtur Ouid. his verbis designare, *Callatis vrbs.*

Et quos Alcathoæ memorant à mœnibus ortos,
Sedibus his profugos constituisse lares.

Alcathoe teste Pausania fuit arx Megarensium ab Alcathoo Pelopis filio dicta. Strabo tamen eam lib.11. & 7. Heracliensium, Pomponius Milesiorum Calatin fuisse tradunt. Rufus Calatiam appellat, hodie teste Nigro Pandalla nuncupatur. Ex hac vrbe oriundus fuit Ister poëta, qui de Tragœdiæ conscribendæ ratione eximium opus ædidit. *Alcathoe Megarensium arx.* *Ister poeta.*

Hinc ad portum Καρῶν.) Mela post Galatiam Tritonicen ponit, ac deinceps portum Cariam. Arrianus totam illam regionem circumcirca portũ illum Cariam dicit appellari, quoniam (vt est verisimile) Cares eam olim incoluerunt. Cares à Cara rege, primo auguriorum inuentore dicti sub Minoe fuerunt ac vniuersam olim Ioniam tenuerũt, quos nonnulli olim Lelegas fuisse dictos volũt, alii verò Lelegas illorum finitimos siue cõciues atque commilitones fuisse tradunt. Quum autem ab Ionibus, qui illorum regionem occuparunt, è patriis sedibus fuissent expulsi & eiecti, hinc inde vagati passim multas regiones maritimas ac mediterraneas occupant. Homines fuerunt militares, audaces, barbari, qui per totam Græciam errauerunt stipendia merentes, vt pluribus docet Strabo lib.14. Vnde & Alcæus poeta βαρβαροφώνους appellat, & Cic. pro L. Flacco inde prouerbium vulgare profectum fuisse ait, Si quid cum periculo experiri velis, in Caria id potissimum esse faciendum. Verisimile est ergo cum Græcis Caras in hanc quoque regionem peruenisse, vnde Caria fuerit dicta. *Caria portus.* *Cares vnde dicti.* *Cares quinam.* *Prouerbium.*

A Carorum porta ad Tetrisiada.) Forsan est vel Tritonice quam Mela Galati subnectit, vel Tiristris promontorium quod idem author post portum Cariam ponit. Ptol. Τιρίστριν Tiristrem appellans post Dionys. collocat. *Tetrisias.*

Inde ad Bizon locum desertum.) Strab. In medio autem Calatidis, & Apolloniæ spatio, inquit, βιζώνη. i. Bizona iacet maxima sui parte terræmotibus absorpta. Mela, Tiristrim promontorium præteruectos alter, inquit, Ponti angulus accipit aduersus Phasiaco, & nisi amplior foret, similis fuit. Hic Bizone *Bizon locus desertus.*

motu terræ intercidit. Plin. quoque lib. 4. cap. 11. Thracia, inquit, Heracleam habuit & Bizonem terræ hiatu raptam. Eutrop. lib. 6. Lucullum dicit omnem Buciam cepisse, ille Glareanus in illum locum, Buziam, inquit, Eutropius regionem facit, cùm addat omnem, nō totam. credo Bizonem apud Strab. quoque dici mediam regionem quæ est inter Calatidem & Apolloniam. Hæc ille. Noster quoque Arrianus χώραν. i. regionem appellat, verùm & vrbem fuisse, & regionem ab illa vrbe dictam mihi verisimile videtur. Biziæ in Thracia multas hirundines esse, Plin. testatur.

Buzia regio & vrbs.

Dionysipolis.

Ad Dionysipolim.) Strabo inter Byzonem & Dionysipolim interponit κρουνούς Crulios. Mela portum Crunos. Plin. lib. 4. cap. 11. Dionysipolis, inquit, ante Crunos. Portus autem, teste Hermolao, à salientibus aquis nomen habet, qui Græcè cruni appellantur. Hinc etiam Ouid.

Portus Cruni vnde dicti.

— & arces,
Prætereat dictas nomine Bacche tuo.

Ptolem. eam inter Callatin, & Tiristen promontorium ponit. Plin. hanc vrbē antea Crunos vult fuisse appellatam, quam Ziras amnis alluat, hodie teste Nigro Chaliacra à barbaris appellatur.

Odessus colonia.

Ad Odessum.) Strab. Milesiorū colonia. Marcell. Odisson nominat. Ouid.
Inde Mesembriacos portus & Odesson. &c.

Odessitana teste Nigro per Gothorum tempora appellata, nūc autem Varna, cuius latus Odessus amnis ex Æmo fluens abluit. Inde ab eodem monte Panysus amnis. Laniza modo ab incolis, in cuius ostio ad mare Naulochus Messembrianorum castellum fuit, vbi nunc Cossacho castellum est, ac statim Æmi montis extrema, in quo Emona nostri temporis oppidulum iacet. Hæc ille. Anno Iustiniani 18. vt testis est Cedrenus, mare Thracium eluuione operuit, vsque ad quatuor milliaria, tectis & obrutis aqua Ὀδυσσῷ. Odyso, Dionysipoli & Aphrodisio.

Odessus amnis.

AEmi montis radices, quæ vsque ad mare.) Strabo inter Odessum & montem Æmum ponit Naulochum Messembrianorum oppidulum. Postea, inquit, mons Æmus ad hoc mare vsque progreditur. Huius montis Ptolemæus quoque meminit quem penes interiorem Mysiam dicit pertingere: ei subiungit Rhodopen supra Nessum fl. atque Ebrum. Æmus mons, vel vt apud Suidam & alios legitur Hæmus mons Thraciæ celeberrimus, sic dictus fuit ab Æmo Boreæ & Orithyæ filio, in quo Martis domicilium poëtę collocauerunt teste Stephano. Is, vt testis est Strabo lib. 7. cæteros eius spatii magnitudine ac sublimitate superans, mediam Thraciam diuidit, è cuius vertice, author est Polybius, vtrunque mare cerni, quod Strabo falsum esse dicit. Hunc Plin. lib. 4. cap. 11. Hæmum appellans vasto iugo dicit in mare procumbere, in cuius vertice sit oppidum Aristæum. In huius montis cacuminibus & præruptis locis Imperator Andronicus quindecim castella partim à fundamentis extruxit, partim instaurauit, cùm Glaba Protostrator Thraciæ præesset, vt crebræ Scytharum incursiones veluti perpetuo muro interiecto prohiberentur, testis est Niceph. Greg. lib. 15. In hoc monte, Eutropio teste, Lucullus Imp. Bessos ingenti prælio fugauit. Ab hoc monte funduntur amnes Atlas, Amas, Tibesis, teste Herod. lib. 4. De vtroque monte sic Marcell. lib. 21. Consertæ, inquit, celsorum montium summitates Hæmi & Rhodopes, quorum alter ex ipsis Istri marginibus, alter ab Axii fluminis citeriori parte consurgit, in angustias tumulosis collibus desinentes, per Illyrios interscindunt & Thracas, hinc vicinæ mediterraneis Dacis & Serdicæ, inde Thracias despectantes & Philippopolim, ciuitates amplas & nobiles. & tanquam natura in ditionem Romanam redigendas nationes circumsitas prænoscente ita figuratæ consultò, inter artos colles quondam hiantes obscurius, ad magnitudinem splendorémque postea rebus elatis patefactæ sunt & carpentis aditibúsque aliquoties clausis magnorum ducum populo-

Naulochum oppidum.
AEmus mons.
Vnde dictus.
AEmus mons qualis.
AEmi montis oppidum & castella.
Amnes qui ex AEmo monte funduntur.
AEmus & Rhodope montes.

pulorúmque repulere conatus, & pars quæ Illyricum ſpectat mollius edita, velut incauta ſubinde ſuperatur.latus verò è regione oppoſitum Thraciis,prona humilitate diruptum,hinc & inde fragoſis tramitibus impeditum,difficilè ſcanditur etiam nullo vetante. Sub hac altitudine aggerum vtrobique ſpatioſa camporum planities iacet,ſuperior aduſque Iulias Alpes extenta,inferior ita reſupina & panda, vt nullis habitetur obſtaculis aduſque fretum & Propontidem,&c.

Ad Meſſembriam.) Strabo ſimiliter poſt Æmum montẽ ſubiungit Meſſembriam. Ea eſt Megarenſium colonia, quam antea Menobriam vocabant, veluti Menapolim,hoc eſt Menę,qui eam ædificauit,ciuitas.Bria enim ſermone Thracio ciuitas nominatur. Sic & Selyos oppidũ Selymbria dicta eſt,& ſic Æmus quoque quandoque Poltiobria nominata eſt. Ptolom.inter Odeſſum & Meſembriam meminit fluu.Tanyſi.Plinius Pamiſum appellat. Vrbem hãc Niceph.Gregoras libro 9. munitam πολυάνθρωπον frequentem,ad mare ſitam fuiſſe teſtatur.Idem libro 3.φρούριον,id eſt,caſtellum munitum atque validum appellat,in quod Mytzer quidam Bulgarorum dux vnà cum vxore & liberis confugere coactus fuit,qui quum ad Imperatorem Nicęam trãſiiſſet Meſſembriam Rom.ditionis fecit. Vrbs hæc eodem teſte Andronico quoque Imperat.capta,tandem rurſus Romanis à Bulgaris prælio quodam victis defecit,& præſidiis Romanis cæſis,omnes eos qui fuga ſaluti ſuæ nõ cõſuluerant,è mœnibus deiecit.Idem cætera ad Æmum caſtella fecerunt.

Meſſembria Megarenſiũ colonia. Bria ciuitatem notat.

Tanyſus ſiue Pamyſum vrbs.

Anchialum.) Strabo ſimiliter poſt Meſſembriam ſcribit eſſe Ἀγχιάλην Anchialen caſtellum,ab Apolloniatis conditum,quod & Apollonia dicebatur.Ouid.

Anchialus dicta Apollonia.

> *Thynniacóſque ſinus,& ab his per Apollinis vrbem,*
> *Vecta ſub Anchiali mœnia findat iter.*

Mela ſimiliter inter Meſſembriam & Apolloniam ponit Anchialum.Niger ciuitatem olim magnam in intimo ſinu ad Æmi radices à Sardanapalo Parthorum rege ædificatam teſtatur.Hanc Procopius Serm.4.de ędificiis,maritimam iuxta litus Ponti Euxini ſitam eſſe dicit: à qua non procul aquæ natura calidæ oriuntur,balnea exhibentes ſalubria.Qui locus mœnibus carens,quum barbarorum incurſionibus funeſtus ac periculoſus extitiſſet, Iuſtinianus eum muro circumuallari curauit,vt tutò ac ſine periculo homines ibi lauando, valetudini poſſent operam dare.

Anchialus ciuitas magna iuxta Nigrum. Sita ad Pontum Euxinum.

Hanc Iuſtinianus circumuallari iuſſit.

Apollonia.) Strabo,Hoc in litore Κηπείζιν Cetirizin promontorium dicit prominere,locum egregiè munitum,quo aliquando Lyſimachus opum ſuarum ærario vſus fuit.Idem author poſt Calatin ponit Apolloniam, quam interuallo 1300.ſtad.vult à ſe inuicem diſtare. Illam verò ſic deſcribit, Apollonia Mileſiorum colonia,cuius maior muri portio quædam in exili condita inſula eſt,vbi Apollinis eſt ſacellum. Quo ex loco M. Lucullus coloſſum extulit,& in Capitolio collocauit,fuit autem Apollinis ſtatua,Calamidis opus. Idẽ Plin. Appianus,Solinus & alii tradunt.Mela,Poſt Anchialon, inquit,in intimo ſinu,atque vbi Pontus alterum ſui flexum angulo finit, magna eſt Apollonia. Ouid. Apollinis vrbem appellat.

Cetirizis promõtorium.

Quantum diſtet Calatius ab Apollonia.

Apollonia,colonia Mileſiorum.

Vrbes hæ ſunt Græcæ.) Nam(vt ex Strabone & aliis dictum eſt)Mileſiorũ, Megarenſium,& aliorum fuerunt coloniæ. Eutropius lib.6.teſtis eſt à Lucullo imperat.in bello Mithridatico Apolloniam ſolo æquatam,Calatin,Parthenopolim,Tomos,Hiſtrum,Buciam omnem captam fuiſſe.

Apollonia ſolo æquata à Lucullo.

In Scythia ſitæ.) Herodot. enim libro 4. hanc regionem Scythiæ partem facit,quam montoſam & in Pontum porrectã regionem gentem ſcribit incolere Thraciam,hoc eſt,aſperam.

A ſiniſtris.) Suprà dictum dextrum Ponti latus Aſiaticum,ſiniſtrum Europæum & Thracium appellari.

Cherronesus vrbs Thraciæ.

Cherronesus peninsula.

Cherronesus.) Steph. vrbem Thraciæ esse dicit, cuius Hecatæus in Europa mentionem faciat. Hæc vrbs olim (teste Procopio de bellis Pers.) ab Hunnis fuit expugnata. Fuit item peninsula, cuius descriptionem vide apud Agathiã libro 5.

Thynias promõtorium.

Inde ad Thyniada.) Mela, Post Apolloniam, recta dehinc, inquit, ora, nisi ꝙ media fermè in promontorium, quod Thynniam vocant exit, & in curuis contrahi litoribus obtenditur, vrbémque sustinet Halmydessum, & Phileas & Plinopolim. Ptolomæus post Apolloniam ponit τόρζον & περόντικον Peronticum, ac deinceps Thynniada promontorium. Iuxta huius promontorii radices (teste Nigro) est Andriaca, nunc Gatopolis. Plinius libro 4. cap. 11. Oppidum, inquit, sub Thynias, Almidessos. Et litus igitur & promontorium & oppidum Thyniaca fuerunt denominata, à gẽte Thyniaca, à qua (Strabone teste, Bithyni, qui è regione in Asia sunt, prouenere. Nunc autem (teste Nigro) & litus, & intus longè regio Sagora nuncupatur, aprica & frugifera, mellis & ceræ magna copia.

Thyniaca litus promontorium & oppidum.

Halmedessum oppidum.

Salmydessum.) Plinius Almedesson oppidum dicit esse, mendum videtur esse, & Halmydesson legendum. Ptolomæus post Thyniada ponit Ἁλμυδισσον Halmidassum. Lycophron Σαλμυδισσὸν appellat Salmydissum. Sic dicta teste Apollonij Scholiaste, & Tzetze Lycophr. interprete, à Salmidisso fluuio præterfluente.

Vnde dicta.

De importuosa loci natura.) Strabo, Litus hoc, inquit, desertum, & petrosum, importuosum, ad Aquilonis flumina latè patens & apertum, ad Cyaneas vsque longitudine stad. circiter 700. Ad quod naufragio eiecti ab oppidanis, Thracia gente, qui suprà habitant, spoliantur. Idcirco apud Apoll. Argonautę monentur, vt vitato sinistro latere, vbi est Salmydessus, ad dextrum latus. i. Bithyniæ oram deflectant.

— ἣν δὲ φύγητε
Συνδρομάδας πετράων ἀσκηθέες ἔνδοθι Πόντου
Αὐτίκα Βιθυνῶν ἐπὶ δεξιὰ γαῖαν ἔχοντες
Πλώετε ῥηγμῖνας πεφυλαγμένοι, &c.

Per ῥηγμῖνας (teste Eustathio) intelliguntur prædæ atque rapinæ accolarũ, quibus Salmydessi incolæ studebant.

Huius loci meminit Xenophon) Libro 7. Anabas. Cyri. De his omnibus Gyllius in sua Bospori Thracij descriptione libro 2. partim ex Dionys. & Xenophonte, partim oculari experientia hunc in modum egregiè disserit. Ora maritima importuosa est, & maris vadum ob excessum aquarum, anchoris nõ firmum & paratum his qui aberrarunt à recta via, naufragium, si quis veris confusis cum falsis significationibus. Iam verò lucernam extinxit tempus omnia consumens, & turrim magna ex parte dissoluit. Hucusque Dionys. verba. Deinde Gyllius, Ex his, inquit, Dionysij verbis quum cætera Ponti litora assequimur, tum maximè Salmydessi esse importuosa, Thracésque naufragiorum deprædationibus maximè deditos esse. Dionysio consentit Xenophon, quum ait Græcorum exercitum (cuius ipse dux esset) accessisse ad Thraces, qui incolunt Delta regionem sitam supra Byzantium: deinde Salmydessum peruenisse ad ea litora è mari in breuia, & quasi æstuaria quædam impactas naues quamplurimas, in Pontum venientes frangi, eásque Thraces prædari, diuisis inter se litoribus, columnarum positione per interualla erectarum. Nam antequam id fieret, inter eos de præda cædes plurimæ fiebant. Equidem à Bosporo obiui pedibus ad Salmydessum oram Ponti importuosam, longè latéque apertam Septentrionibus ventis, in medio itinere vidi locum, quem Xenophon appellat Delta: cæteri scriptores Delcon, siue Delconem, hodie nominant Dercon, id oppidum est, quod ab vrbe Byzantio abest iter pedestre vnius diei. Ex tribus partibus clauditur lacu dulci, nisi quum tempestatibus mare incitatum exiguo euripo

Salmydessi ora importuosa.

Thraces naufragiorum deprædationibus dediti.

Delta oppidum quantum à Byzantio distet.

Euripo intromittit, à quo piſcis Delcon appellatur ab Athenæo commemoratus, is qualis ſit, in noſtris piſcationibus informabitur. Inde rediẽs ad Cyaneas, vidi nauem nigra caligine Ponti aberrantem ab oſtio Boſpori in littus importuoſum, Aquilonibus impulſam collidi, naufragóſque omnes vectores incolumes enatare in littus, Thracéſque accolas opem naufragis ferre à prædáque ſe abſtinere: ſiue olim longa Romani Imperii conſuetudine manſuefacti, ſiue nunc coërciti acerba ſeueritate dominantium. Hæc ille.

Delcon piſcis

Quod Thraces à præda abſtineāt vnde id fiat.

Ad Phrygiam) Ptolomæus poſt Salmideſſum ponit φιλίαν Philiam promontorium & φινόπολιν *Phinopolin.* Mela ſimiliter Phileam appellat, cui ſubiungitur Phinopolis. Philia ergo ſiue Philea videtur eſſe Phrygia hæc (mutatis literis) cuius hîc Arrianus meminit. Vel locus hic Phrygia dictus, quia Thraces olim Bryges appellati, poſteaquam in Aſiam tranſierunt Phryges dicti ſunt. teſte Strabone lib. 7. Vel etiam forſan Phrygiæ deæ ibi fanum fuit. Dioniſius certè Byzantius, teſte Gyllio, in hoc ferè tractu deæ Phrygiæ ſacrum illuſtrè, & publicè cultum ponit.

Phrygia forſan Phylia

Phrygia vnde dicta.

A Salmideſſo ad Cyaneas) Secundũ Arriani noſtri dimenſionẽ à Salmideſſo vſque ad Cyaneas ſunt ſtadia ſexcenta quinquaginta: quod interuallum quinquaginta ſtadia minus, quàm quod Strabo facit.

A Salmideſſo ad Cyaneas interuallum

Ad Cyaneas) Hæ Cyaneæ ſiue Cyaniæ hiſtoricorum pariter atque poëtarum hiſtoriis fabuliſque valde fuerunt celebratæ. Atque has alii quidem, vt Herodotus, Strabo, Plinius, Ptolomæus (κυανέον inſulam ſub Boſporo appellat) Dionyſius Byzantinus inſulas volunt eſſe. Alii verò vt Orpheus, eius interpres Appollonius, Lycophron, Theocritus, Dionyſius Alexandrinus, Nicephorus Gregoras lib. 5. Flaccus, Iuuenalis ſaxa, petras, rupes, cautes, ſcopulos, montes appellant. Ac Strabo quidem illas ſic deſcribit. Cyaneæ, inquit, duæ ſunt perexiguæ inſulę, quarum altera in Europam, altera in Aſiam vergit, freto diſiunctæ latitudinis ſtad. circiter viginti. Tantundem à Byzantiorum, & Chalcedoniorũ templo diſtantes, quod Euxini maris os eſt anguſtiſſimum. Hinc quum proceſſeris ſtad. 10. promontorium occurit tritum, efficiẽs 50. ſtad. anguſtum, deinde dilatatur amplius, & Propontidis initium facit. Plinius ſimiliter lib. 4. cap. 13. inde Ponti inſulas enumerans M. D. paſſ. ab Europa, M. XIIII. ab oſtio dicit diſtare. In hoc Plinium reprehendit Gyllius, qui teſtatur illas non diſtare ab Europa plus 80. paſſ. Romanis, neque ab oſtio, etiamſi eius initium ſit à fano Iouis amplius 5. milliaribus. Dionyſius Byzantius eaſdem hunc in modum deſcribit. poſt Dotinam petram, inquit, exiſtit promontorium nuncupatum Panium parrallellum Cyaneis, hoc eſt, quaſi par & æmulum contra Cyaneas ſitum, intercedente medio maris littore. In fine autem promontorii, paruæ inſulæ termini Pontici maris à continente diremptæ paruo maris ſpatio intermedio, quod perleuibus & perparuis nauigiis permeari, & tranſiri poteſt, ad mare minimè profundum. Sublimes autem Cyaneæ & ſuprà mare elatæ, aſpectum gerentes ſimilem Cyano, ſiue à terra multiformi, ſiue ex refractione maris, ſupra Cyaneas ara exiſtit Apollinis à Romanis ſtatuta. Hæc ille. Huc poſtremò accedit Gyllii, qui eas inſpexit, deſcriptio lib. 2. de Boſporo Thracio. Duobus, inquit, promontoriis Panio, & Anciteo finitur Pontus, incipítque Boſporus. Iuxta Ancyreum exiſtunt Cyaneæ Aſiaticæ, iuxtáque Panium Cyaneę Europeæ, diſtantes à Panio ſibi oppoſito ab occaſu paulò amplius ſeptuaginta paſſus Romanos: tãtundem enim in latitudinem patet Euripus, Cyaneas à continente ſeparans, quem vadoſum & ſaxeum nudus tranſire conatus, de medio curſu reuocatus ſum. Itaque conſcenſa ſcapha, per hunc penetrans aduerti Cyaneas ab occaſu quidem circumnauigari non poſſe, niſi nauigiis perparuis ob vadoſum Euripum à ſeptentrionibus Orientéque circuiri ab omnibus nauibus poſſe. Ac paulò pòſt Cyaneæ, quas alii inſulas, alii magis propriẽ ſcopulos appellant, nihil aliud ſunt, quàm duo ſcopuli, vnus Aſiaticus, alter Europeus, diuiſus in 5. petras vna radice nitẽtes, ſed ab imo ad ſummũ rimis diuiſus. Longiorem illarum quinque

Cyaneæ quæ.

Cyaneæ duæ inſulæ.

Plinius reprehenditur.

Panium promõtorium.

Gyllij qui Cyaneas vidit teſtimonium de Cyaneis.

Cyaneæ potius ſcopuli quàm inſulæ.

petrarum deſcriptionem vide ibidem lib. 2. cap. 24. Eaſdem Cyaneas idem lib. quoque, 2. cap. 22. hoc modo deſcribit, Hæ rupes ſuis radicibus ad mare adhæreſcentes eminent ſupra mare in longitudinem mille paſſuum præciſæ, direċtæ, vbique inter ſe continentes, excepto exiguo ſinu intermedio, ex quo aſcēditur in iugū promontorii depreſſum inter rupes vtrinque eminentes multis proiectionibus, ſubſidentéſque multis contractionibus, in multos vertices faſtigiatas, vt caſtella quædam agreſtia præternauigantibus eſſe videantur turribus elata, aſpectu horrido & planè Barbarico. Non vno lapide illæ conſtare videntur, ſed multitudine lapidum inter ſe compactorum terra Cyanea conuerſa in ſaxa fragilia, vetuſtate inter ſe cohærentia, Cyaneo quidem colore, ſed aliquantum vario, alia enim obſcuriora, alia dilutiora. Ibidem probat in illis fuiſſe Phinei arces. Lycophronis interpres Tzezes illas inter Chalcedonem & Byzantium ponit, in quo à Gyllio reprehenditur lib. 2. cap. 24. Quoad aram Apollinis (cuius Dionyſius mētionem facit) Gyllius nulla eius hodie veſtigia dicit extare, niſi ſcrobiculos ſeu foſſulas excauatas in petræ ſecundæ vertice, vbi etiamnum extet columna marmorea in cuius baſi marmoris candidiſſimi, eſt inſcriptio continens nomen C. Cæſaris inciſa literis latinis exeſa temporis vetuſtate. Hanc baſin exiſtimat reliquias eſſe aræ Apollinis quum ex vittis laureatis, tum ex candore marmoris. aræ enim ex marmore candido ſolitæ erant fieri.

Phinei arces in Cyaneis inſulis.
Ara Apollinis in Cyaneis.

Cyaneæ inſulæ vnde dictæ.

Has autem ſiue inſulas ſiue petras *κυανέας Cyaneas* appellarunt, à colore Cyaneo & ſubnigricante, vel, vt Dionyſius inquit, ex multiformi colore, ſiue refractione maris. vnde ſæpè mare Cyaneum appellat.

Per Cyaneas Argo tranſiit.

Has veteres poëtæ fictis fabulis prodiderunt inſtabiles, errantes atque mobiles antequam per eas Argo tranſiit, inter ſe magno cum fragore atque ſonitu concurriſſe, poſtquam verò Argo nauis tranſiit ſtabiles atque firmatas fuiſſe. Pindarus quoque illas ante trāſitum nauis Argo vixiſſe, poſtea extinctas fuiſſe fabulatus eſt. Atque hinc profecta ſunt illa Epitheta, quibus à poëtis paſſim inſigniuntur. A Græcis enim paſſim πλανηταί, πλαγκταί, πλαζόμεναι, à Latinis inſtabiles, errantes, mobiles, item propter illum concurſum conflictúmque mutuū πληγαί, συμπληγάδες, συνορμάδες, σύνδρομοι, εἰς ἓν συνιοῦσαι, id eſt, concurrentes atque inter ſe coëuntes appellantur.

Cyanearum inſularum inſtabilitas & concurſus.

De qua illorum inſtabilitate atque cōcurſu (vt ex innumeris teſtimoniis vnum proferam) ſic Flaccus libro quarto Argonaut. cecinit.

Hinc iter ad Ponti caput, errantéſque per altum
Cyaneas furor is medio concurrere Ponto
Nec dum vllas videre rates, ſua comminus actæ
Saxa petunt, cautéſque ſuas, cùm vincula mundi
Ima labant tremere ecce ſolum, tremere ipſa repente
Tecta vides, illæ redeunt, illæ æquore certant,
Dij tibi progreſſo propius, dij forſitan ipſi
Auxilium mentémque dabunt. aſt ipſe iuuare
Auſa quibus monitis poſſum tua? quippe per altum
Tenditis, vnde procul venti, procul vnde volucres.
Et pater ipſe maris pauidas detorquet habenas,
Si qua breuis ſcopulis fiet mora, ſi ſemel orſis
Vlla quies. fuga tunc medio properanda recurſis.
Vix repetunt primæ celeres confinia terræ,
Iámque alio clamore ruunt, omníſque tenetur
Pontus, & infeſtis anceps cum montibus errat. &c.

Cyanearum inſularū concurſus iuxta Plinium.

Hunc autem concurſum Plinius ſic interpretatur, Traditæ, inquit, ſunt fabulis inter ſe concurriſſe, quoniam paruo diſcretæ interuallo ex aduerſo intrantibus geminæ cernebantur, paulúmque deflexa acie coeuntiū ſpeciem prębebāt.

Secundum Gyllium.

Gyllius non incōmodè ad ſaxa ab illis ſcopulis abrupta & circumcirca iacētia hunc concurſum refert, cuius hæc ſunt verba. Circū hos omnes ſcopulos ſimiliter ingenti ſaxa abrupta iacent, Euripíque vadū intercedentis inter Paniō & Cyaneas

& Cyaneas ſaxeum, & cauernoſum, introſpexi. Vt verò proximum videatur Cyaneas olim abruptas à Panio promontorio fuiſſe ſimiliter toto ſaxeo. Quare non ſine Phyſica ratione vbi animaduertiſſent poëtæ Cyaneas terrę motu, aut temporis vetuſtate ruinas edidiſſe, & circumfractas eſſe, finxerunt inter ſe concurriſſe: in quo concurſu quid verius eſſe apparet, quàm id, quod tradit Valerius Flaccus.

Cyaneæ iuga præcipites illa remittunt.

Nam reuera earum iuga ruinis illiſa remiſſiora ſunt facta earumdémque moles illiſę. Idem author non minus commodè meo iudicio de latronibus, qui in illorum ſcopulorum cauernis atque ſpeluncis deliteſcentes ad tranſeuntes inuadendum atque ſpoliandum concurrebant, interpretatur lib.2.cap.22. Accolæ, inquit, Barbari Boſporum ſic clauſum tenuerunt, vt poëtis materiã dederint fingẽdi, petras Cyaneas inter ſe concurri ſſe eáſque ante Iaſonem nunquam apertas fuiſſe, hoc interpretari poſſumus vtrimſq; latrones Boſporũ totũ olim Cyaneas appellatũ accolentes intercepiſſe nauigantes in Pontũ, cõmodio rémque iuxta Boſporũ ſedem habere nõ potuiſſe ad obſidendas Ponti portas, quàm hunc locũ ſitũ in primis faucibus Boſpori habentem ſpeluncas ſaxeas naturales quales illa tẽpora poſtulabant, quæ alibi in toto Boſpori littore Europæo nullę aliæ ſunt, quàm hæ habentes proximũ fluuium perennẽ & potabilẽ, tantúmque, quantus nullus longo interuallo reperitur: nõ Scletrineus, qui propinquior eſt, nõ coeteri omnes littoris Europæi maiores defluũt in Boſporũ. Verùm idẽ Gyllius per Cyaneas vult veteres non modò iam cõmemoratas inſulas ſiue ſcopulos, verùm etiã omnes illas rupes atque cautes vtriuſque littoris Boſporum cingentis à Myrleano ſinu atque Coracio promontorio vſque ad Cyaneas modò dictas, intellexiſſe. Ac rectè, inquit idem, Frontinus Cyaneas Boſſporum appellauit ob varios atque multiplices illius flexiones atque anfractus Atque has quidem rupes magis propriè, quàm illas antè commemoratas Symplegades dici poſſe, propterea quod adnauigantibus modò aperiri, modò claudi videtur fallente aſpectu opinionem ex crebris promontoriorũ flexibus, pluribus ex Eratoſthene atque Dionyſio, necnon Apollonio probat. Præterea & ille latronum concurſus, & cauæ ſpeluncæ, latronum receptacula ſub cautibus mari intus fluctuante reſonantes (quæ allegoricos illo concurſu ſeuero poëtarum intelligenda) non minus vniuerſis illis rupibus & cautibus vtriuſque litoris, quàm ſolis illis ſcopulis ſiue inſulis, eodem teſte conueniunt. Denique non mode inſulæ Cyaneæ, vt idem refert, in hanc diem, ſed etiam omnes rupes claudentes Boſporum à Cyaneis vſque ad fanum & littora circum vicina Cyaneis ſpectantur colore Cyaneo, aliæ obſcuriore, aliæ dilutiore. Homerus quoque in Odiſſęis Cyaneas atque planetas petras deſcripſit, ſed Gyllius illum de Siculis ad Orpheï fanum iaculatis, non hiſce Thracici diſſeruiſſe rationibus quibuſdam probat.

Quomodo Cyaneæ inſulæ concurriſſe dicantur.

Cyanearum appellatione veteres quid intellexerint.

Cyaneæ Symplegades dici poſſent.

Cyanearum concurſus allegorica expoſitio.

Inde ad portum Daphnæ inſanæ) Strabo à promontorio illo, quod fretum quinque ſtadiorum anguſtum efficit, ad portum ὑπὸ τῇ συκῇ hoc eſt ficulneum ſtadia triginta quinque intereſſe ſcribit. Hunc Gyllius libro tertio de Boſporo Thracio Monoculum dicit fuiſſe appellatum, in quo ſit fons perennis Sycia appellatus à proxima ficu ad quem quum acceſſiſſet, & laurum vicinam decerpſiſſet, eámque in nauigium intuliſſet, tot contentiones inter remiges & vectores exortas fuiſſe, vt exiſtimarit Syciam olim appellatam fuiſſe ψυχῶνεν id eſt Laurum inſanam, vt appellat Dionyſius. At hoc Arriani teſtimonio de hac ſua ſententia ſe fuiſſe depulſum, qui laurum inſanam ait diſtare à fano quadraginta ſtadia cùm Sycia longè minus diſtet. Dionyſius Byzantius poſt fani promontorium ponit Argyronium ex eo nominatum, quòd multa pecunia emptum fuerit. Poſt, inquit idem, ſuccedunt & ſubeunt loca nuncupata Herculis κλινὴ & Nympheum, inde nominata Laurus inſana, apud quam aiũt Amycum Bebrycum regem habitaſſe, pugillatus pugna omnibus ſuæ ætatis

Daphnæ inſanæ portus.

Portus ὑπὸ τῇ συκῇ

Syria fons

Sycia olim dicta Laurus inſan.

Argyronium promontorium.

Amycus Babrycum rex.

hominibus præstantẽ, nisi à Polluce victus fuisset Iouis & Ledæ filio. Ille enim in expeditione Colchica ex prouocatione conflixit cum Polluce, à quo occisus fuit, pœnásque dedit in externos crudelitatis, exortáque fuit planta illius insaniæ insigne diuinius, quàm humana mens assequi queat. Nam si quis hãc laurum intulerit in conuiuium, conuiuas simili insania afficiet, & contumelia implebit. Hoc sanè experientia didici, naturam immortali memoriæ Regis illius iniquitatem tradidisse ex ipsa lauro. Sic Apollonius quoque libro secundo testatur Argonautas ad litus, quod videbatur ex sinu extendi eminenter, nauem appulisse vbi essent stabula boum, auláque regis Amyci Bebrycum, quam vbi Pollux deuicisset, & ob huius victoriam Argonautæ lauro coronati cœnassent, postridie videntes soluisse, quibus nauis alligata esset ad laurum νεάτην vegetam. Sic quem testem Appoll. Scholiastes citat, Andreras Tenedius in periplo Propontidis dicit Orpheum non Poëticè finxisse laurum, sed reuera fuisse in hoc loco arborem laurum benè magnam. Idémque præterea narrat, hunc locum appellari Amycum, habuiséque sua ætate ædificia à colonis excitata, & distare à Nymphæo Chalcedonio quinque stadiis Apollodorus in primo Ponticorum, quem similiter Apoll. Scholiastes citat in libro secundo dicit in loco nuncupato Amyco sepulchrum Amyci, & laurum esse, ex qua si quis ramum cepisset in conuitia & contumelias concitaretur. Plinius etsi portum Amyci alias ponit apud Bosporum, alias in tractu Heracleæ Ponticæ (vt suprà dictum) tamen, id quod deprompserat ab antiquis Scriptoribus, tradit portum Amyci Bebricum rege interfecto clarum esse, eiúsque tumulum à supremo die lauro tegi, quam insanam vocant, Quoniam si quid ex ea decerptum inferatur nauibus, iurgia fiant. Ex his testimoniis apparet, vbinam fuerit hic portus, & vnde sic fuerit appellatus. Gyllius ex iisdem testimoniis probat in vno eodémque loco fuisse portum siue sinũ Amycum, portum Laurus insanæ, sepulchrum Amyci, & locum pugnæ inter Pollucem & Amycum. contra Dionysium Byzantium qui Laurum insanam ponens inter Argyronium & sinũ Turcum, separet à sinu Amyco, interposito interuallo sinus Moncaporidis, & promontorii Ætoþechi. Idem Gyllius nunc dicit appellari Amiam, & marmoream Scalam, apud quam fons sit distans à Bosporo centum passus emittens fluuium perfrigidum, etiam summa æstate versare valentem molas, si eius alueus esset procliuis. Eodem in loco idem testatur hodie Xiphias, id est cetaceos pisces capi qui nullo alio in loco Bospori capiantur, quod maris spatium Amiam siue Lamiam appellant, forsan ab Amyco. Stephanus duplicem locum Daphnæ appellatum ponit in ore Ponti. Alteram Daphnen insanam, portum iuxta os Ponti in dextro latere constitutum nauigantibus ad Pontum, de qua iam dictum. Alteram in sinistro ascendentibus ad anaplum in ore Ponti suburbium dicit esse, quod Sergium dicitur. Hoc suburbium Gyllius libro tertio de Bosporo Thracio situm fuisse dicit in Diplotionis valle ampla, culta, vrbíque vicina, mitibus & vitiferis collibus cincta. In hoc suburbio idem Gyllius teste Euagrio probat, Mammianum insignem senatorem Antipharon construxisse è regione balnei publici, in quo statuta esset Ammiani statua ænea. In eodem suburbio Agathium historicum suburbanum habitasse ex eius epigrammate quodam Græco probat. Idem Gyllius Daphnen quoque aliud, Medeæ suburbium quoddam dicit fuisse in valle Demetriana remotius à Byzantio. Ammianus libr. 27. Daphnen munimentũ quoddam iuxta Histrum ponit, ad quod Valentem Imperat. in expeditione contra Gothos castrametatum fuisse, & ponte contabulato supra nauium foros flumen multis resistentibus trangressum fuisse testatur. Nicephorus quoque Gregoras libr. 4. Δαφνούσιαν *Daphnusian* oppidum esse Ponti Euxini multis aquis circundatum mille stad. à Constantinopoli dissitum esse scribit. Stephanus præterea Daphnen aliam Lyciæ regionis, aliam prope Pelusium à lauris ibi

Laurus insana cur sic dicta.

Amycus loci nomen.

Xiphiæ pisces.

Daphne duplex.

Sergium suburbium in Diplotionis valle situm

In Sergio suburbio Antipharon cõstruxit Mammianus.

Sergium suburbium.

Agathij historici patria.

Ad Daphnem munimentum Valens imperator castrametatus est.

Daphnusia Ponti oppidum.

ibi nascentibus dictam, aliam denique quæ sit suburbium Antiochiæ orientalis nobilissimum. Hanc postremam Strabo libr. 16. lacum dicit esse ingentem & opacum, aquis fontanis irriguum, in cuius medio sit fanum & asylum Apollinis, & Dianæ delubrum, in quo Antiochenses finitimi festa celebrare consueuerint. Luci ambitum stad 80. esse testatur. Eodem ferè modo describitur à Procop. libr. 2. de bello Persico. In hac Daphne, teste Georgio Cedreno, Iulianus Apostata Antiochiæ degens, crebro obambulauit, Apollinísque simulachrum colens (quod ibi erat opus Bryxidis statuarij admirandum, quod imitando æquare nemo potuerat) oraculum ab eo poscebat. Sed frustrà. tandémque igne cœlitus delapso ædes simulachrúmque illud consumptum fuit. In eadem Daphne reliquiæ S. Martyni Babylæ repositæ. quibus Iulianus cùm oraculi Apollinei silentium tribueret, eas inde amoueri iussit, vnde illud incendium consecutum.

Iulianus apostata in Daphne obambulauit

RERVM MEMORABILIVM IN TOTO PERIPLO PONTIS EVXINI COMPREHENSArum, index amplissimus: prior numerus paginam, secundus lineam notat.

Admonebitur Lector numeros ternionis(m) falsos esse & in Indice non esse mutatos, quò tamen subleuaretur additam esse literam(m) ad singulos numeros illius ternionis, ne putet alibi etiam erratum esse in numero.

A

Bithynia

D

I

Ister

T

INDEX.

INDEX SECVNDVS PERIPLI PONTI EVXINI
Geographica continens.

Cyaneæ

Patraeus

FINIS.